M. TULLII CICERONIS OPERA EX RECENSIONE CHRIST…

Marcus Tullius Cicero

M. T. CICERONIS
OPERA OMNIA

TOM. III.

M. TVLLII

CICERONIS

OPERA

EX RECENSIONE

CHRIST. GODOFR. SCHVTZII

ADDITIS COMMENTARIIS

TOMVS TERTIVS

AVGVSTAE TAVRINORVM

EX TYPIS VIDVAE POMBA ET FILIORVM

ANNO MDCCCXXIV

M. TVLLII CICERONIS

OPERA RHETORICA

TOM. III.

PRAEFATIO

Tertium tandem Rhetoricorum Ciceronis volumen foras exit, cuius editionem bellici tumultus aliquantum retardaverant.

In *Bruto*, s. libro de claris Oratoribus recensendo adhibuimus lectiones duorum Codicum Mss. bibliothecae Guelferbytanae a Io. Fr. Heusingero collatorum. Primus horum, quem nota *Gu.* 1, designavi, est Gudianus 38 fol. membranaceus, ex quo potiores quidem lectiones iam excerpserat Cl. Schneiderus in epistola ad E. T. Langerum, doctissimum illius bibliothecae praefectum, editioni Bruti Wetzelianae praemissa. Alter codex in eadem bibliotheca Aug. 12, 13, forma quadruplicata, quem nota *Gu.* 2 ab altero distinxi, idem videtur fuisse, quem Schneiderus ait a Langero diligenter quaesitum, nuspiam tamen repertum fuisse.

In *Oratore* ad M. Brutum trium codicum ab Heusingero collatorum lectionibus usi sumus. Pri-

mus est Gud. 38 fol. ubi exemplum Oratoris sic inscriptum sequitur libros tres de Oratore: MARCI TULLII CICERONIS ORATOR VEL DE *optimo genere dicendi Incipit feliciter ad Brutum.* Notabiles quasdam ex eo lectiones enotaverat Cl. Schneiderus. Secundus est Aug. 12, 13, in quo tertium de Oratore librum excipit Orator sic inscriptus: *Marci Tullii Ciceronis de optimo genere dicendi ad marcum brutum.* Tertius est Gud. 2 fol. ab initio mutilus. Nam post librum de Oratore tertium sine ulla inscriptione incipit a verbis capitis 26 istis: .... *antoque robustius quam hoc humile.* Idem codex sine ulla significatione a c. 57 transilit ad cap. 69 extr. Istos igitur codices ita notavi, Gu. 1, 2, 3.

Verum excerpta Heusingeriana e duobus prioribus codd. quae mecum communicavit Cl. Conradus Heusingerus non excurrunt ultra cap. 27, sive ipsum conferendi laborem haud absolverit ille, sive pars quaedam schedarum forte perierit.

In *Topicis* nullum habui a libris scriptis adiumentum.

In *Partitionibus oratoriis* adhibui lectiones Ms. Gud. 2 fol. ab Heusingero excerptas. Is codex ita incipit: *Operis exordium.* Antecesserant autem *synonyma quae Ciceroni tribuuntur.* Ante §. 3, c. 1, demum praemittitur titulus: *Marci Tullii Ciceronis de partitione orationis liber incipit feliciter.*

Deoique in libello *de optimo genere oratorum* ad maous erant lectiones e eod. Gud. 38 fol. ab Heusingero excerptae. Io hoc Ms. libellus hic subiicitur Bruto de claris Oratoribus; relicto quidem spatio, cui titulus a miniatore inscriberetur. Id quum factum non esset, nuper ab aliquo, quem Heusingerus putabat Lauterbachium, bibliothecae Guelpherbytanae custodem, titulus ex impressis libris adiectus est. At hic libelli codex nihil aliud offerebat, praeter vitiosas negligentissimi librarii scripturas, quarum nullam prorsus rationem habendam esse duxi.

De editionibus ad usum criticum adhibitis, quae in praefatione ad Vol. II dixi, ea hic repetere nihil attinet. Scr. Halae Cal. Maii cıɔıɔcccvııı.

M. TVLLII CICERONIS

DE

CLARIS ORATORIBVS

LIBER

QVI DICITVR

BRVTVS.

SVMMARIVM

In praefatione libri Cicero primum Q. Hortensii mortem deplorat, additis consolationis causis, cap. 1–2; *deinde occasionem huius dialogi exponit. Nimirum ad eum M. Brutus cum T. Pomponio Attico venerant, eumque rogaverant, ut, quem nuper in Tusculano, solo audiente Attico, inchoasset sermonem de claris oratoribus, nunc utrique plenum exponeret*, cap. 3–5.

Sequitur ipse dialogus, in quo Cicero, postquam, unde ductus esset sermo cum Pomponio in Tusculano habitus exposuerat, cap. 6, *primum breviter Graecos oratores artisque rhetoricae scriptores recenset* cap. 7–13; *deinde ad Romanos accedit, in quibus primum antiquiores, de quorum eloquentia nihil certi habeat dicere, enumerat, ut L. Brutum, M. Valerium Maximum, L. Valerium Potitum, Appium Claudium, C. Fabricium, Ti. Coruncanium, M' Curium, M. Popilium, C. Flaminium, Q. Fabium Maximum Verrucosum, Q. Metellum*. cap. 14.

Sequuntur ii, de quibus certior eloquentiae memoria constabat, in iisque primum M. Cornelius Cethegus, cap. 15, *M. Cato Censorius, cuius orationes et oratoriae laudes cum Lysia comparantur, et cur hic felicior sit ab omni laude quam ille,*

exponitur, cap. 16-19. *Post Catonem nominantur quidam, qui cum eo grandiores natu vixerant*, *C. Flaminius*, *C. Varro*, *Q. Maximus*, *Q. Metellus*, *P. Lentulus*, *P. Crassus*, *Scipio Africanus*, *eiusque filius*, *Sex. Aelius*; *deinde minores aetate*, *C. Sulpicius Gallus*, *Ti. Gracchus*, *P. F.*, *P. Scipio Nasica Corculum*, *Q. et M. Nobiliores*, *T. Annius Luscus*, *L. Paullus Macedonicus*, *Africani iunioris pater*, cap. 20, *tum A. Albinus*, *Ser. Fabius Pictor*, *Q. Fabius Labeo*, *Q. Metellus*, *L. Cotta*, *C. Laelius*, *P. Africanus iunior*, *Ser. Galba*, cap. 21. *In primis de horum trium*, *Laelii*, *Africani et Galbae*, *laudibus dicitur* cap. 22-24.

Post illos nominantur L. et Sp. Mummii fratres, *Sp. Albinus*, *L. et C. Aurelii Orestae*, *P. Popillius eiusque filius Caius*, *Porro C. Tuditanus*, *M. Octavius*, *praecipue autem M. Aemilius Lepidus Porcina. Deinde Q. Pompeius*, *L. Cassius*, *M. Antius Briso*, *duo Caepiones Cn. et Q.*, cap. 25.

Sequuntur P. Crassus, *valde probatus orator*, *eiusque aetati iuncti duo C. Fannii*, *C. et M. filii*, *M. Scaevola augur*, *iuris civilis intelligentia*, *non oratoria laude clarus*, *L. Coelius Antipater*, cap. 26.

Praecipue autem eminent Tib. Gracchus C. que Carbo, cap. 27. *Minorem vero eloquentiae laudem adepti D. Brutus*, *M. fil. Q. Maximus*, *Paulli nepos*, *Scipio Serapio*, *P. Lentulus*, *L. Furius Philus*, *P. Scaevola*, *M'. Manilius*, *M. Fulvius Flaccus*, *C. Cato*, *P. Decius*, *M. Drusus*, *C. fil. eiusque frater C. Drusus*, *M. Pennus et T. Flamininus*, cap. 28.

His adiunguntur M. Scaurus cap. 29, *P. Rutilius* cap. 30, *Q. Aelius Tubero*, *omninoque Stoici oratores* cap. 31, *C. Curio*, *illustris orator* cap. 32, *et praestantissimus ingenio*, *studio*, *doctrina C. Gracchus*, cap. 33.

Huic successit aetati C. Galba, *P. Scipio*, *L. Bestia*, *C. Licinius Nerva*, *C. Fimbria*, *C. Sextius Calvinus*, *M. Brutus*, *accusator ille vehemens et molestus*, *L. Caesulenus*, *T. Albucius*, cap. 34.

Porro Q. Catulus, *pater et filius*, *Q. Metellus Numidicus*, *M. Silanus*, *M. Aurelius Scaurus*, *A. Albinus*, *Q. Caepio*, *C. et L. Memmii*, *Sp. Thorius*, *M. Marcellus*, *P. Lentulus*, *L. Cotta*, cap. 35.

Sequuntur summi oratores L. Licinius Crassus et M. Antonius, *de quibus diligenter agitur* cap. 36-44, *interiecto Q. Scaevola*, *qui cum Servio Sulpicio comparatur* cap. 41.

Tum recensentur Cn Domitius, C. Coelius, M. Herennius, C. Clodius, C Titius, L. Afranius, Q. Varro, M. Gratidius, cap. 45.

His adiunguntur nonnulli ex sociis et latinis oratoribus, Q. Vettius Vettianus, Q et D. Valerii Sorani, C. Rusticellus Bononiensis, T. Betucius Barrus Asculanus et prior aetate L. Papirius Fregellanus, cap 46.

Hos excipiunt e Romanis L Philippus, Crasso et Antonio, sed longo intervallo proximus, et eius aetati fere coniuncti L. Gellius, D. Brutus, L. Scipio, Cn. Pompeius, Sexti fil., M. Brutus, C Billienus, Cn Octavius, cap. 47, *tum C. Iulius Caesar, L. fil., P. Cethegus, Q. Lucretius, Vespillo, Aphila, T Annius Velina, T. Iuventius, P Orbius, T Aufidius, eiusque frater M. Virgilius, P. Magius, Q Sertorius, C. Gorgonius. T Iunius*, cap. 48.

Sequuntur ii, quos Cicero ipse audivit. Inter quos facile primas tulisse ait eum suo tum omnium iudicio C. Cottam et P. Sulpicium, cap 49 *idque eum in hanc disputationem ducit, ut, an recte populus de oratoribus iudicet, disquirat*, cap 49-54. *Tum laudes Cottae et Sulpicii fusius exponit* cap. 55-56; *agitque porro de Pomponio* cap 57, *de Curione* cap. 58-60, *ubi simul de domestica institutione ad linguae puritatem multum valente disputat, porro de C. Carbone, Q Vario, L. Fufio, compluribus aliis vel e numero oratorum exclusis, vel brevissime memoratis*, cap 61.

Sequitur P Antistius cap. 62, *L. Sisenna* cap. 63, *et Hortensio, de quo postea pluribus verbis agit, memorato agitur de M. Crasso, C Fimbria, Cn. et P. Lentulis*, cap. 65, *M. Pisone*, cap 66, *P Murena, C Censorino, L. Turio, C. Macro*, cap 67, *de C Pisone, L. Torquato, Cn. Pompeio M, D. Silana, Q Pompeio, P. Autronio, L. Octavio, C. Staieno*, cap 68, *porro de C. et L. Caepasiis, fratribus, de Cosconio et Arrio*, cap. 69 *His adiunguntur L. Torquatus, M. Mesalla, Celer et Nepos Metelli, Cn. Lentulus Marcellinus et C. Memmius*, cap. 70,

Tum rogatus a Bruto Cicero, ut de Caesare et M. Marcello, utroque vivo, iudicium suum exponat, primum Marcellum ipse laudat, Caesaris autem laudes fere ad Atticum remittit, ita tamen ut iis ipse non minus quam Brutus assentiatur, cap. 71-75

Post illos recensentur C Sicinius, C. Visellius Varro, L. Tor-

quatus, Triarius cap. 76, *M. Bibulus, Appius Claudius, L. Domitius, P. et L. Lentuli, T. Postumius* cap. 77, *P. Cominius, T. Accius, C. Piso* cap. 78. *Sequuntur M. Caelius* cap. 79, *M. Calidius* cap. 80, *C. Curio, P. Crassus, C. Licinius Calvus* cap. 81–82, *a cuius exilitate sumit occasionem de Attico dicendi genere disputandi*, cap. 83, *qua degressione laudata Atticus Ciceronem pervellit, quod nimiis laudibus multos Romanos extulerit oratores*, cap. 83–87.

Sequuntur iam Hortensii laudes cap. 88, *quibuscum coniungit Cicero de suis studiis, laboribusque forensibus narrationem*, cap. 88–94.

Tum quaestioni, cur Hortensius magis adolescens quam provecta aetate orator floruerit, respondetur, cap. 95–96.

Epilogus hortatur Brutum, ut, quamquam iniqua nunc sint reip. et oratorum studiis tempora, tamen eloquentiae laudem tueri seque ex turba patronorum eripere velit, cap. 97.

Quum e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso, quum consuetudine iucunda, tum multorum officiorum coniunctione me privatum videbam, et interitu talis auguris dignitatem nostri collegii deminutam dolebam: qua in cogitatione, et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo, augurum institutis, in parentis eum loco colere debebam. Augebat etiam molestiam, quod magna sapientium civium, bonorumque penuria, vir egregius, coniunctissimusque mecum consiliorum omnium socie-

E Cilicia) Quam provinciam pro consule rexerat A. V. C. 702, 703 Coss. h. e. A. V. C. 703 decessit provincia

Decedens) C. Marcello, L. Paullo

Diminutam) Lallem. *deminutam*.

Sapientium) Gu. 1, *Sapientum*.

tate, alienissimo reipublicae tempore exstinctus, et auctoritatis et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat: dolebamque, quod non, ut plerique putabant, adversarium, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, et consortem gloriosi laboris amiseram. Etenim, si in leviorum artium studio memoriae proditum est, poëtas nobiles poëtarum aequalium morte doluisse: quo tandem animo eius interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? quum praesertim non modo numquam sit aut illius a me cursus impeditus, aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adiutus et communicando et monendo et favendo. Sed quoniam perpetua quadam felicitate usus ille cessit e vita, suo magis, quam suorum civium tempore; et tum occidit, quum lugere facilius rempublicam posset, si viveret, quam iuvare; vixitque tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere: nostro incommodo, detrimentoque, si est ita necesse, doleamus; illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius, quam misericordia prosequamur, ut quotiescunque de clarissimo et beatissimo viro cogitemus, illum potius, quam nosmetipsos, diligere videamur. Nam, si id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet, nostrum est id malum; quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur. Sin, tanquam illi ipsi

* *Alienissimo reipublicae tempore*) Significat initium belli civilis inter Caesarem et Pompeium A. V. C. 704. Cf. Epp. var. XVI, 11 et 12, ad Attic. VII, 5, 6, sqq.

* *Et auctoritatis, et prudentiae suae*) Nempe *auctoritas* Hortensii apud Caesarem et Pompeium plurimum valuisset, ut in concordiam redirent, *prudentia* autem quibus consiliis id perficiendum esset, ei suggerere poterat.

* *Non — adversarium*) Huic testimonio non repugnat, quod is earlier questus *se ab Hortensio sceleratissime insidiosissimeque tractatum*, ad Q. Fratrem I, 3, tum enim forsan iniquius prae dolore de Hortensio iudicaverat, et, si vere offensus esset, post reditum cum eo in gratiam redierat.

acerbitatis aliquid acciderit, augimur, summam eius felicitatem non satis grato animo interpretamur. Etenim si viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et fortibus civibus; hunc autem praeter ceteros, aut cum paucis sustineret dolorem, quum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita, et Romanis Graecisque auribus digna, spoliatum atque orbatum videret.

2. Equidem angor animo, non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rempublicam, quae didiceram tractare, quibusque me assuefeceram, quaeque erant propria cum praestantis in republica viri, tum bene moratae et bene constitutae civitatis. Quodsi fuit in republica tempus ullum, quum extorquere arma posset e manibus iratorum civium boni civis auctoritas et oratio, tum profecto fuit, quum patrocinium pacis exclusum est aut errore hominum, aut timore. Ita nobismetipsis accidit, ut quamquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, quod, quo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissimis, tanquam in portum confugere deberet, non inertiae, neque desidiae, sed otii moderati, atque honesti; quumque ipsa oratio iam nostra canesceret, haberetque suam quandam maturitatem, et quasi senectutem; tum arma sunt ea sumta, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. Itaque ii mihi videntur fortunate beateque vixisse, cum in ceteris civitatibus, tum maxime in nostra, quibus quum auctoritate, rerumque gestarum gloria, tum etiam sapientiae laude perfrui licuit. Quorum memoria, et

Hunc autem praeter ceteros) Vulg. *hunc autem et praeter ceteros*. Et sic Gu. 1, 2. Ernesti delevit et. Heusingero placebat *hunc aut praeter ceteros, aut cum paucis* etc.

Rebus amplissimis) Gu. 1, *amplissimis honoribus*.

recordatio in maximis nostris gravissimisque curis iucunda sane fuit, quum in eam nuper ex sermone quodam incidissemus.

3. Nam quum inambularem in xysto, et essem otiosus domi, M. ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines cum inter se coniuncti, tum mihi ita cari, itaque iucundi, ut eorum adspectu omnis, quae me angebat de republica, cura consederit. Quos postquam salutavi, Quid vos, inquam, Brute et Attice, nunc? quid tandem novi?

Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis, aut ego pro certo dicere audeam.

Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de republica esset silentium, et aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla molestia.

Vos vero, inquam, Attice, et praesentem me cura levatis, et absenti magna solatia dedistis. Nam vestris primum literis recreatus, me ad pristina studia revocavi.

Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epistolam, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi visus est et monere te prudenter, et consolari amicissime.

Recte, inquam, est visus. Nam me istis scito literis ex diuturna perturbatione totius valetudinis tanquam ad adspiciendam lucem esse revocatum. Atque ut, post Cannensem illam calamitatem, primum Marcelli ad Nolam proelio, populus se Romanus erexit, posteaque prosperae res deinceps multae consequutae sunt: sic post rerum nostrarum et communium gravissimos ca-

Inambularem) Gu. i, *ambularem*. *Populus se Romanus*) Gu. i, *se populus Romanus*.

* *Rerum nostrarum et communium gravissimos casus*) Communium de proelio Pharsalico, *nostrarum* de dolore et periculo ob res a Pompeio male gestas, de divortio cum Terentia uxore facto, de Dolabellae generi molitionibus sibi valde molestis intelligendum.

sus, nihil ante epistolam Bruti mihi accidit, quod vellem, aut quod aliqua ex parte sollicitudines allevaret meas.

Tum Brutus, Volui id quidem efficere certe, et capio magnum fructum, si quidem quod volui, tanta in re consequutus sum. Sed scire cupio, quae te Attici literae delectaverint.

Istae vero, inquam, Brute, non modo delectationem mihi, sed etiam, ut spero, salutem attulerunt.

Salutem? inquit ille. Quodnam tandem genus istuc tam praeclarum literarum fuit?

An mihi potuit, inquam, esse aut gratior ulla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius libri, quo me hic affatus quasi iacentem excitavit?

Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter, et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est?

Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse.

4. Tum Atticus, Optatissimum mihi quidem est quod dicis: sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum, aut tanto usui posset esse?

Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa attulit, et eam utilitatem, quam requirebam, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem: quae quum studiose tractare coepissem, ipsa mihi tractatio literarum salutaris fuit, admonuitque, Pom-

Volui id quidem efficere certe) Guilelmus malueral. *volui quidem certe*, quasi *id efficere* a glossatore addita essent. At hic nihil mutandum; non enim praecedit verbum, quod in *volui quidem certe* intelligi possit.

Mihi quidem multa attulit) Vulgo abest *attulit*, quod additur Gu. 1. idque Schneiderus sine damno concinnitatis et per regulas grammaticas abesse non posse putabat. Heusingerus autem negat id sibi placere. Sane enim ex antecedentibus *habuit* repetere licet: *Ille vero et nova, mihi quidem, multa habuit, et eam utilitatem.*

poni, ut a te ipso sumerem aliquid ad me reficiendum, teque remunerandum, si non pari, at grato tamen munere: quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. Ego autem voluntatem tibi profecto remetiar; sed rem ipsam nondum posse videor; idque ut ignoscas, a te peto. Nec enim ex novis (ut agricolae solent) fructibus est, unde tibi reddam quod accepi: sic omnis foetus repressus, exustusque siti flos veteris ubertatis exaruit: nec ex conditis, qui iacent in tenebris, et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tanquam in inculto et derelicto solo; quod ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui mu-

Teque remunerandum) Difficile est explicare, quando Cicero dicere potuerit *ut a te ipse sumerem aliquid ad te remunerandum*. Itaque suspicer eum scripsisse *ut ad te ipse scriberem aliquid ad me reficiendum teque remunerandum*. — Sic in epist. ad Varronem Academicis quaestionibus praemissa. *Expectabam omnino iam diu, neque sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quam aliquid accepissem, ut possem te remunerari quam simillimo munere.*

* *Novi fructus*) Intelliguntur novae orationes, quas Cicero vel coram populo, vel in iudiciis, vel in senatu potuisset habere, nisi converso resp. statu eloquentia obticuisset. *Conditi fructus* sunt orationes olim quidem habitae, sed nondum elaboratae atque editae. Has dicit *in tenebris iacere*, i. e. neglectas in scriniis; *aditumque sibi ad eas, qui paene solis patuerit, obstructum*, h. e. iniuria temporum se abstineri, ut eas iterum in manus sumat, edendasque curet, omnino vix ab alio quodam adhuc lectas. Ernesti hunc *aditum* proprio significatu accepit; quasi Cicero illo tempore ab istis libris abfuerit, ut ipse eos legere aut aliis dare non posset. Sed hac interpretatione turbatur metaphorae continuatio; nec intelligi potest, cur Ciceroni, si Romae fuisset, libros e Tusculano aliave villa asportandos curare haud licuisset. Quod denique dicit, se iam velle aliquid *tamquam in inculto et in derelicto solo serere*, id de scriptis rhetoricis et philosophicis accipiendum. Cf. de Nat. Deor. I, c. 4.

Exustusque siti flos veteris ubertatis exaruit) Hunc verborum ordinem praeoptavit Lambinus; quem vulgo in aliis legatur *exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit*. Utraque ratio eundem sensum praebet. Nempe *siti veteris ubertatis* est desiderium antiqui status resp. in quo largus erat oratorum proventus, et amplissima eloquentiae materia.

In inculto) abest praepositio Gu. 2.

Efferre fruges) G. 2, *afferre fruges*

neris; modo idem noster animus efficere possit, quod ager, qui quum multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet.

5. Tum ille, Ego vero et exspectabo ea, quae polliceris, neque exigam, nisi tuo commodo, et erunt mihi pergrata, si solveris.

Mihi quoque, inquit Brutus, exspectanda sunt ea, quae Attico polliceris, etsi fortasse ego a te huius voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommodo tuo exacturum negat.

At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum.

Non mehercule, inquit, tibi repromittere istuc quidem ausim. Nam hunc, qui negat, video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen, et acrem fore.

Tum Pomponius, Ego vero, inquit, Brutum nihil mentiri puto. Videor enim iam te ausurus esse appellare: quoniam longo intervallo modo primum animadverti paulo te hilariorem. Itaque, quoniam hic, quod mihi deberetur, se exacturum professus est, quod huic debes, ego a te peto.

Quidnam id? inquam.

Exspectanda sunt) Vulgo, *et exspectanda sunt.* Recte vero Ernesti copulam deleri iussit. In Gu. 2 est *et* *expetenda.*

Sunt ea) Gu. 1 omittitur *ea.*

Incommodo tuo) Lambinus addidit *tuo*, idque h. l. consentius quam quod vulgo scribitur *incommodo* simpliciter; etsi id Ernesti pro adverbio capiendum censuit. Gu. 1, ut edd. Venet. Victor. omittit *se* ante *incommodo*

Ausim) Sic Gu. 1, recte. Et sic Lallem. e Ms. Reg. Vulg. *ausus sim.*

Quidnam id? inquam. Ut scribas inquit, aliquid iampridem enim conticuerunt tuae literae. Nam ut illos de republica edidisti, nihil a te sane postea accepimus, eisque nosmetipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsi atque incensi sumus. Sed illa quum poteris, atque ut possis rogo. Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod quaerimus.) Totus hic locus, etsi in eo verba Ci-

Vt scribas, inquit, aliquid: iampridem enim conticuerunt tuae literae. Nam ut illos de republica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus; eisque nosmetipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsi, atque incensi sumus. Sed illa quum poteris; atque ut possis rogo. Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis quod quaerimus.

Quidnam est id? inquam.

Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de oratoribus, quando esse coepissent, qui etiam, et quales fuissent. Quem ego sermonem quum ad Brutum tuum, vel nostrum potius, detulissem, magnopere hic audire se velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, quum te scremus esse vacuum. Quare, si tibi est commodum, ede illa, quae coeperas, et Bruto, et mihi.

cerenio agnosco, tamen est eiusmodi, ut cum huc casu quodam translatum putem. Nam ab ipso Cicerone hic intricatum nemo mihi persuaserit. Primum enim quaero, quomodo in mentem venire potuerit Attico, a Cicerone petere, ut aliquid scriberet, quum paulo ante Cicero tam se pollicitus esset, se aliquid scripturum, idque ille se expectaturum, nec nisi eius commodo exacturum dixisset? Deinde Atticus, avidissimus librorum a Cicerone scriptorum lector, dicere non poterat, se post libros de Republica nihil ab eo postea accepisse. Quid enim? Nam ille libros de legibus ignorabat? Deinde illa verba. *Sed illa quum poteris, atque ut possis rogo,* recte Ernestium offenderunt. Postremo ineptum erat addi. *n es animo vacuo*, ab eodem scilicet homine, qui paulo post dicturus erat, *quum te scremus esse vacuum* Quare omissis his legat mihi aliquis haec verba continua: *Itaque quoniam hic quod mihi debertur se exacturum professus est, quod huc debes, ego a te peto. Quidnam est id? inquam. Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de oratoribus, quando esse coepissent, qui etiam et quales fuissent*, et quae sequuntur, iudicetque, nonne omnia sic suavius procedant, aptiusque cohaereant.

Ad veterum annalium) Gn. 1, 2, *ad rerum naturalium*.

Sed illa quum poteris; atque ut possis rogo) Ernestius ad h. l. « Languidum scil. est, inquit, aliquem rogare ut possit. Scriba stultus sic fecit. Corrige *potes*. Nempe facetum est rogare, ut faciat, quemadmodum possit, iudicatque nil melius expectari posse, quam facere possit ». At in hoc genere rogandi equidem non video quid facetum sit. Praeterea ut *potes* h. l. abhorret a reliqua structura verborum. Deberet saltem esse: *ut poteris*. Itaque, si illa verba omnino a Cicerone scripta sunt, necesse est sic elata esse

Ego vero, inquam, si potero, faciam vobis satis.

Poteris, inquit: relaxa modo paulum animum, aut plane, si potes, libera.

6. Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus est sermo, quod erat a me mentio facta, causam Deiotari, fidelissimi atque optimi regis, ornatissime, et copiosissime a Bruto me audisse defensam.

Scio, inquit, ab isto initio tractum esse sermonem, teque Bruti dolentem vicem, quasi deflevisse iudiciorum vastitatem et fori.

Feci, inquam, istuc quidem, et saepe facio. Nam mihi, Brute, in te intuenti, crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis, et exquisita doctrina, et singularis industria. Quum enim in maximis causis versatus esses, et quum tibi aetas nostra iam cederet, fascesque summitteret, subito in civitate quum alia ceciderunt, tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit.

Tum ille, Ceterarum rerum causa, inquit, istuc et doleo, et dolendum puto; dicendi autem me non tam fructus, et gloria, quam studium ipsum, exercitatioque delectat: quod mihi nulla res eripiet, te praesertim tam studioso. Etenim dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. Quare qui eloquentiae verae dat operam, dat prudentiae, qua ne maximis quidem in bellis aequo animo carere quisquam potest.

Praeclare, inquam, Brute, dicis, eoque magis ista dicendi laude delector, quod cetera, quae sunt quondam habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis,

arbitror; q. d. rogo te ut possis, i. e. ne te posse dissimules.

Si potero) Ita scribendum esse opportune monuit Ernesti. Vulg. *si potuero*.

Aut plane) Bene sic emendavit Wetzelius. Vulg. *aut sane*.

qui se non aut posse adipisci, aut adeptum putet: eloquentem neminem video factum esse victoria. Sed quo facilius sermo explicetur, sedentes, si videtur, agamus.

Quum idem placuisset illis, tum in pratulo propter Platonis statuam consedimus.

7. Hic ego, Laudare igitur eloquentiam, et quanta vis sit eius, expromere, quantamque iis, qui sunt eam consequuti, dignitatem afferat, neque propositum nobis est hoc loco, neque necessarium. Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatur aliqua, sive exercitatione quadam, sive natura, rem unam esse omnium difficillimam. Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquaeque est ars ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximarum, quantam vim, quantamque difficultatem habeat, existimari potest. Testis est Graecia, quae quum eloquentiae studio sit incensa, iamdiuque excellat in ea, praestetque ceteris, tamen omnes artes vetustiores habet, et multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam haec est a Graecis elaborata dicendi vis, atque copia. In quam quum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, et quasi lucent Athenae tuae; qua in urbe primum se orator extulit, primumque etiam monumentis et literis oratio est coepta mandari. Tamen ante Periclem, cuius scripta quaedam feruntur, et Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed iam adultis fuerunt, litera nulla est, quae quidem ornatum aliquem habeat, et oratoris esse videatur. Quamquam opinio est, et eum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum, et paulo seniorem etiam Solo-

Expromere) Gu. 2, *exprimere*.
Qui sunt) Gu. 1, *qui sunt*
Hoc loco) Abest *loco* Gu. 1.
Hoc vero) Gu. 1, *Hoc ego*. Gu. 2 *Hoc vere*.

nem, posteaque Clisthenem, multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo. Post hanc aetatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspici, Themistocles fuit; quem constat quum prudentia, tum etiam eloquentia praestitisse; post Pericles, qui quum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. Cleonem etiam temporibus illis, turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse. Huic aetati suppares Alcibiades, Critias, Theramenes; quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidi scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves, et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.

Ex Thucydidi scriptis) Vulg. *Thucydidis*. « Romanum vero volumen *Ex Thucydidi scriptis*, quae mihi vera esse germanaque lectio videtur. Vitare voluit, opinor, asperum illum Cicero et insuavem concursum literarum et geminatum sibilum. Propterea *S* detraxit de illo *Thucydidis*; ut et alias interdum; velut post de M. Cethego loquens *ut quem deum in Periclì labris scripsit Eupolis sessitavisse*, et quae sequuntur. Nam praeterquam quod sic vetus habet exemplar, citat eodem modo semel atque iterum Politianus. Idem secundo de Oratore *omnes etiam tum retinebant illum Pericli sucum*. Sic est etiam in antiquioribus, ubi Hervagius *Periclis*. Et hic Cicero iucundioris soni sui causa *S* detraxit. Persius quoque Satira quarta: *Quo fretus dic hoc magni pupille Pericli?* Sic Verrina quarta Cicero quod Priscianus observavit *In Timarchidi potestate*, pro *Timarchidis*; qui tamen locus nunc corrupte legitur, non tam opinor incuria librariorum, quam temeritate sciolorum. Sic *Diocli* septima Verrina pro *Dioclis*. Idem ad Att. IX « Et odia improborum rursus in nos, quae iam extincta erant, incendamus et Luceii consilio ac *Theophani* persequamur ». Et iterum. « Ariarathes Ariobarzani filius Romam venit pro *Ariobarzanis* » Itidem Virgilius Acris *Oronti*, primo Aeneidos, pro *Orontis*. Terentius *Archonidi* pro *Archonidis* ut ante eum Plautus *Agathocli* et *Callicli* pro *Agathoclis*, *Calliclis*. Sic et Sallustius Ad bellum *Persi* Macedonicum, pro *Persis*, id quod Corona adnotavit, et Cicero (ut idem) *Filium ingenuum Verri* pro *Verris*. Consuesse veteres *S* literam huiusmodi genitivis detrahere, testatur (ut alios omittam) Priscianus». Hactenus lo. Rivius, cuius disputatio doctior est Ernestii arbitrio, qui sine causa negat sibi hunc archaismum placere.

Crebri sententiis) Guelf. 1, 2 *crebris sententiis*.

Compressione rerum breves) Sic Guelf. 1. Vulgo *compressione rerum*

8. Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata, et facta quodammodo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt. Nam Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus, in honore magno fuit, aliique multi temporibus eisdem. Ii docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur), dicendo fieri superior posset. Iis opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat. Huius ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri; primumque tum philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus, et malis, deque hominum vita, et moribus disputatur, inventa dicitur. Quod quoniam genus ab hoc, quod proposuimus, abhorret, philosophos aliud in tempus reiiciamus; ad oratores, a quibus degressi sumus, revertamur. Exstitit igitur iam senibus illis, quos paulo ante diximus, Isocrates, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo, meo quidem iudicio, est postea consequutus. Is et ipse scripsit multa praeclare, et docuit alios; et cum cetera melius quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen, et numerum quendam

breves. Iam Gesnerus in Thesauro L. L. v *Compressio*, coniecerat legendum esse *comprehensione* Eodem modo Cic. de Fin II, 20 dicuntur *breviter comprehensae sententiae*.

Nam Leontinus — temporibus eisdem Ii docere) Ita Schutz non monito lectore, an e Mss, an ex coniectura. Ceterum edd. omnes quas inspexi, lectionem a Victorio invectam exhibent *Tum Leontinus — in honore magno fuit, aliique multi temporibus eisdem docere se profitebantur*. Ed. T.

Causa inferior Guelf. 1 omissum *causa*

oportere servari. Ante hunc enim verborum quasi structura, et quaedam ad numerum conclusio nulla erat; aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quaesitam; quae forsitan laus sit; verumtamen natura magis tum, casuque nonnunquam, quam aut ratione aliqua, aut observatione fiebat. Ipsa enim natura constructione quadam verborum comprehendit, concluditque sententiam, quae quum aptis circumscripta verbis est, cadit etiam plerumque numerose. Nam et aures ipsae, quid plenum, quid inane sit, iudicant, et spiritu, quasi necessitate aliqua, verborum comprehensio terminatur; in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est.

9. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor, atque elegans, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere. Nam plane quidem perfectum, et in quo nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil (ut ita dicam) subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate, vel

Dedita opera) Non est quod hoc cum Schneidero abesse malis. Nam eo sublato et sententia debilior fieret, et numerus langueceret.

Quam aut ratione aliqua) Guelf. 1, 2 omittitur *quam*. Priscianus h. l. ita excitat *Verumtamen natura magis tunc, casuque nonnunquam, haud ratione aliqua aut ulla observatione fiebat*. In Victor. sic legitur *veruntamen natura magis, tunc casu nonnunquam quam aut ratione aliqua aut ulla observatione fiebat*.

Constructione) Victor. Camerar. *circumscriptione*.

Circumscripta) Guelf. 2 *conscripta*. Victor Camerar. *constricta*.

Et in quo nihil admodum desit) Vulgo, *et cui nihil admodum desit*. Guelf. 1, *et cui in quo nihil admodum desit*, quod Heusingero auctore praetulimus. Et sic iam ed Omnib. Cf. de Orat III, 4 extr. ubi dicitur *ut neque in Antonio deesset hic ornatus*.

Nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum) Gothofredi coniectura, *vel verborum granditate, vel sententiarum gravitate* admitti non potest, quia iam praecesserat, *nihil contra grande*.

sententiarum, quo quidquam esset elatius. Huic Hyperides proximus, et Aeschines fuit, et Lycurgus, et Dinarchus, et is, cuius nulla exstant scripta, Demades, aliique plures. Haec enim aetas effudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, succus ille, et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. Phalereus enim successit eis senibus adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quam palaestra. Itaque delectabat magis Athenienses, quam inflammabat. Processerat enim in solem et pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti, doctissimi hominis, umbraculis. Hic primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit; et suavis, sicut fuit, videri maluit, quam gravis, sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perstringeret; tantum ut memoriam concinnitatis suae, non (quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis) cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset audilus.

10. Videsne igitur, vel in ea ipsa urbe, in qua et

Aliique plures) Lambin. *aliique complures*.

Vt opinio mea fert) Guelf. 2, *ut opinio nostra fert*.

Non tam armis institutus, quam palaestra) Lambinus dedit *palestrae*. Sic Cicero rem ad quam institutus esset Demetrius designasset; nempe eum se exercuisse institutumque fuisse ad genus dicendi epidicticum, non ad forense, quemadmodum de Orat. I, cap. 18 *nitidum quoddam genus est verborum et laetum, sed palaestrae magis et olei, quam huius civilis turbae ac fori*. Praestat tamen altera lectio *palaestra*. Nam etiam paulo post Cicero de ipsa institutione Demetrii sen de eius ratione discendi ac studendi loquitur, quum dicit: *Processerat — non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti — umbraculis*. Itaque significat Demetrium non tam eloquentiam forensem, quam epidicticam didicisse.

Perstringeret) Hanc Guelf. 2 lectionem vulgatae *perfringeret* una cum Schneidero praeferendam iudicavi. Apte is comparavit locum cap. 93 *consulatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat*, i. e. pupugerat, recteque monuit, *aculeos*, qui paulo post h. l. memorantur, verbo *perstringere* potius convenire.

Vel in ea ipsa urbe) Optime ne

nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem? Siquidem ante Solonis aetatem, et Pisistrati, de nullo, ut diserto, memoriae proditum est. At hi quidem, ut populi Romani aetas est, senes; ut Atheniensium secula numerantur, adolescentes debent videri. Nam etsi Servio Tullio regnante viguerunt, tamen multo diutius Athenae iam erant, quam est Roma ad hodiernum diem; nec tamen dubito, quin habuerit vim magnam semper oratio. Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Vlyssi tribuisset Homerus, et Nestori (quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem), nisi iam tum esset honos eloquentiae; neque ipse poeta hic tam idem ornatus in dicendo, ac plane orator fuisset; cuius etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum; siquidem non infra superiorem Lycurgum fuit, a quo est disciplina Lacedaemoniorum astricta legibus.

11. Sed studium eius generis, maiorque vis agnoscitur in Pisistrato. Deinde hunc proximo seculo Themistocles insequutus est, ut apud nos, perantiquus; ut apud Athenienses, non ita sane vetus. Fuit enim regnante iam Graecia, nostra autem civitate non ita pridem dominatu regio liberata. Nam bellum Volscorum illud gravissimum, cui Coriolanus exsul interfuit, eodem fere tempore, quo Persarum bellum, fuit, similisque fortuna clarorum virorum. Siquidem uterque, quum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria, se ad hostes contulit, conatumque iracundiae suae morte sedavit. Nam etsi aliter est apud te, Attice, de Coriolano, concede tamen, ut huic generi mortis potius assentiar. At ille ridens, Tuo vero, inquit, arbitratu; quoniam quidem concessum est rhe-

emendavit Heusingerus. Vulg. *ut in* Ernesti delevit *ut*. *in ipsa urbe*, et sic Guelf. uterque.

toribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius. Vt enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. Nam, quem Thucydides, qui et Atheniensis erat, et summo loco natus, summusque vir, et paulo aetate posterior, tantum mortuum scripsit, et in Attica clam humatum; addidit, fuisse suspicionem veneno sibi conscivisse mortem: hunc isti aiunt, quum taurum immolavisset, excepisse sanguinem patera, et eo poto mortuum concidisse. Hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt: illa mors vulgaris nullam praebebat materiem ad ornatum. Quare, quoniam tibi ita quadrat, omnia fuisse in Themistocle paria et Coriolano, pateram quoque a me sumas licet; praebebo etiam hostiam, ut Coriolanus sit plane alter Themistocles. Sit sane, inquam, ut lubet, de isto; et ego cautius posthac historiam attingam, te audiente; quem rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum. Sed tum fere Pericles, Xantippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam, quae quamquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxagora physico eruditus exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses popularesque facile traduxerat. Huius suavitate maxime hilaratae sunt Athenae; huius ubertatem et copiam admiratae, eiusdem vim dicendi terroremque timuerunt.

Ad ornatum) Al. *ad ornandum*.

Et Coriolano) Lamb. *et in Coriolano* Verrus fortasse.

* *Huius suavitate maxime hilaratae sunt Athenae*) Quam hic suavitatem appellet, plane intelligitur e cap. 6 Partit. oratoriar. ubi suave genus dicendi fusius exponitur. Non repugnat igitur, quod Cicero Offic. I, 30 sit summam succinctionem Periclem esse consequutum sine ulla hilaritate. Hilaritas enim in iocis et facetiis spectatur, e quibus abhorrebat Periclis ingenium, Quare Plutarchus in eius vita, τὸν λόγον ὑψηλὸν εἶχεν, inquit, καὶ καθαρὸν ὀχλικῆς καὶ πανούργου βωμολοχίας, ἀλλὰ καὶ προσώπου σύστασις ἄθρυπτος εἰς γέλωτα. Quam h. l. suavitatem dixit Cicero,

12. Haec igitur aetas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nec enim in constituentibus rempublicam, nec in bella gerentibus, nec in impeditis, ac regum dominatione devinctis, nasci cupiditas dicendi solet. Pacis est comes, otiique socia, et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia. Itaque ait Aristoteles, quum, sublatis in Sicilia tyrannis, res privatae longo intervallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens, et controversiis nata, artem et praecepta Siculos, Coracem, et Tisiam conscripsisse. Nam antea neminem solitum via, nec arte, sed accurate tamen, et de scripto plerosque dicere; scriptasque fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quae nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, quum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset; quod iudicaret hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere. Huic Antiphontem Rhamnusium similia quaedam habuisse conscripta, quo neminem unquam melius

eum abiit de Orat. III, 34 *leporem* appellat.

Et controversiis nata) Ed. Omnib. aliisque, ut Victor *et controversa natura*. Vulg. ut Camerar *et controversa natura* quod Ernesti, si sanum esset, significare posse putabat, Siculos natura proclivem ad controversias fuisse. Atqui hic sensus, etsi verus et necessarius, nullo modo per Latinitatem verbis *controversa natura* exprimi potest. Itaque nihil melius est Iacobsii emendatione, per literas mecum communicata, quam in ordinem recipere nullus dubitavi. *Gens controversiis nata* recte dicitur ad controversias proclivis. Ceterum Schneiderus difficultatem vulgatae lectionis transpositione sublevabat, hoc modo *quum, sublatis in Sicilia tyrannis, res privatae longo intervallo controversiis et iudiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens natura, artem et praecepta Siculos—conscripsisse.*

Appellantur) Camerar. *appellabantur.*

Habuisse conscripta) Hactenus ex Aristotele retulit Cicero: sequentia *quo neminem*, ad Thucydidem auctorem referuntur. Locus est de bello Pelop. VIII, 68. Quae deinde sequuntur *nam Lysiam—transtulisse* rursus ex Aristotelis libro *de artibus Rhetorum* deprompta.

ullam oravisse capitis causam, quum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides. Nam Lysiam primo profiteri solitum artem esse dicendi; deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse. Similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur: sed, quum ex eo, quia quasi committeret contra legem, quo quis iudicio circumveniretur, saepe ipse in iudicium vocaretur; orationes aliis destitisse scribere, totumque se ad artes componendas transtulisse.

13. Et Graeciae quidem oratorum partus, artisque fontes vides, ad nostrorum annalium rationem, veteres; ad ipsorum, sane recentes. Nam antequam delectata est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa

Sed, quum ex eo—saepe ipse in iudicium vocaretur) Nam placet Ernestii coniectura *saepe ipse in invidiam vocaretur.* Si hoc Cicero voluisset, simpliciter scripsisset *in invidiam vocaretur.* Quia autem additur *saepe ipse*, respiciuntur verba *quo quis iudicio circumveniretur.* Ceterum nec Isocratis de ea re silentium, nec Plutarchi testimonium, qui hoc tantum Isocratem in iudicium vocatum esse scribit, ea valet, ut a vulgata h. l. lectione discedendum sit.

Quo quis iudicio circumveniretur) Gothofr. citat. lectionem *qua quis in iudicium circumveniretur.* Id hoc loco aptius videtur. *Iudicio circumvenire aliquem* est accusationem s. crimen conflare, qua ille condemnetur. Ita Cic. or. pro Cluent. c. 68 init. *In iudicio* autem *aliquis circumvenitur*, quum ei adversarium insidiis necetit, calumnia quadam, vel artibus illicitis.

Ad artes componendas) A Ms. Corradi uno itemque Lambini altero abeat *componendas.* Id autem recte defendit Ernestius, ut e Graeco expressum: siquidem etiam Plutarchus in Isocrate narrat auctores quosdam dicere αὐτὸν τέχνας συγγεγραφέναι.

Et Graeciae quidem oratorum partus artisque fontes vides) Vulgo legebatur *Et Graeciae quidem oratorum partus fontesque vides*, in qua scala quidem Ernestius sensit non bene convenire *partus* et *fontes*; minus feliciter autem postremum vocabulum in *foetus* mutandum censuit; qua tautologia nihil esset frigidius. Itaque potius correxi *artisque fontes.* Nam Cicero primum docuerat c. 10, 11, qui primi fuissent Graeciae oratores; deinde c. 12 artis rhetoricae fontem inde a Corace et Tisia repetierat.

iam memorabilia et in domesticis et in bellicis rebus effecerat. Hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedaemonium vero usque ad hoctempus audivi fuisse neminem. Menelaum ipsum, dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Brevitatis autem laus est inteedum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet. At vero extra Graeciam magna dicendi studia fuerunt, maximique huic laudi habiti honores illustre oratorum nomen reddiderunt. Nam ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam subtilitatem Atticae dictionis, et quasi sanitatem perderet, ac linguam paene dedisceret. Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes. Rhodii saniores, et Atticorum similiores.

Suspicari libet) Guelf. 1, 2, suspicari lubet.

Omnemque illam subtilitatem Atticae dictionis) Sic e coniectura Ernesti recepi. Vulgatam enim *omnemque illam salubritatem Atticae dictionis* ferri non potest, quia sequitur *et quasi sanitatem*. Victor. autem et Camerar. omissa copula edidit *quasi sanitatem*. Fieri tamen etiam potest, ut Cicero scripserit *omnemque illam sinceritatem*. Sic enim c. 35 de Catto *Nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nisi siccum atque sanum*. Lambinus vitia vulgatae sic medebatur, ut deleto *salubritatem* scriberet. *omnemque illam Atticae dictionis quasi sanitatem*.

* *Ac linguam paene dedisceret*) Vulgo, *ac loqui paene dedisceret*. At quum hic agatur de Asiatico genere dicendi, quod nimia verborum copia redundabat, dici non poterat, eo devenisse illorum oratorum eloquentiam, ut loqui paene dedisceret. Nam qui loqui dedidicit, is obmutescit. At illi ab Attico dicendi genere ad Asiaticum desciscebant, h. e. alia quadam quasi lingua loquentes, pristinam linguam dediscebant. Itaque pro *loqui* fidenter substitui *linguam*. Ceterum in Ed. Oxonib. *ac loqui paene desisceret*.

Sed de Graecia hactenus. Etenim haec ipsa forsitan fuerunt non necessaria.

14. Tum Brutus, Ista vero, inquit, quam necessaria fuerint, non facile dixerim: iucunda certe mihi fuerunt, neque solum non longa, sed etiam breviora, quam vellem.

Optime, inquam; sed veniamus ad nostros, de quibus difficile est plus intelligere, quam quantum ex monumentis suspicari licet. Quis enim putet aut celeritatem ingenii L. Bruto illi, nobilitatis vestrae principi, defuisse? qui de matre suavianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque coniecerit, qui summam prudentiam simulatione stultitiae texerit; aut eloquentiam? qui potentissimum regem, clarissimi regis filium, expulerit, civitatemque, perpetuo dominatu liberatam, magistratibus annuis, legibus iudiciisque devinxerit; qui collegae suo imperium abrogaverit, ut e civitate regalis nominis memoriam tolleret; quod certe effici non potuisset, nisi esset oratione persuasum. Videmus item paucis annis post reges exactos, quum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset, eumque montem, qui sacer appellatus est, occupavis-

* *Bruto*) L. Iunio Bruto, qui Marci filius fuit. Marcus vero Iunius, quum, ut auctor est Dionysius, duceret originem ab uno eorum, qui cum Aenea coloniam deduxerant in Italiam, et dives esset, dignus est iudicatus, cui Tarquinius Priscus Tarquiniam filiam uxorem daret: ex qua duos filios sustulit, M. Iunium, ut nos putamus, et L. Iunium, qui postea *Brutus* est appellatus; quod quum patrem primum, deinde Marcum fratrem, quod divites et prudentes essent, a Tarquinio Superbo et quidam avunculo suo interfectos intellexisset ne et ipse interficeretur, se stultum esse simulavit. Corr.

* *De matre suavianda*) Quum vox, inquit Livius, ex infimo specu sic reddita fuisset: *Imperium summum Romae habebit, qui vestrum primus, o iuvenes, osculum matri tulerit*: quumque Tarquinii de osculo matri suae ferendo cogitarent, L. Brutus alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset. Ibid.

Quum plebes) Gulf. *quum plebs*.

set, M. Valerium dictatorem dicendo sedavisse discordias, eique ob eam rem honores amplissimos habitos, et eum primum ob eam ipsam causam Maximum esse appellatum. Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuisse dicendo, qui, post decemviralem invidiam, plebem in patres incitatam legibus et concionibus suis mitigaverit. Possumus Appium Claudium suspicari disertum, quia senatum iamiam inclinatum a Pyrrhi pace revocaverit; possumus C. Fabricium, quia sit ad Pyrrhum de captivis recuperandis missus orator; Ti. Coruncanium, quod ex pontificum com-

* *L. Valerium Potitum*) P. Valerii, qui consul iterum Ap. Herdonium Capitolium tenentem obsedit, et interfectus fuit, filium et Publii Valerii Publicolae, qui reges eiecit, nepotem, ut docet Dionysius lib. XI, ubi scribit ille quidem hunc cognomine *Potitum* dictum fuisse; sed caussam nec ipse, nec alius, quem nos viderimus, refert. CORRADVS.

Mitigaverit) Lambin. *mitigarit.*

Revocaverit) Guelf. 1, Lambin. *revocarit.*

* *C. Fabricium*) Hic est C. Fabricius Luscinus, qui cum Q. Aemilio bis consul, et censor fuit, cui paupertas, quam negant alii se ferre posse, ut ait Cicero, tolerabilis fuit; et quidem ita, ut quum Samnites, quos universos in clientelam habebat, ad eum decem aeris, et quinque pondo argenti, totidemque servos misissent, ipse in Samnium, ut scribit Valerius, IV, 3, remiserit; illud quod refert Gellius I, 14 praefatus. sibi, dum membris, quae cupiditate moventur, obsistere atque imperare posset, nunquam quidquam defuturum. Hinc missus ad Pyrrhum regem, ut de redimendis captivis ageret, frustra, ut patriam desereret, ab eo tentatus est. Eius enim amicitiam et aurum, atque adeo quartam regni partem, ut scribit Eutropius, sprevit. Illud etiam Fabricii factum laudatur, de quo Cicero lib. III de Offic. ita scribit: *Perfuga a Pyrrho venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque eius factum a senatu laudatum est.* Cum Cicerone Livius, Eutropius, et Frontinus sentiunt, Quadrigarium, ut arbitror, sequuti: sed alii scriptores, paene omnes, dissentiunt. CORRAD.

* *T. Coruncanium*) Hic anno V. C. 473 consul cum P. Valerio Laevino fuit et primus ex plebe pontifex maximus creatus est, ut lib. XVIII refert Livius, qui tamen libro X scripserat, legem latam fuisse multo ante, ut quatuor pontifices de plebe adlegerentur: sed illi pontifices erant minores, hic pontifex maximus appellabatur. Hinc sunt illa Ciceronis verba in Orat. pro Domo: *Omnia ex Coruncanii scientia, qui peritissimus pontifex fuisse dicitur.*

mentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur; M' Curium, quod is tribunus plebis, interrege Appio Caeco, diserto homine, comitia contra leges habente, quum de plebe consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coëgerit; quod fuit permagnum, nondum lege Maenia lata. Licet aliquid etiam de M. Popilii ingenio suspicari, qui quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebei contra patres concitatione et seditione nunciata, ut erat laena amictus, ita venit in concionem, seditionemque quum auctoritate, tum oratione sedavit. Sed eos oratores habitos esse,

sata esse constaret. Hunc sapientem veteres iudicabant, ut in Laelio Cicero testatur; ubi illum cum Fabricio, et Curio etiam coniungit. Idem.

* *M' Curium*) Hic est Manius Curius, *Dentatus* appellatus, quod, ut ait Plinius, cum dentibus sit natus, vir ab omnibus scriptoribus magnopere commendatus: qui consul cum P. Cornelio Rufino, Samnitibus caesis, et Sabinis, qui rebellarant, victis, atque, ut Livius libro XI refert, in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphavit: ac consul iterum factus cum L. Cornelio Lentulo, quum delectum, ut Livius et Valerius scribunt, haberet, eius qui citatus non responderat, bona vendidit. Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reversum vicit, et Italia expulit, atque de illo triumphavit. Primus etiam, ut auctor est Eutropius, Romam quatuor elephantes duxit, Lucas boves tunc appellatos, quod in Lucanis tum primum visi fuissent. Extremum vero tempus aetatis in vita rustica consumpsit, ita quidem, ut agrum, quod ait Plutarchus in Catone, foderet: cui ad focum sedenti magnum auri pondus quum Samnites attulissent, repudiati sunt. Non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed iis qui haberent aurum, imperare. Idem.

Quod fuit permagnum) Guelf. 1, 2, Ed. Omnib. Camerar. *quod fuerit permagnum.*

* *Lege Maenia*) Lata a Maenio tribuno plebis, anno Vrbis 467, ut patres ante irrita a populo suffragia, fierent auctores eius rei, quam populus iussurus esset, neque adeo reprehendere comitia, hoc est, irrita facere possent. Vide Gronovium, Observ. I, 25, qui locum hunc Ciceronis egregie illustrat. Ernest.

* *M. Popilii*) Qui quater consul fuit, at in primo quidem et secundo consulatu Tiburtes vicit; in tertio vero cum Gallis bellum gessit, in quo etiam vulnus accepit, sed eos tandem quum vicisset, triumphavit; in quarto quum foris pax, et domi concordia esset, nihil, quod magni fuerit momenti, gessit. Popilii autem erant plebeii, ut Livius ostendit, vel de hoc M. Popilio illa verba scribens. *M. Popilius Laenas e plebe consul, a patribus L. Cornelius Scipio datus.* Et

aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse, nihil sane mihi legisse videor; tantummodo coniectura ducor ad suspicandum. Dicitur etiam C. Flaminius, is, qui tribunus plebis legem de agro Gallico et Piceno viritim dividendo tulit, qui consul apud Trasimenum est interfectus, ad populum valuisse dicendo. Q. etiam Maximus Verrucosus orator habitus est temporibus illis; et Q. Metellus, is, qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit.

15. Quem vero exstet, et de quo sit memoriae proditum, eloquentem fuisse, et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est au-

Paterculus P. Laenatem tribunum plebis vocat. Conrad.

* *C. Flaminius*) C. Quintius Flaminius. Fuit enim ex Quintiis, quos scribit Livius a Tullo rege in patres lectos, quum inter Albanorum principes essent, unde postea semper ea gens patricia fuit; in qua, quod refert Plinius, aurum ne feminas quidem habere mos fuit, tantum aberat, ut viri haberent. Quintia gens, inquam, fuit patricia: sed quum Flaminius hic dicatur tribunus plebis, apparet vel eam duplicem, patriciam et plebeiam, vel eum ex alia gente potius fuisse. Id.

Q. etiam Maximus Verrucosus) Lamb. *Q. etiam Fabius Maximus Verrucosus.*

* *Q. etiam Maximus*) Q. Fabius Maximus Verrucosus, Ovicula, Cunctator. Fabios patricios fuisse cum veterum monumenta paene omnia, tum Livius lib. II saepe testatur. *Verrucosus* autem dictus est a verruca in labris, ut ait auctor libelli de Viris Illustr. A Plutarcho vero scribitur Βερρούκωσος, quod in superiore labro verruculam haberet. *Ovicula* dictus est a clementia, ut inquit idem auctor de Viris Illustr. et Plutarchus. *Cunctator* autem, quod, ut inquit Ennius, *unus homo nobis cunctando restituit rem.* Conrad.

* *Q. Metellus*) Quintus Caecilius Metellus. Caeculus enim Praeneste condidit, unde putant Caecilius ortos, quorum erat nobilis apud Romanos familia. Alii aliter sentiunt. Hic autem Q. Caecilius Metellus aedilis cum C. Servilio, legatus cum L. Veturio M. Livii et C. Claudii consulum, magister equitum eiusdem M. Livii Dictatoris; consul cum eodem L. Veturio, dictator comitiorum causa, ac tandem decemvir apud Livium cognoscitur. Plura invenire non potuimus, quamvis etiam diligenter quaesiverimus. Itaque ne scire quidem potuimus, quare orator sit habitus. Idem.

Quem vero exstet) Camerar. *qui vero extet.*

* *Cethegum*) Is est M. Cornelius Cethegus, qui censor ante consulatum fuit, deinde consul Etruriam provinciam sortitus est; postremo proconsul in Gallia cum Magone collatis

etor, et idoneus quidem, mea sententia, Q. Ennius, praesertim quum et ipse eum audiverit, et scribat de mortuo; ex quo nulla suspicio est, amicitiae causa esse mentitum. Est igitur sic apud illum in nono (ut opinor), annali:

Additur orator Cornelius' suaviloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega,
Marci filius; — —

et oratorem appellat, et suaviloquentiam tribuit; quae nunc quidem nulla est in plerisque; latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur. Sed est ea laus eloquentiae certe maxima.

— — is dictus popularibus olim,
Qui tum vivebant homines, atque aevum agitabant,
Flos delibatus populi,

Probe vero. Vt enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, quae virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt.

— — Suadaeque medulla.

Πειθὼ quam vocant Graeci, cuius effector est orator,

signis feliciter pugnavit: quae quidem omnia tu apud Liv. xxvii, xxix et xxx invenies. Horatius poeta Cethegos *cinctutos* appellat, quod is mos esset Cethegis, ut cincti et paene nudi in bellum proficiscerentur, unde Lucanus et Silius eos nudos et exsertos vocarunt. CORRAD.

Et idoneus quidem, mea sententia) Ed. Omnib. *et idoneus, mea quidem sententia*, verius fortasse.

Quae nunc quidem nulla est in plerisque) Verissime sic emendavit Henningerus. Vulg. *quae nunc quidem non tam est in plerisque*.

Aevum agitabant) Ed. Omnib. *aevum agebant*.

**Flos delibatus*) I. e. exquisitus, ut merum sit hoc verbum coniecturis sollicitatum fuisse, quorum alia alia futilior est. Merula *illibatus*, alius nescio quis, *delibutus*, Verburgius (quod vix homini sano in mentem venire potuisse putes) *delibratus*; nuper Purgoldus *delicatus* proposuit, iambum sic pro spondeo hexametro obtrudi nescius.

Suadaeque medulla) Ita scripsit Ennius, non *et suada medulla*, ut vulgo legitur apud Gellium Noct. Att. lib.

hanc *Suadam* appellavit Ennius; ut, quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse, huius hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, quaestorque his consulibus M. Cato, modo plane annis CLX ante me consulem, et id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas, ut alios fortasse multos, oblivione obruisset. Illius autem aetatis qui sermo fuerit, ex Naevianis scriptis intelligi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus; quamquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Naevii producit longius. Nam Plautus P. Claudio, L. Porcio consulibus, viginti annis post illos, quos ante dixi, consules mortuus est, Catone censore.

16. Hunc igitur Cethegum consequutus est aetate Cato, qui annis IX post eum fuit consul. Eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio, M' Manilio consulibus mortuus est, annis LXXXIII ipsis ante me consulem. Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem

XII, cap 2 ubi Senecae iudicium de his versibus carpit.

In Periclis labris) Victor *in Periclis labris*, recitius.

Scripsit Eupolis) In versiculis ex eius comoedia Δῆμοι ab Aristophanis Scholiaste ad vs. 529 Acharnensium servatis. Κράτιστος οὗτος ἐγένετ' ἀνθρώπων λέγειν· ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ 'γαθοὶ δρομῆς Ἐκκαίδεκα ποτε λέγων ὑπερῄρει ῥήτορας· Ταχὺς λέγειν μέν, πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν. Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις. Hos versus respexit Cicero de Orat III, 34 *cuius in labris veteres comici, etiam quum illi maledicerent* (*quod tum Athenis fieri licebat*) *Leporem habitasse dixerunt, tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret.* Quo in loco tamen vix credibile est Ciceronem Πειθὼ latine *Leporem* reddere voluisse. Fortasse alius Comicus Eupolidem imitatus Χάριν in Periclis labris sedisse dixerat, nisi forte Ciceronem ibi memoria fefellit. Ceterum cf. Quintil X, 1, 82; Plin Epp. I, 20, 7 ed. Gesn.

scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho, et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant. Et hercules hae quidem exstant; ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam. Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt; falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et a plebe transitiones, quum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus; ut, si ego me a M' Tullo esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul, anno x post exactos reges fuit. Catonis autem orationes non minus multae fere sunt, quam Attici Lysiae; cuius arbitror plurimas esse. Est enim Atticus, quoniam certe Athenis est et natus, et mortuus, et functus omni civium munere; quamquam Timaeus eum, quasi Licinia et Mucia lege, repetit Syracusas. Et quodam modo est nonnulla in iis etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves; sed ille Graecus ab omni laude felicior. Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur; quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectet. Quamquam in Lysia sunt saepe etiam lacerti,

Et a plebe transitiones) Recte sic Lambin. Ernestiusque correxit vulg *et ad plebem transitiones.*

In alienum) Guelf. 1, *in alienum.*

A M' Tullo) Sic emendavit Heusingerus. Vulg. *a M' Tullio.*

Patricius cum Servio Sulpicio consul) Sic recte Guelf. 1, 2. Victor. Vulgo *consule*, male.

Non minus multae fere sunt) Optime sic Guelf. 2 et Victor. Vulg. *non minus multae verae sunt.* In Gu. 1 est simpliciter *non minus multae sunt.*

Et quodam modo est nonnulla in iis, scil. orationibus, *inter ipsos*, Lysiam et Catonem *similitudo.* Eam Atticus non concedit c. 85

Delectet) Guelf. 1, 2, *delectat*, quod non spreverim, modo paulo ante etiam r. ponas consectantur.

sic ut fieri nihil possit valentius; verum est certe genere toto strigosior. Sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa eius subtilitate admodum gaudeant.

17. Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino? At quem virum? dii boni! mitto civem, aut senatorem, aut imperatorem; oratorem enim hoc loco quaerimus; quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententia argutior? in docendo edisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta (quas quidem adhuc invenerim, et legerim) et verbis, et rebus illustribus. Licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint, omnes oratoriae virtutes in eis reperientur. Iam vero Origines eius quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis iam ante seculis et Philisto Syracusio, et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis, offecit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae: sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum

Sunt saepe etiam) Gu. 1, *sunt etiam saepe.*

Concisae sententiae, interdum etiam non satis apertae) Quae vulgo hic adduntur: *cum brevitate tum nimio acumine*, ea iam Rivius delenda censuit. Nec dubium est ea hic a grammatici notatione irrepsisse. Lambinus tamen ea duobus codd. Mss. abesse testatur. Itaque eiecimus.

Offecit) Vulg. *officit*. Sed praeteritum requiritur, quum paulo post sequatur *obstruxit*.

Offecit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae) Post haec verba adduntur in omnibus editionibus ista: *quod idem Lysiae Demosthenes*, in quibus manifesto mihi visus sum interpolatoris cuiusdam vestigia deprehendere. Primum enim in Lysia nec concisae sententiae neque non satis apertae occurrunt, quibus, ut Theopompus Thucydidi, Demosthenes potuerit officere. Deinde paulo ante dictum erat, Lysiam suos laudatores habere, hic autem Catoni, ut Philisto et Thucydidi, amatores deesse dicitur. Accedit quod paulo post Cicero eos reprehendat, qui Lysiam et Hyperidem ament, Catonem fastidiant; unde perspicitur illam parenthesin, *quod idem Lysiae Demosthenes*, plane a Ciceronis consilio abhorrere. Itaque religio mihi fuit ei diutius in textu locum iniuria occupatum concedere.

Posteriorum) Ed. Omnib. *posterorum*. Sed vulgatum recte alius fo-

quasi exaggerata altius oratio. Sed et in nostris inscitia est, quod ii ipsi, qui in Graecis antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone ne noverunt quidem. Hyperidae volunt esse et Lysiae. Laudo. Sed cur nolunt Catones? Attico genere dicendi se gaudere dicunt. Sapienter id quidem. Atque utinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam sanguinem! Gratum est tamen, quod volunt. Cur igitur Lysias et Hyperides amatur, quum penitus ignoretur Cato? Antiquior est huius sermo, et quaedam horridiora verba; ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros; et aptior sit oratio; ipsa verba compone, et quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt; iam neminem antepones Catoni. Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos ap-

eorum exemplis e Cicerone excerptis defendit Rivius.

Sed et in nostris inscitia est) Prudenter intellexit Hensingerus, particulam *et* h. l. otiosam esse; idque vel simpliciter delendum, vel reponendum *sed in nostris inscitia est*. In ed. Omnib. legitur *sed et in nostris inscitia est*, *et quod ipsi* —

Ne noverunt quidem) Sic Lambinus edidit. Vulgo *non noverunt quidem*. Heusingerus coniecit *hanc in Catone non noverunt*. *Quod Hyperidae volunt esse et Lysiae*, *laudo*.

Sed cur nolunt Catones) Optime sic Lambinus. Vulgo male *Sed cur nolunt Catonis*, quod habet etiam Gu. uterque.

Atque utinam imitarentur, *nec ossa solum*, *sed etiam sanguinem*) Ernestio videbatur hic verbum aliquod excidisse, quia *imitarentur* minus *et sanguini* non bene conveniret. Heusingerus ita explicabat. *Atque utinam imitarentur Atticum dicendi genus*, *nec quod ad ossa solum*, *sed etiam quod ad sanguinem attinet*. Schaeiderus non male ad pictoris similitudinem retulit, formam corporis, in eoque non ossa solum, sed etiam sanguinem imitantis.

Et adde numeros, *et aptior sit oratio*) Rescribendum *et adde numeros*, *ut aptior sit oratio*; quod Ernestii offert e Ms. Reg. et sine causa demsit; nimirum ex numeris praesertim in conclusione sententiarum aptae exoritur genus orationis. Cf. orat. c. 50 sqq. Hoc illud iam ait apud antiquos, ut apud Catonem, non fuisse. *Nam et verba eligebant et sententias graves et suaves reperiebant*; *sed eas aut vinciebant aut explebant parum*.

Ipsa verba compone, *et quasi coagmenta*, *quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt*) Significat Catonem nondum satis diligentem fuisse in componendis et struendis verbis,

pellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα. Non verisimile est, quam sit utroque genere crebro distinctus Cato.

18. Nec vero ignoro, nondum esse satis politum hunc oratorem, et quaerendum esse aliquid perfectius; quippe quum ita sit ad nostrorum temporum rationem vetus, ut nullius scriptum exstet dignum quidem lectione, quod sit antiquius. Sed maiore honore in omnibus artibus, quam in hac una dicendi, versatur antiquitas. Quis enim eorum, qui haec minora animadvertunt, non intelligit, Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi; nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen, quae non dubites pulcra dicere; pulcriora etiam Polycleti, et iam plane perfecta, ut mihi quidem videri solent. Similis in pictura ratio est, in qua Zeuxim, et Polygnotum, et Timanthem, et eorum, qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus, formas et lineamenta laudamus; at in Echione, Nicomacho, Protogene, Apelle, iam perfecta sunt omnia. Et nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat: nihil est enim simul et inventum, et perfectum; nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poetae; quod ex eis carminibus intelligi potest, quae apud il-

ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus esset, sed *quodammodo coagmentatus et laevis*, quae sunt Ciceronis verba lib. III de Orat. c. 43, quocum comparandum est Oratoris ad M. Brutum c. 44, 45

Quam sit utroque genere crebro distinctus Cato) Victor. *quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato.*

Quam in hac una dicendi) Guelf. 1, 2 *quam in hac una arte dicendi.* Ed. Omnib. *quam in una hac arte dicendi.*

At in Echione) Vulg. *Aëtione.* At iam Lambinus ex Rivii coniectura edidit *Echione* Ed. Venet. Omnib. *Echione*. Cod. Palat. et Guelf. *Etione*. Gu. 1, *Mentione*. De *Echione* pictore loca veterum collegit Iunius in Catalogo artificum.

lum, et in Phaeacum, et in procorum epulis canuntur. Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

— — quos olim Fauni, vatesque canebant,
Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat . . . .
Ante hunc . . . .

ait Ennius ipse de se; nec mentitur in gloriando. Sic enim se res habet. Nam et Odyssea latina est Livii tanquam opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae, non satis dignae, quae iterum legantur. Atque hic Livius primus fabulam, C. Clodio Caeci filio et M. Tuditano consulibus, docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quartodecimo et quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequimur. Est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Attius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarento scripsit Livium, annis xxx post, quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit, et nos in antiquis commentariis invenimus; docuisse autem fabulam annis post xi C. Cornelio, Q. Minucio consulibus, ludis

Quos olim Fauni) Sunt versus Ennii, quorum partem etiam laudat Orat. c. 51. Verba *Fauni vatesque canebant* Quintilianus affert Inst. or. IX, 4, 115.

Ait Ennius ipse de se) Vulgo abest nomen Ennii. Sed quum antea nominatus non esset, Cicero non potuisset nomine suppresso simpliciter dicere: *ait ipse de se*.

* *Nam et Odyssea latina est Livii tanquam opus aliquod Daedali*) Vulgo *nam et Odyssea latina est sic tanquam* o. a. *D.* In Gu. 1 et edit. Venet. est: *nam et Odyssea latina est sic tanquam opus aliquod Daedali*. Certum est in ea in latere nomen Livii. Cicero Ennii dictum hoc ratione comprobat, quod quae Livius Andronicus ante eum scripsisset, satis rudia et impolita fuerint. Nam et Odysseam Latinam Livii eiusmodi esse, ut cum rudibus illis Daedali statuis comparari possit, et Livianas fabulas non satis dignas esse, quae iterum legantur.

Primus fabulam) Victor. *qui primus fabulam*.

Ludis Iuventatis) Verum hanc lectionem primus e Ms eruit Victorius. Antea enim corrupte edebatur *ludis Lusitaniae*. Res narratur apud Livium lib. XXXVI, c. 36 his verbis: *Item Iuventatis aedem in Circo maximo C. Licinius Lucullus duumvir dedicavit. Voverat eam sexdecim annis ante M.*

Iuventatis, quos Salinator Senensi proelio voverat. In quo tantus error Attii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit; cui quum aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Naevius.

19. Haec si minus apta videntur huic sermoni, Brute, Attico assigna, qui me inflammavit studio illustrium hominum aetates et tempora persequendi. Ego vero, inquit Brutus, et delector ista quasi notatione temporum, et ad id, quod instituisti oratorum genera distinguere aetatibus, istam diligentiam esse accommodatam puto. Recte, inquam, Brute, intelligis. Atque utinam exstarent illa carmina, quae multis seculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato! Tamen illius, quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius, bellum Punicum, quasi Myronis

Eamus consul, quo die Hasdrubalem exercitumque eius cecidit; idem censor eam faciendam locavit M. Cornelio, P. Sempronio Coss. Huius quoque dedicandae causa ludi facti. (nempe A. V. 561.) Sed si verum est quod Attius narravit, hi ludi Iuventatis iam anno 556, quo anno C. Cornelius et Q. Minucius Coss. erant, habiti fuerint necesse est.

* *Quos Salinator Senensi proelio voverat*) Proelio apud Senam, quo M. Livius Salinator (ita dictus tribus annis post consulatum, quod vectigal salis commentus erat. Liv. XXIX, 37), et C. Claudius Nero Hasdrubalem vicerunt. A. V. C. 546; Liv. lib. XXVII, c. 46 sqq. Nam Victorii error, qui *Senonensi proelio* legendum putabat, dudum a viris doctis, in primis Camerario, correctus est.

Cui quum aequalis fuerit Livius) Ed. Omnib. *quod aequalis fuerit Livius*. Malim cum Schneidero: *cui si aequalis fuerit Livius*, nam Cicero negat Livium Ennio aequalem fuisse. Omnino totus hic locus non satis cohaeret; aptius inter se necterentur sententiae, si legeretur *In quo tantus error Attii fuit, ut quum his consulibus 40 annos natus Ennius fuerit, et si aequalis fuit Livius, minor fuerit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, Plautus et Naevius.*

Et Plautus et Naevius) Prius et melius abfuerit.

Annumerat) Sic Gu. 1, 2. Vulg. *enumerat*.

Illius — bellum Punicum) Quod

opus, delectat. Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior; qui si illum, ut simulat, contemneret, non, omnia bella persequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum, reliquisset. Sed ipse dicit, cur id faciat:

— — — — scripsere, inquit, alii rem
Versibus — — —

et luculente quidem scripserunt, etiam si minus, quam tu, polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naevio vel sumsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti.

20. Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus, qui cum superiore Africano consul

Naevius versibus Saturnus descripserat.

Reliquisset) Schneiderus ante hoc verbum putabat excidisse *intactum*, quia *relinquere* non dicatur pro *omittere*. Attamen Cicero Verr. III, c. 44 dixit. *quae nunc ego omnia praetereo atque relinquo*, i. e. omitto. Et sic infra c. 45 init.

* *C. Flaminius*) Is qui A. V. C. 536 cum Cn. Servilio Gemino Cos. fuit. Supra memoratur c. 14.

* *C. Varro*) C. Terentius Varro, qui, ut ait Livius lib. XXII, c. 25 loco non humili solum, sed etiam sordido natus est. Patrem lanium fuisse ferunt, ipsumque institorem mercis, filioque hoc ipso in servilia eius artis ministeria usum. Is iuvenis, ubi ex eo genere quaestus pecunia a patre relicta animum ad spem liberalioris fortunae adiecit, Cos. cum L. Aemilio Paulo factus apud Cannas culpa sua vires populi Romani, ut ait Val. Max. exhausit. Corr.

* *Q. Maximus*) Idem qui supra c. 14 addito cognomine *Verrucosus* nominabatur, alim *Ovicula*, item, quod notissimum, *Cunctator* dictus. Idem.

* *Q. Metellus*) Q. *Caecilius Metellus*, aedilis cum C. Servilio, legatus cum L. Veturio M. Livii et C. Claudii consulum, magister equitum eiusdem M. Livii dictatoris, consul cum eodem L. Veturio, dictator comitiorum causa ac tandem decemvir. Idem.

* *P. Lentulus*) P. Cornelius Lentulus Caudinus, qui cum Licinio Varrone A. V. C. 517 consul fuit. Nullus enim praeter eum fuit iis temporibus, qui consul, minor natu Catone fuerit, et P. Lentulus sit dictus. Duos quidem P. Lentulos apud Livium, sed praetores agnoscimus. An vero Cicero hic inter tot consulares praetorium nominarit, dubitari ut potest, ita verisimile non videtur. Id.

* *P. Crassus*) P. Licinius Crassus, Dives, Pontifex Maximus, qui quum ante nec praetor, nec consul fuisset, magister tamen equitum, et censor est factus. Ex aedilitate enim

fuit. Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse. Filius quidem eius, is, qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptavit, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. Indicant cum oratiunculae, tum historia quaedam Graeca, scripta dulcissime. Numeroque eodem fuit Sex. Aelius, iuris quidem civilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus. De minoribus autem, C. Sulpicius Gallus, qui maxime omnium nobilium Graecis literis studuit, isque et oratorum in numero est habitus, et fuit reliquis rebus ornatus atque elegans. Iam enim erat unctior quaedam splendidiorque consuetudo loquendi. Nam, hoc praetore ludos Apollini faciente, quum Thyestem fabulam docuisset,

gradum ad censuram fecit; sed quum L. Veturius collega decessisset, censura se abdicavit, cui postea praetori facto provincia peregrina evenit (Liv. XXVII, 22). Hunc Cicero in Cat. mai. pontificii et civilis iuris fuisse peritissimum ostendit. Quin vero Dives hic etiam sit appellatus, qui veterum monumenta viderit, dubitare non poterit. In.

Qui cum superiore Africano consul fuit) A. V. C. 547, Liv. XXVIII, 38.

* *Ipsum Scipionem*) Eundem quem modo *superiorem Africanum* appellaverat.

* *Filius quidem eius*) P. Cornelius Scipio, quem Velleius Paterc. I, 10 ait nihil ex paterna maiestate praeter speciem nominis, vigoremque eloquentiae retinuisse. Cf. Cic. Cat. mai. c. 11.

Dulcissime) Gu. 2, *delicatissime*.

Numeroque eodem) Ed. Omnib. *numeroque eorum*.

Sex. Aelius) Est *Sex. Aelius Catus*, de quo agit Orat. I, 45, 56; III, 33.

De minoribus autem C. Sulpicius Gallus, qui maxime omnium) Ernestio videbatur delendum *qui*, quo olim in *de minoribus autem C. S. Gallus* intelligendum foret *fuit* e superioribus. *Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt*, quod ei durissimum videbatur, quum iam multa interposita sint, et sit novi generis initium. At enim illud *fuit* e proxime antecedentibus, *Numeroque eodem fuit Sex. Aelius*, repeti potest. Etiam Gu. 1, 2 habent *qui maxime*.

Unctior) Gu. 1, 2, *iunctior*. Sed ut coena unctior est i. q. lautior, sic *unctior* consuetudo loquendi est exquisitior atque ornatior.

* *Ludos Apollini*) Haec sunt verba ex carminibus Marcii vatis a Livio lib. XXV relata: *Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant: quum populus dederit ex publico partem, privati uti conferant pro se suisque. Iis ludis faciendis praeerit praetor is, qui ius populo plebique dabit summum.* Q. igitur Fulvio Flacco et App. Claudio Pulchros consulibus, id est, anno ab V. C. 542, ludi Apollinares a P. Cornelio

Q. Marcio, Cn. Servilio consulibus, mortem obiit Ennius. Erat eisdem temporibus Ti. Gracchus, P. filius, qui bis consul et censor fuit, cuius est oratio Graeca apud Rhodios; quem civem cum gravem, tum etiam eloquentem constat fuisse. P. etiam Scipionem Nasicam, qui est *Corculum* appellatus, qui item bis consul et censor fuit, Publii illum, qui sacra accepit, filium, habitum eloquentem dicunt; etiam L. Lentulum, qui

Sylla praetor urbis primum fecit: inde omnes deinceps praetores urbani fecerunt; sed in annum annum vovebant, dieque incerto faciebant. Consulibus vero M. Claudio Marcello, et T. Quintio Crispino, id est anno ab V. C. 546, P. Licinius Varus praetor urbis legem ferre ad populum iussus est, ut hi ludi in perpetuum in statum diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ante diem ter. Non. Quint. Is dies deinde solemnis servatus est. Corradvs.

* *Ti. Gracchus — quem civem cum gravem, tum etiam eloquentem constat fuisse*) Repugnare videtur quod Scaevola dicit de Orat. I, 9: omnium mihi videor — eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens, et saepe alias et maxime censor saluti reip. fuit. Sed ibi Scaevola loquitur, cupiens nimius eloquentiae laudibus detrahere. Itaque quum deberet dicere *mediocriter eloquens*, exaggerando eumdicit *haudquaquam eloquentem fuisse*, ac fortasse illa *haudquaquam eloquens* est ab interpolatore. Certe quia sequitur: *Atque is non accurata quadam orationis copia*, melius abfuisset *haudquaquam eloquens*; cui enim non sabiudicata omnis eloquentia, eum accurata quadam orationis copia uti

haud potuisse superfluum est addicere.

* *Tib. Gracchus*) Hic est Tiber. Sempronius Gracchus, qui magnam laudem est adeptus, quod tribunus plebis solus ex toto illo collegio L. Scipioni fuit auxilio, inimicissimus et ipsius et fratris eius Africani. Corr.

* *Publii illum, qui sacra accepit, filium*) Vulgo: *M. filium illius, qui sacra acceperat, filium dicunt*, in quo Ernesti delevit, ut iam Gulielmius suaserat. In Gu. r est *eloquentem inde autrut illius*, corrupte. (Sic exscripsit Heusingerus. At Schneiderus citat *inde aurorum illius*.) «Pighius vero ad Annal. 579 corrigebat *Publii illius, qui sacra accepit, filium habitum eloquentem dicunt*. Ernestiana clavis M. Scipionem P. Nasicae eius, qui sacra acceperat, filium ex solo hoc loco retulit; eadem P. Scipionem Cn. F. L. N. qui optimus de toto populo iudicatus est, et sacra Matris Deûm manu sua accepit, patrem facit Publii Scipionis Nasicae, qui Corculum est appellatus. Quae mihi doctrina errore vacare non videtur. Quid enim? Si P. Scipio, is qui sacra accepit, fuit pater P. Scipionis Corculi, atque item M. Scipionis, de quo vulgaris lectio in Bruto meminit, cur Cicero M. hunc Scipionem non fratrem potius Scipionis Corculi vocavit? Contra pa-

cum C. Figulo consul fuit; Q. Nobiliorem, M. filium, iam patrio instituto deditum studio literarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militaverat, civitate donavit, quum triumvir coloniam deduxisset; et T. Annium Luscum, huius Q. Fulvii collegam, non indisertum dicunt fuisse. Atque etiam L. Paullus, Africani pater, personam principis civis facile dicendo tuebatur; et vero etiam tum Catone vivo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e vita, quum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam, ad populum summa contentione dixisset; quam etiam orationem scriptam reliquit.

21. Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam et A. Albinus, is, qui graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo

trem M. Scipionis Cicero aperte distinguere videtur a patre Scipionis Corculi his verbis *M. alium illius, qui sacra accepit, filium*, quum statim de Scipione Corculo antea dixisset. Quid dicam, inepte *alium Marcum* dici, quem rectius debebat Cicero sic *Marcum item* (Scipionem) *illius qui — filium*. Quare mihi perplacet emendatio Pighiana. » — Hactenus Schneiderus in ep. ad Langerum, qui Ernestii errorem recte castigavit, vulgatamque lectionem incommode dilucide explicuit. Itaque tantum h. l. de Pighii sententia mutavi. Nondum tamen eius opera Ciceronianum plane restitutam esse opinor. Nam eum infinite scripsisse *qui sacra accepit*, mihi quidem nemo persuadebit. Itaque Pighii emendationi aliquid addendum videtur, totusque locus sic restituendus *P. etiam Scipionem Nasicam, qui est Corculum appellatus, qui item bis consul et censor fuit, P. illius, Idaeae matris qui sacra accepit, filium, habitum eloquentem.* Illud IDAEAE MATRIS latere videtur in corrupta scriptura Gu. 1, INDE AVTRIT. Certe non magis hic Cicero simpliciter scribere potuit, *qui sacra accepit*, quam Cat. Mai. c. 13, pro Catonis verbis: *sodalitates autem me quaestore constitutae sunt, sacris Idaeis magnae matris acceptis*, infinite scribere potuisset *sacris acceptis*. Ceterum de sacris Idaeae matris Pesinunte Romam delatis, et a P. Scipione, quem in tota civitate senatus virum omnium optimum iudicaverat, solemni ritu accepta, longa est narratio Livii XXIX, 14.

Et vero etiam) Bene hoc Ernestius pro vulg. *at vero etiam* substituit.

Contra Ser. Galbam) Eius orationis fragmentum servavit Gellius Noct. Attic. XIII, 24.

[a] *Graece scripsit historiam*) In cuius principio veniam petit, si Ro-

fuit, et literatus et disertus fuit; et tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fulvius, et una Ser. Fabius Pictor, et iuris et literarum, et antiquitatis bene peritus. Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus. Nam Q. Metellus, is, cuius quatuor filii con-

manus homo minus eleganter Graece scripsisset. quam quum legisset M. Cato, Nae tu, inquit, Aule, nimium nugator es, qui maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Hoc apud Gellium lib. XI, c. 8, et Macrob. lib. I Saturn. leges. CONRAD.

Ser. Fabius Pictor) In Palat. est *Servis*, in Cuiac. *Servius*. Guhelm. malebat *Sextus*. In Gu. est *Seuius*. Quidam *Servilianus* corrigentem refellit Vossius de histor. lat. I, 3. Nicol. Cisnerus in Praef. ad alterum Patem opp. Fr. Duncem corrigebat *Quintus*, quia Servii nomen in gente Fabia sit insolens, quod etiam Corradus admonuit. Sed longe abire libere monet Vossius I, 7, qui nihil mutandum censet, quum nimis proi ei ex Victorium familiar. epist. stut. (SCHWARZER. Epist. ad Langerum p. 22.)

* *Fabius Pictor*) Qui fuerit, no Consules quidem Bruti explanator exposuit. Quamobrem, et de hoc quod sentimus, aperiamus. Fuerunt igitur tres Pictores, qui literarum, et quidem antiquitatis cognitione floruerint, Q. Fabius Pictor, N. Fabius Pictor, et Ser. Fabius Pictor. Q. Fabius omnium antiquissimus bello Gallico Cisalpino, ut ait Orosius, et post Punico bello, ut inquit Livius, interfuit. Ex eius Annalibus Latinis Gellius lib. V, cap. 4 testimonium profert. Idcirco autem *latinis* additi, ut eos eodirgerem, quia hunc Q. Fabium Graece scripsisse existimarent, in ipso alterius Fabii Pictoris, praenomine *Numerii*, similitudine, ut credo, decepti sunt. cuius meminit Cicero in lib. I de Divinat. c. 21. Serv. autem Fabius Pictor, quem *iuris et antiquitatis bene peritum* vocat Cicero, is est, cuius meminit Macrobius lib. III: *Primo*, inquit, *pontifici iuris libro apud Pictorem hoc verbum positum est*, *Vitulari*. Et Nonius: *Fabius Pictor rerum gestarum libro primo . . . Idem iuris pontifex libro tertio . . .* Quibus in verbis illud esse peccati puto, quod *pontifex* pro *pontificii* scriptum sit. Quare quum dixit Cicero, eum antiquitatis bene peritum esse, libros eius rerum gestarum intellexit, quum *iuris*, de iure pontificio. SIGONIUS in *Fragm*.

* *Q. Fabius Labeo*) Dubitamus, an is sit, quem Cicero lib. I de Officiis, et Valer. Maximus scribunt, a senatu Nolanis et Neapolitanis arbitrum de finibus datum, ita terminasse, ut multum agri, quod in medio esset relictum, populo Romano adiudicaret. Ceteras res eius desideramus, nisi forte Cicero regreditur ad eum, qui consul cum M. Claudio Marcello anno 571 fuit, quem Duplatus etiam poëtam vocat. ID.

* *Q. Metellus*) Qui Andriscum, Pseudophilippum vocatum, vicit, Macedoniam domuit, Achaeos prae-lio fudit, et de Andrisco, sive Macedonia triumphavit, ut ostendit Cicero in Orat. in Pisonem, atque haec quidem omnia fecit, quum praetor esset, ut Livius, Paterculus et auctor

sulares fuerunt, in primis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit, accusante Africano; cuius et aliae sunt orationes, et contra Ti. Gracchum, exposita in C. Fannii annalibus. Tum ipse L. Cotta, veterator habitus. Sed C. Laelius et P. Africanus in primis eloquentes;

Libelli de Viris Illustr. scribunt. Vnde cognoscitur error Flori, et aliorum, qui credunt Metellum tunc consulem fuisse, quum Macedoniam domuit, a qua *Macedonicus* est appellatus. Quod si nullus scriptor nominatim dicit, eum tunc praetorem fuisse, ex ordine tamen historiae et temporum id ipsum cognoscimus. Livii aetate exstabat oratio Metelli, quam Caesar Augustus, quum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam in senatu recitavit, ut testatur etiam Suetonius in Augusto, quo tamen loco interpretes putant orationem Metelli Numidici, non Macedonici significari, Gellium sequuti, qui lib. I, c. 6 multa, tanquam ex oratione Metelli Numidici, recitat. Sed vel Gellius erravit, vel male descriptus est liber, et oratio *Metelli Macedonici* legi debet: vel dicendum Metellum quoque Numidicum eadem de re orationem scriptam reliquisse. In.

* *Consulares fuerunt*) Fuerunt illi quidem consulares, ut ait Philippus VIII, sed non omnes ante patris mortem, siquidem Cic. lib. V de Fin. ita scribit: *Q. Metellus tres filios consules vidit, e quibus unum etiam censorem et triumphantem: quartum autem praetorem.* Quae verba Val. Max. VII, 1 videtur ita male descripsisse: *Fecit, ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiam censorium, duos triumphales, et quartum praetorium videret.* Reliquit etiam tres filias nuptas, hinc Cicero Tuscul. I ait: *Metellum multi filii, filiae, nepotes, neptes in rogum imposuerunt.* Idem propemodum Val. Max. et Plinius testantur. Io.

* *L. Cotta*) L. Aurelius Cotta qui cum Ser. Sulpicio Galba consul an. 610 fuit: qui quum in senatu contenderent, uter adversus Viriatum in Hispaniam mitteretur, Scipio dixit, ut neuter in provinciam mitteretur, obtinuit, ut refert Val. Maximus VI, 4. In.

* *Veterator*) *Veteratores*, inquit Sex. Pompeius, *callide dicti a multa rerum gerendarum vetustate.* Ob id hunc eum esse credimus, qui nihil habebat, ut Africanus ait apud Valer. Max. VI, c. 5, quumque tribunus plebis esset, fiducia sacrosanctae potestatis creditoribus suis satisfacere nolebat, nisi a collega fuisset coactus, ut Val. Max. lib. VI, cap. 5 scribit. Vnde cognoscimus Aureliam gentem plebeiam fuisse, in qua fuit cognomen *Cotta*, ductum, ut quidam volunt, ἀπὸ τοῦ κότου, quod iracundus, et ursi tuevi fuerit is, qui primus Cotta fuerit appellatus. In.

* *C. Laelius*) Hic, ut Cicero Philipp. XI refert, fuit filius illius C. Laelii, qui maioris Africani in Hispania et in Africa semper comes fuit, ita ut a multis *Africanus* ipse quoque sit appellatus. Certe cum Africano maiore arctissima familiaritate iunctus fuit: ut Laelius hic et Africanus amicitiam, tanquam hereditatem quandam crevisse, a postea auxisse videantur, ut ea maxime il-

quorum exstant orationes, ex quibus existimari de ingeniis eorum potest. Sed inter hos, aetate paulum his antecedens, sine controversia Ser. Galba eloquentia praestitit; et nimirum is princeps ex Latinis, illa oratorum propria, et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut augeret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo huius, quem constat eloquentia praestitisse, exiliores orationes sunt, et redolentes magis antiquitatem, quam aut Laelii, aut Scipionis, aut etiam ipsius Catonis; itaque evanuerunt, vix iam ut appareant.

22. De ipsius Laelii et Scipionis ingenio, quamquam ea iam est opinio, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior. At oratio Laelii de collegiis, non melior, quam de multis, quam voles, Scipionis; non quo illa Laelii quidquam sit dulcius, aut quo de religione dici possit augustius; sed multo tamen vetustior, et horridior ille, quam Scipio: et quum sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, et lubenter verbis etiam uti paulo magis priscis Laelius. Sed est iste mos homi-

lustris habeatur, quod Laelius Ciceronis ostendit. Fuit igitur hic Laelius praetor, fuit consul cum Q. Servilio Caepione an. 614, fuit augur, et *Sapiens* est appellatus. Hic ante Scipionem ponitur, quia maior natu fuit. Iden.

De ingeniis eorum) Recte sic emendavit Ernestius vulg. *de ingeniis oratorum*.

Vt egrederetur) Lamb. *ut degrederetur*.

Vt permoveret, ut augeret) Victor. *aut permoveret, ut augeret*. Ed. Oxonh. *aut p. aut a.* male. Eadem statim, *aut communibus locis* pro *ut* c. *l.*

Itaque evanuerunt) E Purgoldi correctione pro vulg. *exaruerunt* h. l. non satis apto. Idem verbum similiter ponitur c. 27 extr. *atque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt*.

Oratio Laelii de collegiis) Ed. Victor. Gothofr. *oratio Laelii de collegis*. Lamb. *oratio Laelii a collegis*.

Aut quo de religione) Hanc scripturam eliciunt Heusingerus e Gu. 1, 2, ubi legitur, *aut quo e religione*. Vulg. *aut quod de religione*.

Sed est iste mos) Gu. 1, *sed iste mos*. Victor. Camerar. *sed est mos*.

num, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam ut bellica laude aspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriatico bello reperimus fuisse Laelium: sic ingenii, literarum eloquentiae, sapientiae denique, etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio. Nec mihi ceterorum iudicio solum videtur, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse. Erat omnino tum mos, ut in reliquis rebus melior, sic in hoc ipso humanior, ut faciles essent in suum cuique tribuendo. Memoria teneo, Smyrnae me ex P. Rutilio Rufo audisse, quum diceret, adolescentulo se accidisse, ut ex Senatusconsulto P. Scipio et D. Brutus (ut opinor) consules de re atroci magnaque quaererent. Nam quum in silva Sila facta caedes esset, notique homines interfecti, insimulareturque fa-

Ut bellica laude) Sic Gu. 2; *ut ex bellica laude* vulgo, idque etiam Gu. 1 tenet.

Egregium Viriatico bello reperimus) *Viriatico* pro *Viriati* reposuit Ernestius ex edit. Medial. et Venet. 1485. *Viriati* tamen defendit Heusingerus ad Cic. de Offic. II, 11.

* *Viriati bello*) Viriatus ex pastore venator, e venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus universam Lusitaniam occupavit, et bellum cum Romanis per quatuordecim annos, ut Florus et Orosius scribunt, vel octo continuos, ut placet Appiano, gessit, multosque Romanos duces vicit; ac tandem a suis, quos Servilius Caepio corruperat, est interfectus. Historia est apud Liv. lib. LII et LIV et alios. Aliter *Viriatico*, fortasse recte, ut *bellum Viriaticum* dicatur ut *bellum Mithridaticum*; quamquam Suetonius *bellum Viriatinum* vocat. Sic etiam in *Fragm.*

Priores tamen libenter deferunt Laelio) Ed. Omnib. omittit *libenter*. Sane commode abfuerit, fortasse ex antecedente periodo huc a quodam librario repetitum.

* *Smyrnae me ex P. Rutilio Rufo audisse*) Is enim ab equitibus repetundarum insonte damnatus Smyrnam exul secesserat A. V. 648, ubi eum Cicero in itinere per Asiam A. V. 674 convenit. De eo cf. infra c. 30, et de Orat. I, 53.

Audisse) Gu. 1, 2, *audivisse*.

* *Consules*) Co. 1, *consul*. P. Scipio Nasica Serapio et D. Iunius Brutus consulatum gesserunt A. V. 615.

Nam quum in silva Sila) Corrupte Gu. 1. *nam quum istinas ita*. Ed. Venet. Omnib. *nam cum aestivus ita*. Victor. Caeterae *nam quum in sylva sua*. Veram lectionem *in silva Sila* primus ingenii sagacitate eruit Turnebus advers. XI, 1. Caeterus de *pecuariis* in *Silva Sivantia* cogitaverat.

milia, partim etiam liberi, societatis eius, quae picariae de P. Cornelio, L. Mummio censoribus redemisset, decrevisse senatum, ut de ea re cognoscerent et statuerent consules. Causam pro publicanis accurate, ut semper solitus esset, eleganterque dixisse Laelium. Quum consules, re audita, *amplius* de consilii sententia pronuntiavissent, paucis interpositis diebus iterum Laelium multo diligentius meliusque dixisse, iterumque eodem modo a consulibus rem esse prolatam. Tum Laelium, quum eum socii domum reduxissent, egissentque gratias, et, ne defatigaretur, oravissent, loquutum esse ita: se, quae fecisset, honoris eorum causa, studiose accurateque fecisse; sed se arbitrari, causam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo fortior acriorque esset, gravius et vehementius posse defendi. Itaque auctoritate C. Laelii publicanos causam detulisse ad Galbam. Illum autem, quod ei viro succedendum esset,

Picariae) Hanc lectionem praebet uterque Gothofr. *picariae*. Frustra corrigebat Corradus *pecuariae*. (In Camerar. est *pecariae*.) Nam pix Bruttia tum erat in pretio, Plin hist. nat. XVI, 11, et in silva Sila, quae erat in Bruttiis, picariae exercebantur.

De P. Cornelio, L. Mummio) P. Cornelius Scipio Africanus minor et L. Mummius censuram iniverat A. V. 611.

Causam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo fortior acriorque esset, gravius et vehementius posse defendi) Vulgo editur *quod is in dicendo gravior acriorque esset*. At enim gravior haud est ferendum, quia statim sequitur *gravius*. Quod in eius locum recepi *fortior* est e coniectura Vitiorii. Haud scio tamen an praeferendum fuerat cum Reitzio Misc. Obss. Vol. X, pag. 189, *ardentior*. Ita enim *ardentior acriorque* optime respondent iis, quae paulo post de Galba dicuntur, illum non in agendo solum sed etiam in meditando *vehementem* atque *incensum* fuisse. Infra quoque cap. lio occurrit *actio ardentior*. Trillerus obs. pag. 229, et Buttmannus teste Spaldingio ad Quintil. lib. I, pag. 22, inciderunt in vocabulum *atrocior*. Id tamen accusatori potius quam defensori convenit. Vestigia scripturae in Go. 1, ubi est *adhortator*, in Go. 2, qui habet *adhortor* (ut ed. Omnib.) Reitzii coniecturae favent, nisi forte potest in iis latere *adornatior*, ut iam in Iunt. Ald. *ornatior* saltem legebatur. Hoc tamen de diligentia meditandi excipiendum esset, in qua Laelius Galba non cedebat, ut qui ipse pro publicanis studiose accurate quae dixisset.

verecunde et dubitanter recepisse. Vnum quasi comperendinatus medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa, componendaque posuisse. Et, quum cognitionis dies esset, et ipse Rutilius rogatu sociorum domum ad Galbam mane venisset, ut eum admoneret, et ad dicendi tempus adduceret; usque illum, quoad ei nuntiatum esset, consules descendisse, omnibus exclusis, commentatum in quadam testudine cum servis literatis fuisse; quorum alius eodem dictare aliud tempore solitus esset. Interim quum esset ei nuntiatum tempus esse, exisse in aedes eo colore, et iis oculis, ut egisse causam, non commentatum putares. Addebat etiam, idque ad rem pertinere putabat, scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba. Ex quo significabat, illum non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. Quid multa? magna exspectatione, plurimis audientibus, coram ipso Laelio sic illam causam, tanta vi, tantaque gravitate dixisse Galbam, ut nulla fere pars orationis silentio praeteriretur. Itaque multis querelis, multaque miseratione adhibita, socios, omnibus approbantibus, illa die quaestione liberatos esse.

Itaque aut Victorii aut Reitzii ratio amplectenda. Nam I. Gronovii commentum, cui placebat *altior*, nemini alium, cui placeat, inveniet.

Vnum quasi comperendinatus medium diem fuisse) Sic interpungendum esse recte monuit Purgoldus. Vulgaris enim interpunctio, *unum, quasi comperendinatus, medium diem fuisse*, suspicionem movet comparationis particula *quasi* significatae, quae tamen hic nulla esse potest. *Quasi* enim h. l. est i. q. *fere*.

Tempus esse) Abest *esse* Gu. 1.

* *Male mulcatos exisse*) Sic Victor Gu. 1, 2, Camerar. recte. Nam significatur, in ardore commentandi Galbam scriptores istos ictibus et colaphis praetereuntem et manus iactantem percussisse. Ernesti autem in Clav. Cic. irae id Galbae tribuit, quod illi servi dictantem nimis celeriter assequi non potuerint. Nec impedio, quo minus utrumque coniungatur. Ed. Omnib. *male exisse mulctatos*.

Illa die quaestione liberatos esse) Gu. 1, *ille est dies questione*; Gu. 2, *illa die questione*, ut librarius *disquisitione* in codice, quem descripserit,

23. Ex hac Rutiliana narratione suspicari licet, quum duae summae sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi, ad docendum, altera graviter agendi, ad animos audientium permovendos; multoque plus proficiat is, qui inflammet iudicem, quam ille, qui doceat, elegantiam in Laelio, vim in Galba fuisse. Quae quidem vis tum maxime cognita est, quum, Lusitanis a Ser. Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem, interfectis, T. Libone tribuno plebis populum incitante, et rogationem in Galbam, privilegii similem, ferente, summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit; quam orationem in Origines suas retulit, paucis antequam mortuus est, an diebus, an mensibus. Tum igitur nihil re-

invenisse videatur. Et sic iam Gruterus visum. In edit. Venet. Omnib. est *illa diis quaestione*, in quo Ernestius librarium de illis phrasi: *dus hominibusque approbantibus*, cogitasse opinatur. Sed potius *dus* ex syllaba *dis* male intellecta factum. *Disquisitio* pro quaestione occurrit ap. Cic. pro Sulla cap. 28, ubi dicit: *in magnis disquisitionibus repentinisque periculis vitam unius*que hanc testem.

Ex hac Rutiliana narratione) Gu. 1, 2: *Ex hac Rutilia narratione*, quod fortasse probari posset, ut *Rutilia narratio* dicatur, ut *lex Tullia*, *aqua Claudia*, *via Flaminia* et reliqua id genus. *Rutiliana* tamen narratio recte dicitur, ut *Papiriana domus* et *Tulliana res* lib. I ad Att. ep. 5, ut verbum *Terentianum* in Laelio; ut duobus modis haec nomina deducantur a familiis, ut ab eadem familia *Pompeia domus*, *Pompeia porticus*, *Pompeianus miles*, *Pompeiana castra* a CORRAD.

Lusitanis) Ser. Galba est accusatus a Libone, quod Lusitanorum magnam multitudinem, interposita fide, praetor in Hispania interemisset, ut Valer. Max. lib. VIII, cap. 1, refert, qui lib. IX, cap. 6, scribit ad hunc modum: *Ser. quoque Galba summae perfidiae: trium enim Lusitaniae civitatum convocato populo, tanquam de commodis eius acturus, novem millia, in quibus flos iuventutis consistebat, electa, et armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit: quo facinore maximam cladem barbarorum magnitudine criminis antecessit.* Triginta millia Lusitanorum trucidata fuisse Suetonius in Galba testatur. Appianus vero, in libro de rebus in Hisp. gestis, cum pluribus exponit. Ip.

Nihil recusans) Omissum *nihil* Gu. 1, 2, Ed. Omnib. Victor. Camerar. Recte autem Corradus *nihil recusans* h. e. de poena sibi infligenda. Vt Cicer. pro Plancio cap. 1: *nihil de poena recusabo.* Et Gruterus apte laudavit Valer. Max. lib. VIII. *Rous Galba pro se iam nihil recusans, parvulos liberos, et Galli sanguine coni*-

cusans Galba pro sese, et populi Romani fidem implorans, cum suos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat; cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissimi patris; isque se tum eripuit flamma, propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato. Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus eius intelligi potest.

Quum haec dixissem, et paulum interquievissem, Quid igitur, inquit, est causae, Brutus, si tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus eius appareat? quod mirari non possum in eis, qui nihil omnino scripti reliquerunt.

24. Nec enim est eadem, inquam, Brute, causa non scribendi, et non tam bene scribendi, quam dixerint. Nam videmus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus etiam labor accederet ad forensem; pleraeque enim scribuntur orationes habitae iam, non ut habeantur; alios non laborare, ut meliores fiant; nulla enim res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio; memoriam autem in posterum ingenii sui non desiderant, quum se putant satis magnam adeptos esse dicendi gloriam, eamque etiam maiorem visum iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venerint; alios, quod melius putent dicere se posse, quam scribere; quod peringeniosis hominibus, neque satis doctis, plerumque contingit, ut ipsi Galbae. Quem fortasse vis non ingenii solum, sed etiam animi, et naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatque, ut et

unctum sibi filium flens commendare coepit.

Pro sese) Gu. 2, *pro se*

Eripuit flamma) Ed. Omnib. *eripuit flamme* pro *flammae.*

Interquievissem) Gu. 1, *quievissem.*

Appareat) Gu. 1, 2, Ed. Omnib. Victor *apparet.*

Ad dicendum proficit) Gu. 1, *ad dicendum valet*

Naturalis quidam dolor dicentem incendebat) « In hoc loco dolorem

incitata et gravis et vehemens esset oratio; dein quum otiosus stilum prehenderat, motusque omnis animi, tanquam ventus, hominem defecerat, flaccescebat oratio; quod iis, qui limatius dicendi consectantur genus, accidere non solet, propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille utens eodem modo possit et dicere et scribere; ardor animi non semper adest, isque quum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris exstinguitur. Hanc igitur ob causam videtur Laelii mens spirare etiam in scriptis, Galbae autem vis occidisse.

25. Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium

equidem censeo exquisite dictum de ea animi indole naturali, qua sensus *παθητικός*, ipsosque affectus facillime concipit. Maxime autem nunc sensus et affectus eos intelligi, qui cum quodam dolore coniuncti sunt, totus locus antecedens, in quo de Galba disseritur, declarat. Nam et *multis querelis multaque miseratione* adhibita socios quaestione liberasse, et populi Romani fidem *implorans* et suos pueros *flens* commendasse *misericordiamque* populi commovisse dicitur. Haec igitur ut posset Galba, *naturali* eidem *doloris* tribuendum Cicero putabat, cuius sententia nunc obscura esse non potest. Itaque mirabar, Wetzelium, recentissimum Bruti interpretem, ita iudicium praecipitasse, ut Schneideri coniecturam, *naturalis quidam calor*, in textum reciperet. Nam quod illam coniecturam ie et contextu confirmari dicit, utrumque eam potius dissuadet et *dolorem* commendat, ut docuimus. Etenim querelis, lacrymis, fletibus, miserationi, quae Galbae orationi Cicero nunc sola tribuit, non *calor*, sed *dolor* ille, quem explicavimus, aptus est. De Galba cf. Orat. I, 53.

De *dolore* autem sententiam nostram plane confirmabit insignis locus Orat. 37, ubi luculentissime Cicero se ipse explicat. Nam quum se in dicendo pluribus miserationibus usum esse dixisset, quod alii oratores perorationem sibi plerumque reliquissent, hoc addit: *in quo ut viderer excellere, non ingenio sed dolore assequebar.* Hanc autem ipsam sententiam cap. seq. his verbis repetit: *Sed ut supra dixi, nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam.* Hactenus I. C. Th. Ernesti in lex. technol. latinor. rhet pag 346 sqq. cui prorsus assentior. Accedit, quod Quintilianus quidem saepenumero vocabulo *caloris* pro *ardore animi* utitur, Cicero non item.

Dein quum) Gu. 1, deinde cum.

* *Flaccescebat oratio*) Metaphora ducta est a velis, quae flaccida fiunt, quum ea ventus non amplius implet.

Galbae autem vis occidisse) Gu. 1, *Galbae vis cecidisse;* Gu. 2, *Galbae autem occidisse.* Quum h. l. metaphora a vento petita sit in verbis *Laelii mens videtur spirare*, lectionem *cecidisse* praetulerim, nam *venti cadere* dicuntur, et *ires*, et *animi*.

L. et Sp. Mummii, fratres, quorum exstant amborum orationes; simplex quidem L. et antiquus; Sp. autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen astrictior. Fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum. Multae sunt Sp. Albini orationes. Sunt etiam L. et C. Aureliorum Orestarum, quos aliquo video in numero oratorum fuisse. P. etiam Popilius cum civis egregius, tum non indi-

L. et Sp. Mummii) L. Mummius novus, ut ait Paterculus, et paene ignobilis a principio fuit, quando τρίτον οὐκ ἔχομεν αὐτῷ ὄνομα, ut Plutarch. in Mario scribit, quum Romani nobiliores nomina minimum tria haberent. Nam quod L. Mummius *Achaicus* postea dictus est, quartum potiusquam tertium nomen est, et a quibusdam agnomen appellatur. Hic L. Mummius cum Cn. Cornelio Lentulo consul fuit, anno ab V. C. 608, quamvis alii collegam L. non Cn. vocent. Consul Achaeos vicit, unde Achaicus est appellatus, et Corinthum delevit, ac triumphavit. Hoc bellum scripserunt Liv. lib. LI, LII; Iustinus lib. XXXIV; Auctor libelli de Viris Illustr. cap. 80, et alii. Sp. Mummius bellum in Hispania gessit, et de Lusitanis triumphavit, ut Appian in lib. de Reb. in Hisp. gestis scribit, et fuit in decem legatis L. Mummio, fratri, ut lib. XII ad Att. ep. 30, Cicero docet. Fuit hic Sp. Mummius etiam legatus in Aegypto cum Africano, quod Iustinus lib. XXXII refert. Quare autem Mummii sint dicti, nos adhuc invenire non potuimus. Illud quidem satis auctore Paterculo constat, eos homines novos fuisse ac plebeios, quando L. quidem Mummius apud Ciceronem in Orat. post Redit. tribunus plebis agnoscitur, quem tamen Dio lib. XXXIX, Λεύκιον Νίννιον Κουαδράτον, ut opinor, appellat. CONRAD.

Simplex quidem L.) Ed. Omnib. *simplex quidem Lucius fuit*.

* *Sp. Albini*) Sp. Posthumii Albini, qui cum M. vel, ut est in Sallustio, Q. Minucio Rufo consul anno ab V. C. 634 fuit, unde consularem infra Cicero vocat. Hic est enim Sp. Albinus, qui, quod scribit Sallustius, Massinissae persuasit, ut regnum Numidiae ab senatu peteret, et alia gessit, quae apud eundem possunt legi. CONRAD.

Doctus ex disciplina) Gu. 1, *doctus disciplina*; Gu. 2, Ed. Omnib. *doctus, et disciplina*.

L. et C. Aureliorum Orestarum) Lucius cum M. Aemilio Lepido consul fuit, anno ab V. C. 628, et Sardos subegit. Alicui tamen possit ille videri, qui consul cum Sex. Iulio Caesare fuit anno 597. De Caio adhuc nihil scriptum videre potuimus, sed coniicimus tantum hunc Lucii fratrem fuisse, ut hic L. et C. Aurelios, fratres coniungat, ut statim L. et Sp. Mummios nominavit. ID.

* *P. etiam Popilius*) P. Popilius Laenas, qui cum P. Rutilio consul fuit, anno ab V. C. 622. Hic igitur Popilius consul fuit, quo anno in iudicium vocati sunt, qui cum T. Graccho senserant. Ergo quum quosdam T. Gracchi amicos, ut refert Plutarchus, orbe eiecisset, postea cognovit latam esse legem a C. Grac-

sertus fuit; C. vero, filius eius, disertus. Caiusque Tuditanus cum omni vita atque victu excultus atque expolitus, tum eius elegans est habitum etiam orationis genus. Eodemque in genere est habitus is, qui iniuria accepta fregit Ti. Gracchum patientia, civis in rebus optimis constantissimus, M. Octavius. At vero M. Aemilius Lepidus, qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere, quibus Galba, sed paulo minor natu, et summus orator est habitus, et fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. Hoc in oratore latino primum mihi videtur et lenitas apparuisse illa Graecorum, et verborum comprehensio, etiam artifex, ut ita dicam, stilus. Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi, et prope aequales, C. Carbo, et Ti. Gracchus audire soliti sunt; de quibus iam dicendi locus erit, quum de senioribus pauca dixero. Q. enim Pompeius non contemtus orator

eho similem privilegii, ut in indicium vocaretur quicumque in magistratu constitutus indicta causa quempiam eiecisset. Quare ipse ex urbe discessit; nec ita multo post fuit restitutus. Hinc sit infra Cicero. *L. Bestia bonis initiis orsus tribunatus, nam P. Popilium vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit* Id.

* *C. Tuditanus*) C. Sempronium Tuditanus qui, cum M. Aquilio, quem Paulus Orosius M. Acilium Capitonem vocat, consul fuit anno ab V. C. 621. His consulibus nosendialibus sermo de Rep. fuit a Cicerone institutus paulo ante mortem Africani, ut lib. III ad Q. Fratrem refert. Hunc Tuditanum praetorem P. Popilio et P. Rutilio consulibus fuisse scribit Libo, ut Cicero testatur lib. XIII ad Attic. ubi dubitat, an hic in decem legatis Mummio fuerit. Id.

* *Lepidus*) Idem paene significat *Lepidus*, unde credimus taeterea *Aemiliorum* per *Lepidum* interpretatos, et sic deinceps *Lepidum* cognomen Aemiliorum fuisse. Hic M. Aemilius Lepidus Porcina cum C. Hostilio Mancino consul fuit anno ab V. C. 617. Appianus libro de rebus in Hisp. gestis, pluribus de eo agit, et cum ob cladem in pugna adversus Vaccaeos acceptam condemnatum fuisse: sed Val. Max. lib. VIII, c. 1, scribit a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime structae villae in Alsiensi agro, gravi multa affectum fuisse. Quam *Porcina* sit dictus, nos adhuc quaerimus. Id.

* *Q. Pompeius*) Is, quem Val. Max. lib. VIII, cap. 5, Q. Pompeium Aufidium vocat, qui consul quum esset cum Cn. Servilio Caepione, anno ab V. C. 613 in Hispaniam profectus, Thermestinos, ut Liv. lib. LIV videtur scripsisse, quum Termentini ab Appiano vocentur, subegit: deinde, non semel a Numantinis quum fuisset

temporibus illis fuit, qui summos honores, homo per se cognitus, sine ulla commendatione maiorum est adeptus. Tum L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen; homo, non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia et severitate popularis; cuius quidem legi tabellariae, M. Antius Briso, tribunus plebis, diu re-

victus, veritus, ne postea Romae accusaretur, clam cum illis de pace coepit agere: deinde vero quum M. Popilius Laenas successor venisset, ille iam metu belli praesentis successoris liberatus, infitiatus est quidquid fecerat. Cic. lib. II de Finib. illum valde improbum vocat, quod foedus cum Numantinis sit infitiatus. Hunc etiam Cicero lib. II Acad. Quaest. inter populares ponit. Ib.

* *Per se cognitus*) Sua, non maiorum, virtute nobilitatus. Q. enim Pompeius humili atque obscuro loco natus est, ut Cicero ait Verrina VII, Ἔδοξα γὰρ ὁ Πομπήιος ὑπὸ; πολιτοῦ γεγονέναι, ut scribit Plutarch. in Apophth. ubi iocus est Scipionis. Hinc a Cicerone in Oratione pro Fonteio, et in Orat. pro Murena Q. hic Pompeius *homo novus* appellatur. Inimicitias cum Caepionibus et Metellis gessit, ut in Orat. pro Fonteio et apud Valer. Max. videbis. Ab eius etiam amicis Scipio Laelii nomine se removit, ut Laelius apud Ciceronem testatur, ob eam fortasse causam, quam Plutarchus in Apophth. scribit, quod, cum Laelio consulatum petente, pollicitus Scipioni fuisset se non petiturum, postea tamen petierat. Ib.

* *L. Cassius*) L. Cassius Longinus, a quibusdam *Ravilla* dictus, qui fuit consul cum L. Cornelio Cinna, anno ab V. C. 626, et censor cum Cn. Servilio Caepione, ut Frontinus refert in libris de Aquaeductibus. Gens vero Cassia duplex videtur fuisse, patricia et plebeia, nam multi Cassii inter primos consules, et multi tribuni plebis in veterum scriptis inveniuntur. Ib.

Non liberalitate) Frustra Ernestius coniecit *hilaritate*. Nam pravae liberalitati, qua plebs corrumpitur, recte opponitur *severitas*.

* *Tristitia et severitate*) « Idem parem his videtur dicere κατ' ἐπεξήγησιν. Nam *tristis* et *severus* saepe coniunguntur, ut ostendit etiam Servius illud Virgilii interpretatus *Amnemque severum*. Et Donatus ad Terentium ita scribit: *Tristis* ad laudem interdum sumitur, non ad amaritudinem. Cicero. *iudex tristis et integer*. L. igitur Cassius ita tristis et severus fuit, ut, quod Valer. Max. lib III, cap. 7. scribit, alias quum praetor esset, eius tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum diceretur. Hinc Cicero Verrina IV ita scribit: *Non quaero iudices Cassianos; veterem severitatem iudiciorum non requiro*. Nec ita multo ante ibidem Potamonem iudicem Cassianum et hominem severum ἐρωτικῶς appellat. » Hactenus Corradus, qui tamen oblitus est, quae sit inter *tristitiam* et *severitatem* iudicis differentia, nobis exponere. *Tristis* igitur iudex est, ita morosus natura, ut haud sit ad ignoscendum pronus, *severus* est, qui officii iudicis memor facinora punire, quam condonare mavult.

* *Legi tabellariae*) Tabella data, inquit infra, quam legem L. Cassius,

stitit, M. Lepido consule adiuvante; eaque res P. Africano vituperationi fuit, quod eius auctoritate de sententia deductus Briso putabatur. Tum duo Caepiones multum clientes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant. Sed Pompeii sunt scripta nec nimis extenuata (quamquam veterum est similis), et plena prudentiae.

26. P. Crassum valde probatum oratorem iisdem fere temporibus accepimus, qui et ingenio valuit, et

Lepido et Mancino coss. id est anno ab V. C. 617, tulit. Voce Romani suffragium tulerunt usque ad annum fere 614. Tunc enim Gabinia lex de suffragiis per tabellam ferendis est lata; sequuta biennio post Cassia est; tertia Papiria; quarta Coelia: quae tabellariae sunt appellatae: quibus latebra populo data est, in qua bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium, ut Cicero lib. III de Leg. scribit. Sic enim quisque suam tabellam in cistam conticiebat, ut occulte posset adversari. CORRAD.

* *Tum duo Caepiones*) Cn. et Q. ut ipse Cicero orat. pro Fonteio (cap. 7) et Valerius Max. VIII, 5, vocant. Illud addit Valerius, iisdem parentibus illos natos fuisse, et per omnes honorum gradus ad summum amplitudinem pervenisse. ID.

Auctoritate tamen) Abest *tamen* Guelf. 1.

* *Sed Pompeii sunt scripta*) Pompeii nomen h. l. falso a librariis illatum esse nulla dubito. Nam si de Q. Pompeio hic loquutus esset Cicero, cuius paulo ante mentionem fecerat, cur non potius ibi statim esse quandam ab eo scriptas orationes memorasset. Si de alio quodam, non simpliciter dixisset *Pompeii*. Ergo certum est antea legendum esse: *Tum duo Caepiones Cn. et Q.* aut et mavis *Tum Cn. et Q. Caepiones*; hic autem *Sed Quinti sunt scripta*. Hoc praenomen *Quinti* induxit librarium, ut *Pompeii* adderet, quod deinde, ut saepe factum, verum nomen extrusit. Et sic iam Corrado visum: qui simul memorat nonnullos h. l. legere *Sed Publii sunt scripta*; cui tamen *Publii* non magis hic locus est quam Pompeio.

* *P. Crassum*) P. Licinium Crassum Mucianum Divitem. Nam quum P. Mucii Scaevolae filius fuisset a P. Licinio Crasso adoptatus, ita de more fuit appellatus. A. V. 623 Cos fuit, quo tempore Claudius Cos. des. de C. Carbonis seditione retulit et senatus id decrevit, quod Cicero lib. III de legg. scribit. CORRAD.

* *Qui et ingenio valuit, et studio*) Tantum valuit, ut Valer. Max. VIII, 7, scribat: *P. Crassus, quum in Asiam Aristonicum regem debellaturus consul venisset, tanta cura Graecae linguae notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque divisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret. Quae res maximum ei sociorum amorem conciliavit*,

studio, et habuit quasdam etiam domesticas disciplinas. Nam et cum summo illo oratore, Ser. Galba, cuius C. filio filiam suam collocaverat, affinitate sese devinxerat: et, quum esset P. Mucii filius, fratremque haberet P. Scaevolam, domi ius civile cognoverat. In eo industriam constat summam fuisse, maximamque gratiam, quum et consuleretur plurimum, et diceret. Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii, C. et M. filii, fuerunt: quorum Caii filius, qui consul cum Domitio fuit, unam orationem, de sociis et nomine latino, contra Gracchum reliquit, sane et bonam et nobilem.

Tum Atticus: Quid ergo? estne ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. Alii a C. Persio, literato homine, scriptam esse aiebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius; alii multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse.

qua quis eorum lingua apud tribunal illius postulaverat, eodem decreta redderet. CONRAD.

Habuit quasdam etiam) Go. 1, Ed. Omnib. *habuit etiam quasdam*.

Cum summo illo oratore) Omissum *illo* Go. 1.

P. Scaevolam) P. Mucium Scaevolam Pont. Max.

In eo industriam constat summam) Ed. Omnib. *in eo constat summam*.

* *Duo C. Fannii, C. et M. filii, fuerunt*) Prioris C. Fannii pater erat C. Fannius Strabo, qui cum Valerio Messala Cos. A. V. 693 fuit, et legem sumtuariam tulit, ut auctor est Plin. X, 50, quidquid Macrobius de ea re dicat. Alterum C. Fannium, Laelii generum, semper Cicero hic et in Laelio et in Epp. ad Attic. *Marci* filium vocat. CONRAD.

* *Contra Gracchum*) C. Gracchum. Sic enim Cicero saepe propter excellentiam vocat, ut infra, et lib. III de Orat. videre licet. Hic vero illum significari, res etiam ipsa docet, quod quum ipse C. Gracchus C. Fannium consulem faciendum curasset, ille tamen a patribus stetit; nam quum C. Gracchus leges quasdam promulgasset, et quotidie magna sociorum multitudo ad eum conveniret, senatus Fannio consuli persuasit, ut iuberet omnes, praeter Romanos, urbe exire, id quod fecit. Gracchus vero contra edictum fecit, et sociis, si manerent, opem contra consulem pollicebatur; hinc nata simultas. ID.

* *C. Persio — quem significat valde doctum esse Lucilius*) Nempe illo dicto *Persium non curo legere, Laelium Decimum volo*, uti Cic. de Orat. I scribitur, non autem ut in prologo H. N. repetit Plinius: *Hunc doctissimum Persium legere nolo, Laelium Decimum volo.* Num si Lucilius *doctissimum* dixisset, Cicero h. l. non dixisset *significat*. Significavit

Tum ego, Audivi equidem ista, inquam, de maioribus natu, sed nunquam sum adductus, ut crederem; eamque suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset; oratio autem vel optima esset illo quidem tempore orationum omnium. Sed nec eiusmodi est, ut a pluribus confusa videatur (unus enim sonus est totius orationis, et idem filum); nec de Persio reticuisset Gracchus, quum ei Fannius de Menelao Maratheno, et de ceteris obiecisset, praesertim quum Fannius nunquam sit habitus elinguis. Nam et causas defensitavit, et tribunatus eius, arbitrio et auctoritate P. Africani gestus, non obscurus fuit. Alter autem C. Fannius, M. filius, C. Laelii gener, et moribus, et ipso genere dicendi durior. Is soceri instituto (quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praesertim quum ille Q. Scaevolam sibi, minorem natu gene-

vero, quum sua scripta eum legere nolnit, illius iudicium reformidans, ut lib. I de Fin. cap 3 scribit Cicero. Idem

Vt a pluribus confusa videatur) Aliud agebat Ernestius, quum corrigendum putabat, *ut a pluribus*, scil. *orationibus confusa videatur*. Cicero enim paulo ante nihil aliud dixerat, quam multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse.

Et idem filum) Vulg. *et idem stilus*. Recte autem Ernestius legendum vidit *et idem filum*, quod iam est apud Victorium. Vulgatam frustra defendit I. Theoph. Ernesti in lex. technol. lat. v. *stilus*.

Menelao) Menelaus, Marathenus, a Marathis antiqua Phoenicum urbe, rhetor Graecus, cuius opera C. Gracchus in orationibus suis uti putabatur. Ern.

* *Praesertim quum Fannius nunquam habitus sit elinguis*) Haec verba coniungenda sunt cum illis *nec de Persio reticuisset Gracchus*, hoc initium sensu. Si verum esset quod quidam dicebant, Fannii orationem a Persio scriptam fuisse, certe id Gracchus non reticuisset, quum et simile quid Fannius obiecisset, praesertim quum Fannius nunquam sit habitus elinguis, ideoque ad convellendam de eius eloquentia quamvis mediocri opinionem Gracchus eo libentius, eum Persii stilo, non suo, usum fuisse, exprobraturus fuisse. Ernesti haesit in hac verborum structura, nec se commode satis expedivit.

Genere dicendi durior. Is soceri) Gu. 1, 2, Ed. Omnib. *genere dicendi durioris soceri*. Ernesti sic putabat construendum: *durior, soceri instituto*. Non placet.

rum, praetulisset; cui tamen Laelius se excusans, non genero minori dixit se illud, sed maiori filiae detulisse); is tamen, instituto Laelii, Panaetium audiverat. Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest; quae neque nimis est infans, neque perfecte diserta. Mucius autem augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. Is oratorum in numero non fuit, iuris civilis intelligentia, atque omni prudentiae genere praestitit. L. Coelius Antipater, scriptor, quemadmodum videtis, fuit, ut temporibus illis, luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi, magister.

27. Vtinam in Ti. Graccho, Caioque Carbone talis mens ad rempublicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit! profecto nemo his viris gloria praestitisset. Sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Nu-

Cui tamen Laelius) Gu. 1, *cui tum Laelius*, bene, ut opinor.

* *Mucius*) Q. Mucius Scaevola, qui fuit alter Laelii gener, ut in Laelio scribitur, et L. Licinii Crassi oratoris socer, ut lib. I de Orat. cognoscitur, ubi testatur ipse se Panaetium audivisse, et quaedam, quae ab eo acceperat, quum Rhodum venisset, cum Apollonio contulisse. Fuit hic consul cum L. Caecilio Metello, anno ab V. C. 637. Corrad.

Quod pro se opus erat) Ed. Omnib. *quod per se*. Corradus malebat *quod opus erat, per se ipse dicebat*. Lambin. *quod opus erat ipse, per se dicebat*. Optimum fortasse fuerit: *quod opus erat, pro se ipse dicebat*. Sic cap. 30, *dixit ipse pro se*.

* *Vt de pecuniis repetundis contra T. Albucium*) Nempe accusatus ab Albucio, deinde absolutus. Cf. de Orat. II, 70.

* *L. Coelius Antipater*) Scriptor belli Punici secundi. Orat. cap. 69: *Addidit historiae maiorem sonum*. De Orat. II, 13, scil. ut Cic. de legg. lib. II: *paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem et horridas, sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent*.

* *Turbulentissimum tribunatum*) In quo leges agrarias promulgavit, M. Octavii collegae magistratum abrogavit, leges tulit, et triumviros ad dividendum agrum creavit, ac iterum tribunus plebis fieri voluit: ut Livius lib. LVII, Plutarchus, et alii scripserunt. Corrad.

* *Ad quem ex invidia foederis* etc.) Haec verba Vell. Paterc. interpretatur

mantini bonis iratus accesserat, ab ipsa republica est interfectus; alter, propter perpetuam in populari ratione levitatem, morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit. Sed fuit uterque summus orator. Neque hoc memoria patrum teste dicimus; nam et Carbonis, et Gracchi habemus orationes, nondum satis splendidas verbis, sed acutas, prudentiaeque plenissimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus, et Graecis literis eruditus. Nam semper habuit exquisitos e Graecia magistros; in eis iam adolescens Diophanem Mitylenaeum, Graeciae, temporibus illis, disertissimum. Sed ei breve tempus ingenii augendi et declarandi fuit. Carbo, quoad vita suppeditavit, est in

lib. II, cap. 2, sed et ipse Cicero Orat. pro Domo. Plura Plutarch. et alii historici scribunt. Id.

Neque hoc memoria patrum teste dicimus) Gu 1, 2 *Atque hoc m. p. t. d.* Ed. Omnib. *Atque hoc memoria patrum teste dicimus* Sed legendum esse *neque* iam Corradus intellexit. Schneiderus mavult *neque hoc memoria patrum teste didicimus.* Vulgatam tamen dicimus facile ee tuetur, modo *neque* in locum vulgati *atque* succedat.

* *Diligentia Corneliae matris*) De qua videndus Plutarchus in Gracchis Quintilianus quoque lib I, cap 1, ubi ait *Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque epistolis traditus est.* Et Cicero infra *Legimus epistolas Corneliae matris Gracchorum apparet filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris.* Illa autem fuit Scipionis Africani maioris filia, et Tib. Sempronio Graccho nupsit, cui duodecim filios, ut Plutarchus scripsit, genuit, quos tanti fecit, ut eorum causa Ptolemaei regis nuptias aspreverit. A populo Romano non minus ob virtutem filiorum, quam ob patris memoriam celebatur. Unde statuam illi positam Plinius et Plutarchus testantur. Et sane mulier illa digne fuit immortalitate quae non solum in ceteris rebus prudentissimae feminae officio est functa, sed casus etiam filiorum ita fortiter tulit, ut viri etiam fortissimi mirarentur. CORRAD.

* *Diophanem Mitylenaeum*) Rhetorem tunc in Italia exsulantem, ut scribit Plutarchus, qui refert item, illum et Blossium Cumanum Antipatri Tarsensis philosophi discipulum, auctores fuisse, ut Tib Gracchus actionem illam susciperet. Quare paulo post ipsius Tib. Gracchi mortem Diophanes necatus est, et Blossius aufugit. IDEM.

Sed ei breve) Sic necessario scribendum, ut vidit Lambin. Vulgo, *Sed et breve.*

Carbo, quoad vita) Sic Manut. Lambin. Gu. 1, 2, *Carbo qua vita.* Victor *Carbo quod vita.* Id Ernestius quoque recepit, atque in subiecta an-

multis iudiciis causisque cognitus. Hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius, qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat, canorum oratorem, et volubilem, et satis acrem, atque eundem et vehementem, et valde dulcem, et perfacetum fuisse dicebat; addebat, industrium etiam, et diligentem, et in exercitationibus commentationibusque mullum operae solitum esse ponere. Hic optimus illis temporibus est patronus habitus, eoque forum tenente plura fieri iudicia coeperunt. Nam et quaestiones perpetuae hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt; (L. enim Piso, tribunus plebis, legem primus de pecuniis repetundis, Censorino et Manilio consulibus, tulit; ipse etiam Piso et causas egit, et multarum legum aut auctor, aut dissuasor fuit; isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt, et annales, sane exiliter scriptos); et iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum desiderabant, tabella data; quam legem L. Cassius, Lepido et Mancino consulibus, tulit.

28. Vester etiam D. Brutus, M. filius, ut ex familiari

notatione sibi *quoad* magis placere professus.

Quaestiones perpetuae) Frustra Corradus *quaestiones publicae* legendum putabat. Nec felicius Cuiacius *quaestiones pecuniarum repetundarum*. Cur hae *quaestiones perpetuae* dictae sunt, dudum exposuit Ernestius Clav. Cic. voc. *quaestio*.

L. enim Piso) Gu. 1, *L. etiam Piso*. Censor fuit A. V. 633, unde *Censorius* appellatus.

L. Cassius) Gu. 1, *C. Crassus*.

* *D. Brutus*) D. Iunius Brutus qui cum P. Cornelio Scipione Nasica Serapione anno ab V. C. 616 consul fuit. De Gallecis et Lusitanis, ut auctor est Eutropius, cum magna gloria triumphavit unde *Gallecus*, ut est Paterculus, est appellatus, quamvis apud Strabonem lib. III, *Callaecus* legatur. Augurem fuisse e Laelio Ciceronis intelligimus, et apud Plutarchum est huiuscemodi quaestio: *Quid est quod quum ceteri Romani Februario mortuis inferias mittere, et parentare consuessent, D. Brutus, ut scribit Cicero, id Decembri faciebat?* Id Cicero lib. II de Leg. scripsit, sed nunc ea res paene tota desideratur, vix ut intelligi possit, nec intelligeretur omnino, nisi Accium ibi quoque nominaret. Corrad.

* *Vt ex familiari eius L. Attio*

eius L. Attio poeta sum audire solitus, et dicere non inculte solebat, et erat quum literis latinis, tum etiam graecis, ut temporibus illis, eruditus. Quae tribuebat idem Attius etiam Q. Maximo, L. Paulli nepoti: et vero ante Maximum, illum Scipionem, quo duce privato Ti. Gracchus occisus esset, quum omnibus in rebus vehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuisse. Tum etiam P. Lentulus ille princeps, ad rempublicam dumta-

poeta sum audire solitus) Attium natum A. V. C. 583, at Cicero viginti annos natus, h. e. a. 667, audiit, eum tunc annum 84 egisse necesse est. Sed fieri potest etiam, ut Attius aliquot annis post, quam vulgo creditur, natus sit, eumque Cicero 16 annos natus audierit. Quidquid sit, temporis rationi haud repugnat, Ciceronem iuvenem cum Attio sene collocutum fuisse.

* *Q. Maximo*) Q. Fabiu Maximo Q. F. eius, qui cum L. Aemilii Paulli filius esset, adoptatus a nescio quo Fabio, Q. Fabius Maximus Aemilianus est appellatus, et cum L. Hostilio Mancino anno ab V. C. 609 consul fuit. Hic vero filius cum L. Opimio, anno ab V. C. 633 consul fuit, et adversus Allobroges, et Bituitum regem Arvernorum feliciter pugnavit. Ex hac victoria cognomen *Allobrogico* est inditum, quod Paterculus refert. CORRAD.

* *L. Paulli nepoti*) Nempe iure adoptionis. L. Paullus enim Macedonicus (Vellei. Paterc. I, 3) e duobus filiis natu maioribus alterum Fabio Maximo in adoptionem dederat, qui inde Fabius Aemilianus dictus est. Huius filius est is, de quo h. l. agitur, Allobrogicus.

Et vero ante Maximum, illum Scipionem) Hac interpunctione ab Ernestio facta tollitur Gulielmi coniectura, qua rescribendum esse suspicabatur: *ante, Pontificem Maximum illum.*

* *Scipionem*) P. Cornelium Nasicam Serapionem, eius, qui Corculum est appellatus, filium; eius, qui sacra accepit, quique vir optimus est iudicatus, nepotem. Consul fuit cum D. Bruto anno V. 615. Hunc Scipionem nos arbitramur in Orat. pro Planc. his verbis significari: *Avus tuus P. Nasicae tibi aedilicium praedicaret repulsam: quo cive ego neminem statuo in hac Rep. fortiorem.* CORR.

Occisus esset) Gu. 1, *esset occisus.*

* *P. Lentulus ille princeps*) P. Cornelius Lentulus princeps senatus, qui a. V. C. 591 consul fuit cum Cn. Domitio, P. Scipioni Nasicae et C. Marcio Figulo suffectus; idem qui de Orat. I, 49 nominatur. — Hunc Cicero Orat. IV in Catil. his verbis significat: *Illo tempore huius avus Lentulus clarissimus vir, armatus Gracchum est persequutus. Ille grave tum vulnus accepit, ne quid de summa dignitate Rep. imminueretur.* Hic P. Lentulus olim missus est, ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, coemeret, ut in Oratione secunda contra Rullum scribitur, e qua, atque e Verrina I patet eum principem senatus fuisse: atque ita putant eruditi Philippica VIII legendum esse, quamvis librarii multi *principem se-*

xat quod opus esset, satis habuisse eloquentiae dicitur. Iisdemque temporibus L. Fusius Philus perbene latine loqui putabatur, literatiusque, quam ceteri. P. Scaevola valde prudenter et acute, paulo etiam copiosius: nec multo minus prudenter M' Maoilius. Appii Claudii volubilis, sed paulo fervidior erat oratio. In aliquo numero etiam M. Fulvius Flaccus, et C. Cato Africani

natorem descripserit. Quod tamen dici posse ostendunt frequentes illae locutiones, *princeps locus*, *princeps civis*. Illud me magis movet, quod hic Lentulus tam saepe *princeps senatus* a Cicerone dicitur, et in consulibus illius temporis, quantum ego legere potui, non invenitur: quum tamen is esset mos, ut qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset, is princeps legeretur et vero fiebat censor, qui consul ante non fuisset. Suspicari possumus igitur hunc consulem fuisse, sed vel eius nomen desiderari, vel cum C. Claudio, qui cum M. Perpenna consul fuit, suffectum fuisse, et ob id cognomen eius in consulibus ad Claudium fuisse translatum: quod in aliis etiam factum animadvertimus, ut in consulibus anni ab V. C. 578 quivis facile videre poterit. IDEM.

* *L. Furius Philus*) Cos. a. V. C. 618, c. Sex. Atilio Serrano. Memoratur de Or. II, 37, Lael. 4, pro Arch. 7, et saepius. In Gu. 1 est *L. Furius Pilus*. Hic est certe is, qui in libris de Rep. contra iustitiam disputavit, ut in scholiis libri IV ad Atticum retulimus. IDEM.

M' Manilius) In compluribus edd. falso scribitur M. Manilius, quum eius praenomen *Manius* fuerit, non *Marcus*. Cos. fuit cum L. Censorino a. V. C. 604. Cf. de Orat. I, 49. III, 33.

* *Appii Claudii*) Hic Appius Claudius Pulcher cum Q. Caecilio Metello Macedonico, anno ab V. C. 611, consul fuit, et Salassos, gentem Alpinam, ut lib. LIII Livius ait, domuit: qua de re etiam Paulus Orosius scribit. Hunc Plutarch. in Gracchis scribit fuisse non modo ὑπατικὸν, sed τιμητικὸν etiam, et προγεγραμμένον κατ' ἀξίωμα τῆς Ῥωμαίων βουλῆς: qui Tib. Graccho Claudiam filiam ultro despondit, a quo postea triumvir ipse creatus est. IDEM.

* *M. Fulvius Flaccus*) Qui cum M. Plautio Hypsaeo, anno ab V. C. 628, consul fuit, et quod Livius liber LX scripsit, primus omnium transalpinos Ligures bello domuit, missus auxilio Massiliensibus adversus Salluvios Gallos, qui populabantur fines Massiliensium. Et de his, ut apud Plutarchum cognosces, triumphavit: unde Paterculus illum triumphalem vocat. Non verisimile videtur mihi, quod scribit Appianus, eum post consulatum tribunum plebis fieri, hoc est ab equis ad asinos, quod aiunt, transire voluisse, aut cum C. Graccho in Africam esse profectum, quum Plutarchus ostendat Romae mansisse, et tunc eius calumniis Drusi potentiam crevisse. Reversum certe C. Gracchum semper incitavit, donec ipse quoque cum reliquis poenas dedit. Armatus enim in Aventino, ut Paterculus ait, ad pugnam ciens, cum filio maiore iugulatus est. Nec ita multo post alter filius, quem pater le-

sororis filius, mediocres oratores; etsi Flacci scripta sunt, sed ut studiosi literarum. Flacci autem aemulus P. Decius fuit, non infans ille quidem, sed ut vita, sic oratione etiam turbulentus. M. Drusus, C. filius, qui in tribunatu C. Gracchum collegam, iterum tribunum, fregit, vir et oratione gravis, et auctoritate; eique proxime adiunctus C. Drusus frater fuit. Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum, paulum aetate antecedens. Fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus, quaestor Gracchus, tribunus Pennus, illius M. filius, qui cum Q. Aelio consul fuit; sed omnia is summa sperans aedilicius est mortuus. Nam de T. Flaminio, quem ipse vidi, nihil accepi, nisi latine diligenter loquutum.

29. His adiuncti sunt C. Curio, M. Scaurus, P. Ru-

gatam de conditionibus maserat, ob Opimio interemptus est. IDEM

* *C. Cato*) Catonis Censorii nepos cos. a. V. 639

* *P. Decius*) cognomine *Mus*, praetor a. V. 638. Idem qui de Orat. II, 31, 32 memoratur.

* *M. Drusus*) Marcus Livius Drusus, qui ob eximiam adversus Gracchos operam patronus senatus est dictus, ut ait in Tiberio Suetonius. Tribunus enim plebis, ut refert Plutarchus, partes senatus est sequutus, et C. Gracchi collegae semper est adversatus. Praetor urbanus hic fuit, ut auctor Rhet. ad Herenn. ostendit, et Cicero lib. VII ad Atticum. Consul anno ab V. C. 641 cum L. Calpurnio Pisone fuit, et adversus Scordiscos gentem a Gallis oriundam in Thracia feliciter pugnavit, magnumque honorem tulit, quod Livius lib. LXIII scripsit. CORR.

Iterum tribunum fregit) Scilicet ann. V. 631.

C. Drusus frater fuit) Omissum *frater* Gu. 1, 2.

* *Gentilis*) Quod M. Iunius Brutus ipse quoque, ut tu, sit appellatus; et ex eadem gente Iunia, ex qua tu quoque, sit natus. CORRAD.

Tuus etiam gentilis — M. Pennus) Nempe M. Iunius Pennus.

C. Gracchum, paulum aetate antecedens) Gu. 1, *paulum, C. Gracchum aetate antecedens* Gu. 2, *paululum C. Gracchum* ue. a.

Lepido et L. Oreste consulibus) a. V. C. 627.

Sed omnia is summa sperans) Gu. 1, 2, *sed is omnia summa sperans*.

His adiuncti sunt) Gu. 1, 2, *His adiuncti*.

* *C. Curio*) C. Scribonius Curio, quem supra in ordine M. Scauro, P. Rutilio et C. Graccho praeposuerat. Hic pater fuit eius, qui postea cum Cn. Octavio consul fuit avus eius, qui postea tribun. pleb. et tribunicius Remp. Caesaris causa perturbavit. de

tilius, C. Gracchus. De Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem, at uterque in multis causis versatus erat. In quibus sane laudandis viris, etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria; quamquam iis quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere. Ne id quidem satis est, nisi id, quod dicitur, fit voce, vultu, motuque conditius. Quid dicam, opus esse doctrina? sine qua, etiam si quid bene dicitur adiuvante natura, tamen id, quia fortuito fit, semper paratum esse non potest. In Scauri oratione, sapientis hominis et recti, gravitas summa, et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur; ad senatoriam vero sententiam, cuius erat ille princeps, vel maxime.

quibus suo loco dicetur, praesertim quum pater, filius, et nepos oratores fuerint, ut auctor est Plinius lib. VII, cap. 41. Et pater hic quidem lib. II de Orat. ab Antonio dicitur fuisse eloquentissimus illis temporibus. Corr.

* *M. Scaurus*) M. Aemilius Scaurus, qui cum M. Caecilio Metello anno 639 consul fuit; etsi bis consul videatur fuisse. Huius vitam auctor libelli de Viris illustribus breviter est complexus. Idem.

* *P. Rutilius*) P. Rutilius Rufus, qui cum C. Manlio anno 649 consul fuit. Rutilius, inquit Sextus Pompeius, rufum significat: hinc Rutilii Rufi videntur appellati qui plebei fuerunt, ut ostendit vel hic P. Rutilius, quem Cicero in Orat. pro Plancio, et lib. I de Orat. tribunum plebis fuisse demonstrat. Idem.

At uterque) Recte sic Ernestius. Vulg. *et uterque*. Schneidero placebat *sed uterque*.

In quibus sane laudandis viris) Vict. *In quibusdam laudandis viris*. Et sic vulgo. Bene autem Ernestius emendavit reponendo *In quibus sane*.

Solute et suaviter dicere) Bene I. C. T. Ernestius in lex. technol. Lat. Rhet. v. *solute* docuit hoc vocabulum ad explanationem oratoriam pertinere, qua id quod inventum et excogitatum est, veluti dissolvere, explanare, et explicare luculenter copioseque possimus. Sic c. 31 coniungitur *suavitas dicendi et copia*.

Recti) Sic Gu. 1, 2. Victor. Gothofr. *recte*.

Dicere putares) Vulgo adduntur *quum pro reo diceret*. Ea recte absunt Gu. 1, 2, et sunt ab interpolatore.

* *Sententiam, cuius erat princeps*) Nempe quia princeps senatus erat

Significabat enim non prudentiam solum, sed, quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset. Quamquam huius quoque ipsius rei, quemadmodum scis, praecepta sunt. Huius et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius apte, ac sane utiles. Quos nemo legit: at Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam nostris rebus aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam.

30. Ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit; Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est, et uterque natura vehemens, et acer. Itaque quum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit; multaque opera, multaque industria Rutilius fuit; quae erat propterea gratior, quod idem magnum munus de iure respondendi sustinebat. Sunt eius orationes ieiunae; multa praeclara de iure; doctus vir, et graecis literis eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis; quorum peracutum et artis plenum orationis genus, scis tamen esse exile,

Scaurus, primus quoque inter senatores sententiam rogabatur.

Et tres ad L. Fufidium) qui ipse etiam in aliquo patronorum numero fuit) Haec verba parenthesi inclusa huc transtuli. In omnibus edd. post verba ultima huius cap. *nec tamen Scauri laudibus anteponendam*, adiiciuntur ista *ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit*. Quia autem deinceps sequitur: *Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est, et uterque natura vehemens, et acer*, nisi illa verba *ipse etiam L. Fufidius fuit* hinc amoverentur, plane intelligendum esset, *utrumque*, Rutilium et Fufidium fuisse natura vehementem et acrem quum Cicero tamen hoc de Scauro et Rutilio praedicet.

Neque tam nostris rebus aptam) Gu. 1, 2, *neque nostris rebus aptam*.

Nec tamen Scauri laudibus anteponendam) Gu. 2 omittit *tamen*.

Multa praeclara de iure) Ernestio placet *multa praeclare* scil. scripta *de iure*.

Scis tamen esse exile) Sic Gu. 1, 2, Ed Omnib. Lallem. Vulgo *sed tamen exile*. Suavius autem est Ciceronem

nec satis populari assensioni accommodatum. Itaque illa, quae propria est huius disciplinae, philosophorum de se ipsorum opinio, firma in hoc viro et stabilis inventa est. Qui quum innocentissimus in iudicium vocatus esset (quo iudicio convulsam penitus scimus esse rempublicam), quum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. Dixit ipse pro sese; et pauca C. Cotta, quod sororis erat filius, et is quidem tamen, ut orator, quamquam erat admodum adolescens. Sed Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud iudicii et magnitudo causae postulabat. Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis;

b. Ut saepe fit, Brutum alloqui, simque quasi testem ad auctoram sententiae suae adhibere Ita capite superiore: *huius ipsius rei, quemadmodum seis, praecepta sunt*

* *Illa, quae propria est huius disciplinae philosophorum de sapiente opinio*) Ita corrigendum putavi. Vulg. *illa quae propria est huius disciplinae philosophorum de se ipsorum opinio.* Cicero suum hoc innuit, Rutilium exemplo suo docuisse, Stoicorum de sapiente opinionem non vanam esse, sed firmam ac stabilem. Nimirum Stoici negabant sapientem cuiquam servire, cuiquam supplicem fieri, aut quidquam gratiae causa facere. Egregie autem illustratur hic locus lib. I de Oratore c. 52, 53, Paradox. V, 3, Orat. pro Murena c. 29, 30

Qui quum innocentissimus in iudicium vocatus esset) Particulam quum hic sententiae consecutio poscit; eam que iam praebet Victorii editio. Vulg. *quamquam* inepte. Nec melius, ut quod Palmyraeno in mentem venerat, *quoniam*.

* *Quod sororis erat filius*) Rutiliae, de qua Seneca in Consol. ad Albinam ita scribit: *Rutilia Cottam filium sequuta est in exilium .... nec ante in patriam quam cum filio rediit.* etc. CORRAD.

* *Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis*) Qui sint *antiqui oratores*, Ernestius probabiliter explicavit. Nempe sunt ii, qui sine doctrina, Graecarum potissimum literarum expertes, antiquo more ac simplici dicebant. Firmare sententiam poterat cap. 25 ubi de fratribus Mummiis dicitur, alterum quidem Lucium simplicem et antiquum fuisse, alterum Spurium, qui doctus fuerit ex disciplina Stoicorum, nihilo illum quidem ornatiorem, sed tamen astrictiorem fuisse. Ceterum concinnius ista sic, ut opinor, legerentur: *Habemus igitur, ut in Stoicis, oratorem Rutilium, Scaurum, ut in antiquis.*

utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne haec quidem in civitate genera hacc oratoria laude caruerunt. Volo enim, ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta.

31. Et quoniam Stoicorum est facta mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus, et congruens cum ea disciplina, quam colebat; paulo etiam durior; qui quidem in triumviratu iudicaverit contra P. Africani,

Ne haec q. i. e. g. haec e. l. e.) Ita rescripsi, partim ex scriptura Gu. 1, partim e Schutzii coniectura. Vulgo: *Ne haec q. i. e. g. hae e. l. e.* Verisimilius mihi videtur, verba *hec haec* a librariis fuisse invicem transmutata. Ed. Tavr.

Volo enim, ut in scena, sic etiam in foro) Abesse malim *etiam*. In istis enim comparandi formulis saepe omittitur; et hic eo facilius eo caremus, quia statim aptiore loco recurrit. Et abest *etiam* ab edit. Omnib.

* *Celeri motu et difficili*) Non est quod lectionem *difficili* mutandam putes. *Motus difficilis* est i. q. paulo post *actio molesta*.

* *Statarios*) Hanc comparationem bene illustravit Gesnerus in Thes. L. L. e loco Terentiano in prol. Heautont. Vid. Cl. Cic. h. v.

* *Non molesta*) Gu. 2, *non molestam*, quod Ernestius quoque praeferebat. Audirem, si additum esset *in gestu* vel simile quid. Est autem *veritas in agendo molesta* illa, quam dixit Quintilianus Inst. or. II, 3, 183 pronunciationem vultuosam et gesticulationibus molestam, et vocis mutationibus resultantem.

* *Quintus Aelius Tubero*) Panaetii auditor, et Stoicorum doctrinam morumet orationis tristitiam suscepit cum dialectica subtilitate. Avito decore, et honores, honorum ipse contemptu longe superavit. Nam paupertatem generis ab suis maioribus, fascibus et triumphis ornatam, ipse, praelata honoribus continentia, magis nobilitavit per acceptam repulsam. Epulum enim P. Africani nomine populo Rom. quum daret Fab. Maximus, ipse rogatus ut triclinium sterneret, lectulos ligneos Punicanos pellibus texit hoedinis, et fictilia veterum pro argenteis vasa exposuit. Quam obsoletam iam frugalitatem populus mirari malebat, quam experiri, plusque apud eum valuit tenuis illius apparatus indignatio, quam Lucii Pauli Tuberonis avi, eiusque avunculi Africani merita: quibus hic incomitiis praetoriis, iustum suffragiorum numerum minime tulit. Doctrina iuris praestitit omnibus quotquot ante se fluxerunt. Scripsit historias, et librum de Officio iudicis ad Caium Oppium. Hunc vero Consulem fuisse, e nullo veterum, praeter Pomponium, accepimus. Gravina de Ortu Iuris.

* *In Triumviratu*) Quis hic trium-

avunculi sui, testimonium, vacationem augures, quo minus iudiciis operam darent, non habere; sed ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. Itaque honoribus maiorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis, et fortis, et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. Sunt etiam in Gracchum Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando.

Tum Brutus: Quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Graecis, ut omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sint, et id arte faciant, sintque architecti paene verborum; iidem, traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur! Vnum excipio Catonem, in quo, perfectissimo Stoico, summam eloquentiam non desiderem; quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuisse.

Et ego, Non, inquam, Brute, sine causa, propterea quod istorum in dialecticis omnis cura consumitur; vagum illud orationis, et fusum, et multiplex non adhibetur genus. Tuus autem avunculus quemadmodum

viratu sit nemo, quod sciam, ita explicavit, ut rem prorsus expeditam esse, nobis persuaserit. Ernestius in Clave Cic. bene quidem Corradum refutavit, qui Tuberonem triumvirum monetalem aut capitalem fuisse coniecerat. Idem tamen quum existimabat, sermonem hic esse non de triumviratu Tuberonis, sed de tempore triumviratus agrarii, qui fuit illis temporibus ex lege agraria Sempronia C. Gracchi, non cogitabat, enten docendum fuisse, Ciceronem iste omnia, quae hic intelligenda essent, infinito hoc vocabulo *in triumviratu* significare potuisse. Quidni potius legaretur *in tribunatu*?

Indicaverit) Gu. 1, 2, *indicaverat*.

* *Vacationem augures — non habere*) Q. Tubero indicavit augures vacationem non habere, quo minus iudiciis operam darent. Tempore certe Ciceronis non videntur habuisse. Nam Cicero ipse, quum esset augur, verebatur tamen, ne sera diiudicatione educeretur. lib. XII ad Attic. 19. Corrad.

Fortis, et in primis Graccho molestus) Gu. 2, *fortis, imprimis Graccho molestus*.

* *Catonem*) Vticensem nimirum, quem paulo post Bruti avunculum nominat. Servilia enim, Bruti mater, Catonis fuit soror.

scis, habet o Stoicis id quod ab illis petendum fuit; sed dicere didicit a dicendi magistris, eorumque more se exercuit. Quodsi omnia a philosophis essent petenda, Peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio. Quo magis tuum, Brute, iudicium probo, qui eorum philosophorum sectam sequutus es, quorum in doctrina atque praeceptis disserendi ratio coniungitur cum suavitate dicendi et copia; quamquam ea ipsa Peripateticorum Academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut nec perficere oratorem possit ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Nam ut Stoicorum astrictior est oratio, aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt, sic illorum liberior et latior, quam patitur consuetudo iudiciorum et fori. Quis enim uberior in dicendo Platone? Iovem sic aiunt philosophi, si graece loquatur, loqui. Quis Aristotele nervosior? Theophrasto dulcior? Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur; idque apparet ex genere et granditate verborum. Dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese. Sed et huius oratio, in philosophiam translata, pugnacior, ut ita dicam, videtur, et illorum in iudicia, pacatior.

32. Nunc reliquorum oratorum aetates, si placet, et

Qui eorum philosophorum) Posteorum vulgo legebatur *id est ex vetere Academia*, in quo dudum viri docti glossema odorati sunt, nimis patienter in textu toleratum.

Iovem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui) Asciviumus Coraclectionem, Beusingero quoque probatam Vulgo *Iovem aiunt philosophi, si Graece loquatur, sic loqui*. Gu. 1, 2, *Iovem sicut aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui*. Palmyraenus conj. *Iovem sic quidem, aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui*. Victor. *Iovem sic, ut aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui*.

Lectitavisse Plat. studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur) Corradus dubitat, utrum *studiose* ad *lectitavisse*, an potius ad *audivisse* trahendum sit; praesertim quum lib. I de Orat. Demosthenes dicatur Platonis studiosus audiendi fuisse. Quid autem impedit, quo minus *studiose* ad utrumque pertinere dicamus?

gradus persequamur. Nobis vero, inquit Atticus, et vehementer quidem, ut pro Bruto etiam respondeam. Curio fuit igitur eiusdem aetatis fere, sane illustris orator, cuius de ingenio ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim et aliae, et pro Ser. Fulvio, de incestu, nobilis oratio. Nobis quidem pueris haec omnium optima putabatur, quae vix iam comparet in hac turba novorum voluminum.

Praeclare, inquit Brutus, teneo, qui istam turbam voluminum effecerit.

Et ego, inquam, intelligo, Brute, quem dicas. Certe enim et boni aliquid attulimus iuventuti, magnificentius, quam fuerat, genus dicendi et ornatius; et nocuimus fortasse, quod veteres orationes post nostras, non a me quidem (meis enim illas antepono), sed a plerisque legi sunt desitae.

Annumera, inquit, me in plerisque; quamquam video mihi multa legenda iam te auctore, quae antea contemnebam.

Atqui haec, inquam, de incestu laudata oratio puerilis est locis multis; de amore, de tormentis, de rumore, loci sane inanes; verumtamen, nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita civitate, tolerabiles. Scripsit etiam alia nonnulla, et multum dixit, et illustrium in numero patronorum fuit; ut eum

Et ego, inquam, intelligo, Brute, quem dicas) Gu 1, *Ego, inquam.* Molin: *Et ego Intelligo quem dicas* Vt post *ego* suppressum sit *inquam*. Plene dicitur cap. 37 *Et ego, Non, inquam, Brute, sine causa.* Itaque transponendum *Et ego, intelligo, inquam, Brute, quem dicas.*

Annumera — me in plerisque) Vulg *enumera* Sed in Gulf 1 fuit *annumera*, nisi quod primam literam macule oppresait.

Et multum dixit, et illustrium in numero patronorum fuit) Ita correxi vulgatum: *et multa dixit*, et *illustris*, *et in numero patronorum fuit*. Etenim *multa dixit* latine significare non potest, eum *multas orationes habuisse*, qui tamen sensus hic poscitur; sed hoc enuntiatur verbis *multum dixit*, ubi

mirer, quum et vita suppeditavisset, et splendor ei non defuisset, consulem non fuisse.

33. Sed ecce in manibus vir, et praestantissimo ingenio, et flagranti studio, et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare, quemquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse. Et ille, Sic prorsus, inquit, existimo; atque istum de superioribus paene solum lego.

Immo plane, inquam, Brute, legas censeo. Damnum enim illius immaturo interitu res romanae latinaeque literae fecerunt. Vtinam non tam fratri pietatem, quam patriae, praestare voluisset! Quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam esset, vel avitam gloriam consequutus! Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis; manus extrema non accessit operibus; praeclare inchoata multa, perfecta non plane. Legenda, inquam, est hic orator, Brute, si quisquam alius, iuventuti. Non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest.

34. Huic successit aetati C. Galba, Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis et iurisperiti gener. Laudabant hunc patres nostri, favebant etiam propter patris memoriam, sed cecidit in cursu. Nam rogatione Mamilia, Iugurthinae coniurationis invidia,

multum est 1. q. *saepe* Alteram emendationis partem iam occupavit Schnerdeius ep. ad Langerum p. 28.

Pleniorem et uberiorem) Ed. Omnib. Victor. *pleniorem aut uberiorem*. Et sic Gu. 2. At Gu. 1, *ac uberiorem*. Victoris lectionem praetulerim. Similiter c. 34 extr. *nisi iudicarem, qui suspiciosius aut criminosius diceret, audivisse me neminem*

Manus extrema non accessit operibus) Auctoritate Gu. 1 expunxi *eius*; quod vulgo additur, sed elegantius abest.

* *Rogatione Mamilia, Iugurthinae coniurationis invidia*) Ed. Omnib. *rogatione Manilia, Iugurthinae coniurationis invidia*. Pro lectione *rogatione Manilia*, quae multas editiones obsederat, recte hic et post Corradus et Lambinus dederunt *rogatione Mamilia*. Nempe a. V 643 C Mamilius Li-

quum pro sese ipse dixisset, oppressus est. Exstat eius peroratio, qui epilogus dicitur; qui tanto in honore pueris nobis erat, ut eum etiam ediscerem us. Hic, qui in collegio sacerdotum esset, primus post Romam conditam iudicio publico est condemnatus. P. Scipio, qui est in consulatu mortuus, non multum ille quidem, nec saepe dicebat, sed et latine loquendo cuivis erat par, et omnes sale facetiisque superabat. Eius collega L. Bestia bonis initiis orsus tribunatus (nam P. Popilium vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit) vir et acer, et non indisertus, tristes exitus habuit consulatus. Nam invidiosa lege Mamilia quaestione C. Galbam sacerdotem, et quatuor consulares, L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, civemque praestantissimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo absolu-

metauus tribunus plebis legem tulit, uti quaereretur in eos quorum consilio Ingurtha Senatus decreta neglexisset, quique ob eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, etc. quae refert Sallustius bell. Iug. c. 13.

Vt eum etiam ediscerem us) Abest *eum* ed. Omnib.

* *P. Scipio*) P. Cornelius Scipio Nasica, P. illius, qui Tib. Gracchi conatus perditos vindicavit, filius, ut lib. I de Officiis dicitur: qui cum L. Calpurnio Bestia consul fuit anno 643. Corr.

Eius collega) Gu. 1, *eius collega*.

* *L. Bestia*) L. Calpurnius Bestia, qui consul bellum cum Iugurtha gerere iussus, pacem cum eo iniussu populi et senatus fecit, ut Liv. lib. LXIV scripsit, quod ipse quoque, et Sallustius ostendit, pecunia fuisset a rege corruptus: qui postea, ut ex lib. II de Orat. cognoscitur, a C. Memmio fuit accusatus. Fuit autem consul cum P. Cornelio Scipione Nasica, anno ab V. C. 643. Idem.

Tristes exitus habuit) Gu. 1, *tristis habuit exitus* ordine verborum concinniore.

Invidiosa lege Mamilia quaestione) Veram hanc lectionem praebet ed. Ald. Postea in multas irrepsit *quaestio*, quod Ernestium induxebat, ut id uncis includeret, tamquam ex margine adscriptum.

* *L. Opimium*) Qui praetor et consul maximis Remp. periculis liberavit, ut in Orat. in Pisonem dicitur. Nam praetor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit, ut scripserunt Liv. lib. XI, et Ascon. in Orat. in Pisonem. Consul vero L. Opimius cum Q. Fabio Maximo, anno ab V. C. 633, C. Gracchum interfecit. Hic est Opimius, a quo consule celeberrimum Opimianum vini nomen est: de quo Cicero infra meminit, Paterculus lib. II, Plin. lib.

tum, quum is contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt. Huius dissimilis in tribunatu reliquaque omni vita, civis improbus, C. Licinius Nerva non indisertus fuit. C. Fimbria temporibus iisdem fere, sed longius aetate provectus, habitus est sane, ut ita dicam, truculentus accusator, asper, maledicus, genere toto paulo fervidior, atque commotior; diligentia tamen, et virtute animi, atque vita bonus auctor in senatu. Idem tolerabilis patronus, nec rudis in iure civili, et quum virtute, tum etiam ipso orationis genere liber; cuius orationes pueri legebamus, quas iam reperire vix possumus. Atque etiam ingenio, et sermone eleganti, valetudine incommoda, C. Sextius Calvinus fuit; qui etsi, quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat. Itaque consilio eius, quum volebant, homines utebantur; patrocinio, quum licebat. Iisdem temporibus M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, vulnus generi vestro, qui, quum

XIV, cap. 4. Credimus Opimiorum cognomen Pansam fuisse, quod Liv. lib. X, L. Opimium Pansam quaestorem agnoscat. Corr.

* *A populo absolutum, quum is contra populi studium stetisset*) H. e. quamvis is populi studium, quo complexus erat C. Gracchum, oppugnasset.

* *Habitus est sane, ut ita dicam, truculentus accusator*) Vulgo editur: *habitus est sane, ut ita dicam, luculentus patronus.* Quod iure Ernestium offendit. Nam qualis patronus fuerit Fimbria, paulo post dicitur. Itaque *patronus* delendum esse ille iudicabat, et pro *luculentus* legendum *truculentus*; hactenus recte, nisi quod necessario, quod fecimus, addendum erat *accusator*. In hunc enim omnia ista conveniunt, *truculentus, asper, maledicus.* Sic infra c. 35 Memmii dicuntur accusatores *acres atque acerbi.* Vitium vulgatae scripturae sic ortum esse videtur. Quum omissum forte esset a librario *accusatoris* vocabulum, alius quidam supplevit *patronus*, cui quum non conveniret epitheton *truculentus*, facile potuit in *luculentus* mutari.

In quo magnum fuit, Brute, vulnus generi vestro) Ed. Omn. *in quo magnum fuit, Brute, decus generi vestro.* Vulgo: *in quo magnum fuit, Brute, dedecus generi vestro.* Rivius autem in ed. Rom. invenit *vulnus*, quae lectio est exquisitior, nec vero, ut Ernestius putabat, rei, quae de agitur, inepta. Facinni qui legerent *in quo magnum fuit, Brute, dedecus insitum generi vestro.*

tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset et iuris peritissimum, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. Is magistratus non petivit, sed fuit accusator vehemens et molestus; ut facile cerneres naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatae voluntatis. Atque eodem tempore accusator de plebe L. Caesulenus fuit, quem ego audivi iam senem, quum ab Lucio Sabellio mulctam lege Aquillia de iniuria petivisset. Non fecissem hominis paene infimi mentionem, nisi iudicarem, qui suspiciosius aut criminosius diceret, audivisse me neminem. Doctus etiam Graecis T. Albucius, vel potius paene Graecus. Loquor, ut opinor; sed licet ex orationibus indicare. Fuit autem Athenis adolescens; perfectus Epicureus evaserat; minime aptum ad dicendum genus.

35. Iam Q. Catulus, non antiquo illo more, sed hoc nostro (nisi quid fieri potest perfectius) eruditus. Multae literae, summa non vitae solum, atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam latini sermonis integritas; quae perspici cum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu, et de rebus gestis suis conscriptum molli ex Xenophonteo genere sermonis, misit ad A. Furium

De iniuria) Vulgo *de iustitia*, male Lex enim huius Aquillii fuit *de damno iniuria dato*. Itaque recte Manutius et Lambinus correxerunt *de iniuria*.

* *T. Albucius*) Eques Romanus, admodum levis, et morum peregrinitate odiosus, Sardiniam praetor obtinuit, anno Urbis 649. Quum sibi non exspectato senatus iudicio triumphum arrogasset homo vanissimus, eius temeritas supplicatione denegata notata est. Ernst.

* *Q. Catulus*) Q. Lutatius Catulus cum C. Mario, anno ab U. C. 652 consul fuit, et cum eodem Mario de Cimbris triumphavit, ut scribit Plutarchus. Postea vero in civili bello victor Marius, necessariis Q. Catuli deprecantibus, non semel respondit *Moriatur*, ut Cicero Tuscul. V refert. Vita igitur se ipse privavit, ut Valer. Max. lib. IX, c. 12, scribit, recenti calce illito, multoque igni percalefacto cubiculo. De hoc re videndus etiam Paterculus. Cor.

Eruditus) Guelf. 1, 2, *erudetus*.

poëtam familiarem suum; qui liber nihilo notior est, quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri.

Tum Brutus, Mihi quidem, inquit, nec iste notus est, nec illi; sed nec mea culpa est: numquam enim in manus inciderunt. Nunc autem et a te sumam, et conquiram ista posthac curiosius.

Fuit igitur in Catulo sermo latinus; quae laus in dicendo non mediocris ab oratoribus plerisque neglecta est. Nam de sono vocis, et suavitate appellandarum literarum, quoniam filium cognovisti, noli exspectare quid dicam. Quamquam filius quidem non fuit in oratorum numero; sed non deerat ei tamen in sententia dicenda cum prudentia, tum elegans quoddam et eruditum orationis genus. Nec habitus est tamen pater ipse Catulus princeps in numero patronorum; sed erat talis, ut, si cum iis audires, qui tum erant praestantes, videretur

Sed nec mea culpa est) Ed. Oxon. Victor. aliaeque plurimae *sed haec mea culpa est*. Verum lectionem *sed nec* a Rivio et Lambino probatam iam repraesentat ed. Aldina.

Laus in dicendo) Hanc lectionem praebet ed. Rom. teste Rivio: «Perperam vulgo *laus dicendi*, non quia sic quidem dici latine possit (neque enim hoc in dubium venit) sed quod hanc sensus ipse lectionem respuat et repudiet. Nam laus dicendi ea demum est, ubi quis de eloquentia commendatur, et facultate dicendi. Quam in sententiam postea L. Cottam Cicero dicendi non ita multum laude processisse ait. Sic et *bene loquendi laus*, quum de sermone quis plane latino et emendato laudatur. Quo modo postea Cicero, ubi M. Aurelium Scaurum latine in primis esse eleganter loquutum dixit, mox eandem laudem in A. Albino bene loquendi fuisse ait. At vero *laus* ipsa *in dicendo* ea fere est, quum aliqua virtus, quae sit in ornando quis uti solitus, probatur. Quo modo Cicero hic sermonem latinum ait laudem esse in dicendo non mediocrem, minirum quod praeclaram et eximiam mereatur laudem orator, si pure atque incorrupte loquatur, non inquinate ac sordide. Vides igitur aliud quiddam longeque aliud esse *dicendi laudem* atque *in dicendo*.» Hactenus Rivius.

* *Filium cognovisti*) Q. Lutatium Q. F. Catulum, qui fuit consul cum M. Aemilio Lepido, anno ab V. C. 677, quo tempore M. Lepidus, quum acta Syllae tentaret rescindere, bellum excitavit, et ab ipso Q. Catulo collega Italia pulsus est, et in Sardinia frustra bellum molitus, periit. Corrad.

Vt, si cum iis audires) Vulgo:

esse inferior; quum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres. Q. Metellus Numidicus, et eius collega M. Silanus, dicebant de republica, quod esset illis viris et consulari dignitati satis. M. Aurelius Scaurus non saepe dicebat, sed polite; latine vero in primis est eleganter loquutus. Quae laus eadem in A. Albino bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero

ut, quam quendam audires. Optime autem Schuetzerus in Ep. ad Langerum *ut, si cum iis audires*, cuius lectionis vestigia sunt in Guelf. 1, ubi legitur *ut, cum iis quondam audires.*

* *Q. Metellus Numidicus*) Q. Caecilius Metellus Numidicus, quem Cicero lib. I Famil. et in Orat. pro Corn. Balbo L. filium vocat, qui consul cum M. Silano anno ab V. C. 645, quum duobus proeliis Iugurtham fudisset, et universam Numidiam vastasset, triumphavit, et *Numidicus* est appellatus. Multa de eo passim Cicero, qui cum hoc uno potissimum se conferre solet, quod uterque in exsilium fuerit actus, et postea in civitatem restitutus, sed ita tamen, ut rem suam praeferat. Hic Metellus adolescens Athenis Carneadem iam affectum senectute multos dies audivit, ut L. Crassus eius familiaris lib. III de Orat. testatur. Itaque ut docto doctus Archias illi iucundus erat, ut in Orat. pro Archia sec. plura videmus. Ob id hic a Cicerone et a Paterculo lib. II inter Oratores numeratur. Corrad.

* *M. Silanus*) Hic est M. Iunius Silanus, qui adversus Cimbros infeliciter pugnavit, ut Liv. lib. LXV, et Ascon. in Orat. pro Cornelio scribunt, quamvis Eutropius dicat Cimbros ab eo in Italia victos fuisse. Hic plures leges, quibus militiae stipendia minuebantur, abrogavit, quod Ascon. ibid. refert. Id.

* *M. Aurelius Scaurus*) Is est M. Aurelius Scaurus, qui postulante, quod is Ephesi se quaestorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus a fano Dianae servum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus Romam evocatus est, quod auctor iniuriae illius fuisse arguerctur; ut Verrina III relatum est. Huic nominis deferendi in L. Flaccum potestas non est data, quod quaestor eius fuisset. Id.

* *A. Albino*) Sp. Albini, ut nos putamus, fratre; qui quum esset fratris in Africa legatus, propraetor ab eo relictus, infeliciter proelio adversus Iugurtham gesto conflixit, pacemque etiam multum ignominiosam adiecit, quam quidem minime esse servandam senatus censuit, ut Liv. lib. LXIV scriptum reliquit. Ob eam causam nos credimus eum post fratris consulatum annos decem iacuisse, ac tandem cum M. Antonio consulem anno ab V. C. 655 factum fuisse; cuius consulatus Cicero in Orat. post reditum ad Quirit. Plin. lib. VIII, cap. 7, et Gell. lib. IV, c. 7 meminerunt; nisi forte quis alium Albinum fuisse putet. Id.

est habitus disertorum. Q. etiam Caepio, vir acer et fortis, cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit. Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt, oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. Itaque in iudicium capitis multos vocaverunt, pro reis non saepe dixerunt. Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitiosa, et inutili lege, vectigali levavit. M. Marcellus Aeserninii pater, non ille quidem in magnis patronis, sed et in promptis tamen et inexercitatis ad dicendum fuit, ut filius eius, P. Lentulus. L. etiam Cotta, praetorius,

* *Q. etiam Caepio*) Q. Servilius Caepio cum C. Atilio Serrano consul anno ab V. C. 648 fuit, et, ut scribit Cassiodor. iudicia equitibus et senatoribus communicavit, quum vero Cicero de Invent. lib. I significat. Hic proconsul, vel, ut est apud Gellium, consul, capta urbe Gallica, cui nomen est Tolosa, centum M. ponderis auri, at argenti 110 M. e templo Apollinis anstulit quod quum Massiliam, amicam populo romano urbem, cum praesidiis missent, interfectis clam (sicut quidam contestantur) quibus ea custodienda et pervehenda commiserat, cuncta per scelus furatus fuisse narratur. Vnde etiam magna quaestio post Romae est acta, ut apud Orosium lib. V, cap. 15 legimus. Vid Gell. lib. III, cap. 9, et Strabon. lib. IV. Io.

* *Cui fortuna belli*) Ob rem adversus Cimbros ann. V. C. 648 male gestam, amissionemque exercitus, quam Caepio fortunae magis quam culpae suae tribui cupiebat (ad Herennium I, 14), crimini fuit, quum ei C. Norbanus trib. pleb ann. V. C. 658 diem diceret, eamque omnibus modis vexaret, *invidia populi*, quae eum onerabat ob deplorandum interitum exercitus (de Orat. II, 48) *calamitati fuit*, i. e. damnationem eius inter seditiones a Norbano concitatas effecit

* *M. Marcellus Aeserninii pater*) M Claudius Marcellus. Fuerunt vero duae familiae Claudiae, ea quae Marcellorum appellata est, plebeia; quae Pulchrorum, patricia, ut Asconius in Orat. pro Scauro, et Sueton. in Tiberio docent. Hic videtur esse Marcellus, de quo L. Crassus lib I de Orat. loquitur. Quia deditus erat eloquentiae studiis, hic illum Cicero inter oratores posuit quamquam dubitari potest, quoniam ante L. Crassum collocet. Ille enim L. Crasso multo erat iunior. Quare fortasse sit ille Marcellus, qui cum L. Crasso ipse gessit inimicitias, at in quem testimonium dixit, ut Orat. pro Font. refertur. Filius eius forte Aeserninus est appellatus, quod patrem cum Aesernia captum liberarit, ut ex Liv. lib. LXXXIII coniicere licet. Corr.

Sed et in promptis tamen et non inexercitatis) Ed. Omnib. *sed in promptis tamen et non exercitatis.*

* *Vt filius eius, P. Lentulus*) Dubitari posse video, qui pacto, quum et Marcellus esset ipse, et Marcelli

in mediocrium oratorum numero dicendi non ita multum laude processerat; sed de industria, quum verbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico subsequebatur, atque imitabatur antiquitatem.

36. Atque ego et in hoc ipso Cotta, et in aliis pluribus, intelligo, me non ita disertos homines et retulisse in oratorum numerum, et relaturum. Est enim propositum, colligere eos, qui hoc munere in civitate functi sunt, ut tenerent oratorum locum; quorum quidem quae fuerit ascensio, et quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio, ex eo, quod dicam, existimari potest. Quam multi enim iam oratores commemorati sunt, et quam diu in eorum enumeratione versamur, quum tamen spisse atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus! Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, et in his primum cum Graecorum gloria latine dicendi copiam aequatam.

37. Omnia veniebant Antonio in mentem; eaque suo

Aeserníni pater esset, nunc etiam P. Lentulum filium habere dicatur; quum Claudia et Cornelia gentes sint diversae. Sed hic aliqua fuerit adoptio necesse est; ut vel hic P. Lentulus, quum esset prius Claudius Marcellus, ut Claudii Marcelli filius, ab aliquo Cornelio Lentulo fuerit adoptatus, et ita P. Cornelius Lentulus appellatus: vel certe M. ipse Marcellus pater, postquam iam Marcellum Aeserninum habuerat filium, in Corneliam familiam sit adscitus, et Cn. Cornelius Lentulus Clodianus sit appellatus, qui fuerit consul anno ab V. C. 657, cuius postea filius hic P. Lentulus fuerit. Corr.

Subsequebatur) Sic Guelf. 1. Vulgo, *prosequebatur*. Guelf. 2, *persequebatur*.

Functi sunt) Sic Guelf. 1; *sint functi* Guelf. 2.

Ascensio) Veram hanc lectionem pro eo quod olim legebatur *assensio* primus eruit Rivius.

* *Antonio*) M. Antonius, quum esset praetor, vel potius consul designatus, quo anno Saturninus est interfectus, extra urbem cum praesidio fuit (Orat. pro C. Rabirio). Anno sequenti, id est 655, cum A. Posthumio Albino consul fuit (Orat. post reditum ad Quirit.) Deinde proconsul in Ciliciam est profectus (lib. I et II de Orat.), ubi etiam censor fuisse dicitur. Fuit etiam legatus, at

quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. Imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur; sed ita erat paratus, ut iudices, illo dicente, nonnunquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse. Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone; itaque diligenter loquendi laude caruit (neque tamen est admodum inquinate loquutus); sed illa, quae proprie laus oratoris est in verbis. (Nam ipsum latine loqui, est illud quidem, ut paulo ante dixi, in magna laude ponendum; sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum. Non enim tam praeclarum

infra dicatur. Hunc Cicero lib II de Orat. putat nullius rei, quae quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare ipse posset, rudem aut ignarum fuisse; sed quia nolebat ipse videri didicisse, opinio fuit, illum omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuisse, usque adeo, ut ne tabulas quidem conficere existimaretur, ut lib. eodem II de Orat. scribitur, quae fuit opinio falsa (Verr. III), quamvis Asconius alium Antonium significari male putet. Ipse M. Antonius lib. I de Orat. se literas graecas uero ac leviter attigisse testatur. Eas vero sic attigit, ut quum lib. II de Oratore historicos graecos nominasset, ac scienter et proprie de unoquoque dixisset, ita Caesar exclamarit *Ubi sunt, qui Antonium graece negant scire?* Ius certe civile affirmat ipse, neque se unquam didicisse, neque tamen in his causis, quas in iure posset defendere, unquam istam scientiam desiderasse. Nihil se arbitrabatur ad iudicia causasque amicorum, praeter fidem et ingenium, afferre oportere (Verr. I), et quascunque causas erat acturus, eas diligenter penitusque volebat cognoscere; id quod omnibus faciendum ipse lib. II de Orat. praecipit. Cicero Tusc. V scribit Cinnam iussisse caput M. Antonii praecidi, quum Plutarchus et Appianus affirment id iussu Marii factum fuisse; sed Val. Max. lib. VIII, cap. 9 demonstrat utrumque verum fuisse: caput certe M. Antonii abscissum suis manibus Marius inter epulas per summam autem ac verborum insolentiam aliquamdiu tenuit, quod Valer. Max. lib. IX, c. 2, Liv. lib. LXXX, Flor. lib. III, cap. 21, et Lucan. lib. II, scripserunt. Libellum unum reliquit, in quo dixit illud, quod refertur in Oratore, ac lib. I et II de Orat. *Disertos se vidisse multos, eloquentem omnino neminem.* CORR.

Imparatus semper) Abest *semper* Guelf. 1.

Proprie) Lambin. *propria*.

est scire latine, quam turpe nescire; neque tam id mihi oratoris boni, quam civis Romani proprium videtur). Sed tamen Antonius in verbis et eligendis (neque id ipsum tam leporis causa, quam ponderis) et collocandis, et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem, et tanquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus. Quo genere quia praestat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps iudicatus. Σχήματα enim quae vocant Graeci, ea maxime ornant oratorem; eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis. Sed quum haec magna in Antonio, tum actio singularis, quae si partienda est in gestum, atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens: manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus, omnisque motus cum rebus sententiisque consentiens; vox permanens, verum subrauca natura; sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. Habebat enim flebile quiddam in quaestionibus, aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commovendam; ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt ei, qui quaesivisset, quid primum esset in dicendo,

Ea maxime ornant oratorem) Quod alii habent *orationem*, id non est vulgatae praeferendum; quia quum propter ista σχήματα Demosthenem a doctis oratorum principem iudicatum esse dixisset, addit ea maxime oratorem ornare.

Cum rebus sententiisque consentiens) Vulgo *Cum verbis sententiisque consentiens*. Sed paulo ante dictum erat, gestum Antonii fuisse non verba exprimentem, sed cum sententiis congruentem. Neque vero intelligi potest, quomodo humeri, latera, status, incessus in oratore possint cum verbis consentire. Itaque rescripsi *cum rebus sententiisque consentiens*. Omnino autem ille distributio in verbis: *manus, humeri, latera supplosio pedis, status, incessus, omnisque motus cum rebus sententiisque consentiens*, nescio quid molesti h[abet.] Nemo sane illa desideraret, si illis omissis legeretur: *gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens; vox permanens, verum subrauca natura.*

Convertebat) Lambinus *vertebat*.

actionem; quid secundum, idem, et idem tertium, respondisse. Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit; talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt.

38. Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum. Illud quidem certe omnes iudicabant, neminem esse, qui, horum alterutro patrono, cuiusquam ingenium requireret. Equidem, quamquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas, erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis, lepos; latine loquendi accurata, et sine molestia diligens elegantia; in disserendo mira explicatio; quum de iure civili, quum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia.

39. Nam, ut Antonius, in coniectura movenda, et in sedanda suspicione aut excitanda, incredibilem vim habebat: sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate, nihil erat Crasso copiosius; idque cum saepe alias, tum apud centumviros in M' Curii causa cognitum est. Ita enim multa tum contra scriptum pro aequo et bono dixit, ut hominem acutissimum, Q. Scaevolam, et in iure, in quo illa causa vertebatur, paratissimum, obrueret argumentorum exemplorumque copia; atque ita tum ab his patronis aequalibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, quum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentium iurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissi-

Volunt) Sic etiam Guelf. 1, 2. Nec audiendus est Ernestius, qui *volunt* commendaturus videbatur.

In coniectura movenda, et in sedanda suspicione) Vulg. *in coniectura movenda aut sedanda suspicione*.

In interpretando) Guelf. 2, *in vituperando*.

Vertebatur) Ed. Ven. *versabatur*; minus bene.

Paratissimum) Quaedam odd. *peritissimum*.

mus Scaevola putaretur; qui quidem quum peracutus esset ad excogitandum, quid in iure, aut in aequo verum aut esset, aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. Quare fuit nobis orator in hoc interpretandi, explanandique, et disserendi genere mirabilis, sic ut simile nihil viderim; in augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus, quam admirandus orator. Verum ad Crassum revertamur.

40. Tum Brutus, Etsi satis, inquit, mihi videbar habere cognitum Scaevolam ex iis rebus, quas audiebam saepe ex C. Rutilio, quo utebatur propter familiaritatem Scaevolae nostri, tamen ista mihi eius dicendi tanta laus nota non erat. Itaque cepi voluptatem, tam ornatum virum, tamque excellens ingenium fuisse in nostra republica. Hic ego, Noli, inquam, Brute, existimare, his duobus quidquam fuisse in nostra civitate praestantius. Nam, ut paulo ante dixi, consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse; sic in reliquis rebus ita dissimiles erant inter sese, statuere ut tamen non posses, utrius te malles similiorem. Crassus erat elegantium parcissimus; Scaevola parcorum elegantissimus. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis: Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas. Licet omnia hoc modo; sed vereor, ne fingi videantur haec, ut dicantur a me quodam modo. Res se tamen sic habet.

* *Scaevolae nostri*) Aliter *Scaevola*, omisso *nostri*. Hoc uti Scaevola pontifex utebatur Rutilio, propter familiaritatem, quam habebat cum altero Scaevola, quicumque is fuerit, quamquam locus non caret mendi suspicione. Corr.

* *Licet omnia hoc modo*) Scilicet persequi, i. e. possem hanc comparationem Scaevolae et Crassi per reliquas eorum virtutes producere.

Ne fingi videantur haec, ut dicantur) Heusingerus dubitabat, an interpungendum esset sic: *ne fingi videantur, haec ut dicantur*. Sed vulgaris ratio vera.

Ut dicantur a me quodam modo) Sic Guelf. 1, 2. Ed. Omnib. *ut di-*

Quum omnis virtus sit, ut vestra, Brute, vetus Academia dixit, mediocritas: uterque horum medium quiddam volebat sequi: sed ita cadebat, ut alter ex alterius laude partem, uterque autem suam totam haberet.

41. Tum Brutus, Cum ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Crassum et Scaevolam cognovisse, tum de te et de Ser. Sulpicio cogitans esse quandam vobis cum illis similitudinem iudico.

Quonam, inquam, istuc modo?

Quia mihi et tu videris, inquit, tantum iuris civilis scire voluisse, quantum satis esset oratori; et Servius eloquentiae tantum assumsisse, ut ius civile facile possit tueri: aetatesque vestrae, ut illorum, nihil, aut non fere multum differunt. Et ego, De me, inquam, dicere nihil est necesse; de Servio autem et tu probe dicis, et ego dicam, quod sentio. Non enim facile quem dixerim plus studii, quam illum, et ad dicendum, et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam et in iisdem exercitationibus, ineunte aetate, fuimus; et postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior; et, inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset; sed fortasse maluit, id quod est adeptus,

cantur a me quodammodo. Sed recte monuit Ernestius, ut divisim scriberetur *quodam modo*, i. e. ut concinnitatem captem et eius laudem petam per illa σχήματα parium paribus relatorum.

* *Nihil, aut non fere multum differunt*) Nam Cicero, quod scribit ipse, 3no, id est quadragesimo tertio aetatis anno consul fuit; et Ser. Sulpicius consulatum petiit, ut suo anno consul esset, id est anno, qui Ciceronis consulatum sequutus est; sed repulsam tulit, ut in Orat. pro Murena videmus. Itaque Cicero videtur anno dumtaxat maior fuisse, si modo Serv. Sulpicius anno suo praetor fuerat. Corr.

Non enim facile quem) Lamb. non enim facile quemquam.

Et postea una Rhodum ille etiam profectus est) Sic Lamb. ordine vee-

longe omnium, non eiusdem modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure civili esse princeps.

Hic Brutus, Ain' tu? inquit. Etiamne Q. Scaevolae Servium nostrum anteponis?

Sic enim, inquam, Brute, existimo, iuris civilis magnum usum et apud Scaevolam, et apud multos fuisse; artem, in hoc uno; quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae quibus positis essent, quaeque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem, omnium artium magistram, quasi lucem, ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur.

42. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis; sed adiunxit etiam et literarum scientiam, et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest. Quumque discendi causa duobus iuris peritissimis

horum coniunctiore, quam quod habent Gothofr. aliique: *et postea Rhodum una ille etiam profectus est.*

Omnium artium magistram) Vulgo: *omnium artium maximam.* At nemo veterum unquam *dialecticam omnium artium maximam* dixit. Sed quia dialectica docet, quomodo ea, quae sint in partibus humanae cognitionis dispersa et incondita, ad iustam artis formam redigi possint, idcirco ea recte appellari potest *omnium artium magistra.* Vulgatae lectionis incommodum vitaturus sibi videbatur Heusingerus hac ratione, ut, sublata interpunctione post *maximam*, legeretur *omnium artium maximam quasi lucem*, sed ne hoc quidem satis aptum esset, dialecticam *maximam omnium artium lucem* dicere. De re ipsa cf. de Orat. lib. I, cap. 41 (p. 123).

Ambigua) Sic Lambin. melius quam Gothofr. aliique *ambiguam.*

Quumque discendi causa duobus iuris peritissimis operam dedisset) Iuseras *iuris*, quod hic abesse nequit. Haud scio tamen an melius fuerit id ante vocabulum *discendi* inseruisse. *quumque iuris discendi causa duobus peritissimis operam dedisset.* Ceterum ante Lambinum multi ediderant, *quumque dicendi causa*, perperam; quia Servius ius civile non solum di-

operam dedisset, L. Lucilio Balbo, C. Aquillio Gallo; Galli, hominis acuti et exercitati, promtam et paratam in agendo, et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superavit; Balbi, docti et eruditi hominis in utraque re considerantam tarditatem vicit expediendis conficiendisque rebus; sic et habet, quod uterque eorum habuit, et explevit, quod utrique defuit. Itaque, ut Crassus mihi videtur sapientius fecisse, quam Scaevola (hic enim causas studiose recipiebat, in quibus a Crasso superabatur; ille se consuli nolebat, ne qua in re inferior esset, quam Scaevola); sic Servius sapientissime, quum duae civiles artes ac forenses plurimum et laudis haberent et gratiae, perfecit, ut altera praestaret omnibus, ex altera tantum assumeret, quantum esset, et ad tuendum ius civile, et ad obtinendam consularem dignitatem, satis.

Tum Brutus, Ita prorsus, inquit, et antea putabam. Audivi enim nuper eum studiose et frequenter Sami,

cendi causa didicerat, sed potius, quod statim sequitur, hanc artem ita tractaverat, ut ea praestaret omnibus, ex altera autem dicendi arte tantum assumeret, quantum esset et ad tuendum ius civile, et ad obtinendam consularem dignitatem satis.

* *Nolebat*) Nolebat certe Crassus de iure respondere, ne, quum in orandis causis superior esset, si de iure respondisset, aliquo in re videri posset Scaevola ipso, qui disciplina iuris civilis omnium esset eruditissimus, inferior. Malebat igitur Crassus in arte dicendi primus, quam in iure civili secundus esse ut Ser. Sulpicius contra maluit in secunda primus, quam in prima secundus esse, ut supra dixit. Corr.

Sic Servius sapientissime, quum duae civiles artes ac forenses plurimum et laudis haberent et gratiae, perfecit) Ascivi interpunctionem, quae est in Guelf. 1, 2, ubi etiam omittitur enim post *quum*. Vulgo *sic Servius sapientissime. Quum enim duae — et gratiae, perfecit* etc.

* *Audivi enim nuper*) Etsi videtur paene adversari de tempore hoc ipso divinare, non tamen concurrimus annum fuisse, quo Caesar consul IV fuit, et bellum in Hispania cum Pompeii filiis gessit; quo quidem anno Tullia Ciceronis decessit, et Brutus ac Ser. Sulpicius in Asia fuerunt. Et quidem Brutus ita, ut literas inde consolatorias ad Ciceronem scripserit; Ser. vero Sulpicius scripsit, quum ex Asia rediisset, ut ex eius literis cognosces. Fieri igitur potuit, ut vel simul ex Asia decedentes Samum venerint, vel alter decedens,

quum ex eo ius nostrum pontificium, qua ex parte cum iure civili coniunctum esset, vellem cognoscere, et nunc meum iudicium multo magis confirmo testimonio et iudicio tuo; simul illud gaudeo, quod et aequalitas vestra, et pares honorum gradus, et artium studiorumque quasi finitima vicinitas, tantum abest ab obtrectatione invidiaque, quae solet lacerare plerosque, uti ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. Quali enim te erga illum perspicio, tali illum in te voluntate iudicioque cognovi. Itaque doleo et illius consilio, et tua voce populum romanum carere tam diu; quod quum per se dolendum est, tum multo magis consideranti, ad quos ista non translata sint, sed nescio quo pacto devenerint.

Hic Atticus, Dixeram, inquit, a principio, de republica ut sileremus; itaque faciamus. Nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo quaerendi, sed ne lugendi quidem finem reperiemus.

43. Pergamus ergo, inquam, ad reliqua, et institutum ordinem persequamur. Paratus igitur veniebat Crassus, exspectabatur, audiebatur; a principio statim (quod erat apud eum semper accuratum) exspectatione dignus videbatur; non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis; vehemens, et interdum irata, et plena

alter in Asiam proficiscens, Sami obvii sint facti, et ita sint colloquuti. Sic etiam Marcellum Mitylenis Brutus vidit. Corr.

Ab obtrectatione invidiaque) Recte hanc lectionem defendit Rivius exemplis complaribus locorum, ubi haec vitia sic deinceps ponuntur: ut necesse non sit cum quibusdam edd. reponere *ab obtrectatione invidiae*.

Non modo quaerendi) Ernestius rescripsit ex edit. Med. Ald. *quaerendi*. Heusingerus autem *quaerendi* defendit sic, ut significet *cum dolore desiderandi*.

* *Nulla inambulatio*) Aliter *nulla ambulatio*. Nullus incessus. Probatur tamen incessus, si sit rarus, et sit in Oratore cap. 18; et Quint. XI, 3, ita refert: *Convenit etiam ambulatio quaedam propter immodicas laudationum moras. Ambulantem loqui*

iusti doloris oratio; multae et cum gravitate facetiae; quodque difficile est, idem et perornatus, et perbrevis. Iam in altercando parem invenit neminem; versatus est in omni fere genere causarum; mature in locum principum oratorum venit. Accusavit C. Carbonem, eloquentissimum hominem, admodum adolescens; summam ingenii non laudem modo, sed etiam admirationem est consequutus. Defendit postea Licinium virginem, quum annos XXVII natus esset. In ea ipsa causa fuit eloquentissimus, orationisque eius scripta quasdam partes reliquit. Voluit adolescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. Exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam aetas illa ferebat, oratio. Multae deinde causae; sed ita tacitus tribunatus, ut, nisi in eo magistratu coenavisset apud praeconem Granium, id-

ita demum oportet, si in causis publicis, in quibus sunt multi iudices, quod dicimus, quasi singulis inculcare peculiariter velimus. Crassus tamen non ambulabat, ut lib. III de Orat. cap. ... de se loquens ostendit: *quibus ... primum institi, in iis fere soleo perorare.* CORR.

* *Licinium virginem*) Vi propinquam; nam Crassus erat Licinius; certe summo loco natam, ac sanctissimo sacerdotio praeditam, ut in Orat. pro Domo dicitur, de incestu vero accusatam. L. enim Vetorius eques Romanus Aemiliam virginem Vestalem furtivo stupro polluit. Dum praeterea virgines Vestales easdem Aemilia ad participationem incesti sollicitatas contubernalibus suis corruptoris exposuit ac tradidit. Videant tamen eruditi, an is fuerit T. Betutius. Indicium per servum est factum. Historia legitur apud Paulum Orosium lib. V, 15. Tunc igitur L. Crassus, ut hic ait Cicero, Licinium defendit. Itaque Aemilia condemnata est, sed Licinia et Marcia sunt absolutae, postea tamen cum pluribus aliis condemnatae, ut refert Asconius. CORR.

Voluit adolescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere) Forsan ita legendum: *Voluit adolescens, in coloniae Narbonensis causa popularis, aliquid attingere.*

* *Granium*) Quo nemo fuit dicacior, ut lib. XI de Orat. describitur. Is L. Crassi et M. Antonii voluntatem superioribus facetiis saepe perstrinxit impune, ut in Orat. pro Plancio scribitur, quamvis illorum esset familiaris, ut hic cognoscitur, et lib. II de Orat. dicitur. Is est Granius, de quo multa Lucilius, ut ait infra, scripsit. CORR.

que nobis narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse.

Ita prorsus, inquit Brutus; sed ne de Scaevolae quidem tribunatu quidquam audivisse videor, et eum collegam Crassi credo fuisse.

Omnibus quidem aliis, inquam, in magistratibus, sed tribunus anno post fuit, eoque in rostris sedente suasit Serviliam legem Crassus. Nam censuram sine Scaevola gessit. Eum enim magistratum nemo unquam Scaevolarum petivit. Sed haec Crassi quum edita oratio est, quam te saepe legisse certo scio, quatuor et triginta tum habebat annos, totidemque annis mihi aetate praestabat. His enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus, quum ipse esset Q. Caepione consule natus et C. Laelio, triennio ipso minor, quam Antonius. Quod idcirco posui, ut, dicendi latine prima maturitas in qua aetate exstitisset, posset notari; et intelligeretur, iam ad summum paene esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructior.

44. Erit, inquit Brutus, an iam est iste, quem exspectas?

Nescio, inquam. Sed est etiam L. Crassi in consulatu,

Idque nobis narravisset Lucilius) Vulg. *idque nobis bis narravisset Lucilius*. Sed *bis* abest ab ed. Rom, teste Rivio. Guelf. 2, *idque narravisset bis nobis Lucilius*

* *Suasit legem Serviliam*) Eandem quam c. 44 *legem Caepionis* dicit, scil legem a Q. Servilio Caepione a. V. C. 647 latam, ut iudicia lege Sempronia a Senatu ad equites translata cum utroque ordine communicarentur.

Erit?—an iam est) Vulg. *Erit, aut iam est*. Illud cum Heusingero praetuli

* *Sed est etiam L. Crassi in consulatu pro Quinto Caepione*) Nimirum quum Q. Servilius Caepio V. C. c. 658 ob cladem Cimbricam accusatus esset a C. Norbano, testimonium pro eo Crassus Consul dixit, et quum testimonia saepe accuratius dicerentur, Cic. de Orat. II, 11 et cum laudatione eius, a quo testis esset productus, con-

pro Q. Caepione, defensione iuncta non brevis, ut laudatio; ut oratio autem, brevis; postrema censoris oratio, qua anno duodequinquagesimo usus est. In his omnibus inest quidam sine ullo fuco veritatis color. Quin etiam comprehensio, et ambitus ille verborum (si sic periodum appellari placet) erat apud illum contractus et brevis: et in membra quaedam, quae κῶλα Graeci vocant, dispertiebat orationem lubentius.

Hoc loco Brutus, Quandoquidem tu istos oratores, inquit, tantopere laudas, vellem aliquid Antonio, praeter illum de ratione dicendi sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere. Cum enim omnibus memoriam sui, tum etiam disciplinam dicendi nobis reliquissent. Nam Scaevolae dicendi elegantiam satis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. Et ego, Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit, inquam, illa in legem Caepionis oratio; in qua et auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur; et invidia concitatur in iudicum et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt; plura etiam dicta, quam scripta; quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis, intelligi potest. Ipsa illa censo-

iungerentur, habuit Crassus oratiunculam, quae ut laudatio testimonii annexa non brevis erat, ut oratio autem iusta, si eam Crassus ut Caepionis patronus habuisset, brevis dicenda fuisset.

* *Postrema censoris oratio*) Nempe in Domitium collegam, de qua extremo hoc capite agitur.

Plura Crasso libuisset scribere) Guelf. 2 *plura Crasso quoque libuisset scribere*. H. l. notandus est Corradi error (ad c. 43), qui nuper etiam Wetzelium induxit, qui Ciceronem putavit lib. II de Orat. c. 2 dixisse, *Crassum nihil admodum scripti reliquisse*: quum tamen id de Antonio pariter praedicaverit. Nempe haec eius verba sunt. *Sed quum alter* (Crassus) *non multum* (*quod quidem exstaret*) *et id ipsum adolescens, alter* (Antonius) *nihil admodum scripti reliquisset*.

Satis ex iis orationibus) Guelf. 1, 2, 3003 *orationibus*.

Leniter) Guelf. 2 *leviter*.

ria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum, et orationis commentarium paulo plenius. Nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita maioribus. Et vero fuit in hoc etiam popularis dictio excellens; Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis, quam concionibus.

45. Hoc loco ipsum Domitium non relinquo. Nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono, satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo et magistratus personam, et consularem dignitatem tueretur; quod idem de C. Coelio dixerim, industriam in eo summam

Nulla est enim) Particula *enim* caussam eorum, quae proxime dicta erant, significare videtur. Qui autem quadrat, quia illa concio contra Cn. Domitium oratio tantum orationis commentarium paulo plenius fuerit, ideo illam magno plausu exceptam fuisse? Itaque scribendum videtur: *Nulla est autem altercatio.*

Clamoribus) Scil. plaudentium. Sic de Or. I, 53, Brut. 95.

Et vero) Guelf. 1 *At vero.*

Etiam popularis dictio) Sic Guelf. 1, 2 melius quam, ut vulgo, *et popularis dictio.*

* *Domitium*) C. Domitium Aenobarbum, qui tribunus pleb. Caio Mario III, L. Aurelio Oreste consulibus legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet, quod Paterc. lib. II refert. Pontificibus enim offensior, quod alium potius quam se in patris sui locum cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum a collegis ad populum transtulit, ut Suet. in Nerone testatur In consulatu vero, quem gessit cum C. Cassio Longino, anno ab V. C. 658, Allobrogibus, Arvernisque superatis, elephanto per provinciam auvectus est, turba militum quasi inter solemnia triumphi prosequente quod Suet. in Nerone refert. Tanta in eo fuit gravitas, tanta auctoritas, ut quod esset ab eo obiectum L. Crasso in censura collegae, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur, ut lib. II de. Orat. dicitur. CORRADVS.

Non relinquo) I. q. *non omitto*, *non praetereo.*

Tamen pono satis in eo fuisse orationis atque ingenii) Vix arbitror Ciceronem sic usum fuisse verbo *pono*. Fortasse scripserat *Nam etsi non in oratorum numero pono, tamen puto satis in eo fuisse* Praeterea *satis in eo fuisse oratione* mihi suspectum est. Etenim oratione de eloquentia dictum iam expresserat Cicero *ingenii* verbo, et sicut statim de C Coelio dicit *industriam in eo summam fuisse, summasque virtutes, eloquentiae tantum, quod esset in rebus privatis amicis eius, in republica ipsius dignitati, satis*, ita videtur h. l. de Domitio scripsisse, *satis in eo fuisse sedulitatis atque ingenii* etc.

* *C. Coelio*) C. Coelio Caldo, qui fuit homo novus, ut leges lib. I de Orat. et Verr VII, et apud Q Frat. in libro de Petit. Consul. Fuit aequa-

fuisse, summasque virtutes, eloquentiae tantum, quod esset in rebus privatis amicis eius, in republica ipsius dignitati satis. Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus, latine et diligenter loquentibus, numeratus est; qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippum, in consulatus petitione superavit. Eodem tempore C. Clodius, etsi propter summam nobilitatem et singularem potentiam magnus erat, tamen etiam eloquentiae quandam mediocritatem afferebat. Eiusdem fere temporis fuit eques romanus C. Titius, qui, meo iudicio, eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine graecis literis, et sine multo usu pervenire. Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut paene Attico stilo scriptae esse videantur. Easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imitari L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus. Fuit etiam Q. Rubrius Varro, qui a senatu hostis cum C. Mario iudicatus est, acer et vehemens accusator. In eo genere sane probabilis, doctus autem graecis literis, propinquus noster, factus ad dicendum, M. Gratidius, M. Antonii perfamiliaris, cuius

lis Crassi, cui maximo honori fuit illa spes, quamcumque assequi potuit, in dicendo mediocritas, lib I de Orat. Hic iudex absolvit eum iniuriarum, qui Lucilium poetam in scena nominatim laeserat, lib. II ad Herenn. Consulatum anno ab V. C. 66. cum L. Domitio Aenobarbo gessit. Corrad.

* *C. Clodius*) C Clodius Ap. F. Pulcher, qui magnificentissime aedilitatem lib. II de Offic functus esse dicitur. Hinc Verr VI sic ait *C. Clodius, cuius aedilitatem magnificentissimam scimus fuisse* etc Praetor in Sicil. fuit, et leges Halesinis dedit, Verr. IV Deinde cum M. Perpenna, anno 65x consul fuit.

Eiusdem fere temporis) Guelf. 1, 2, *Eiusdem fere temporibus*, ut legisse videatur lib. aest. *eiusdem fere temporibus*.

Satis ille quidem acute) Sic Guelf. 1, 2, recte Vulg. *satis quidem ille acute*.

praefectus quum esset in Cilicia, est interfectus; qui accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani patrem.

46. Atque etiam apud socios et latinos oratores habiti sunt Q. Vettius Vetianus, e Marsis, quem ipse cognovi, prudens vir, et in dicendo brevis, Q. et D. Valerii Sorani, vicini et familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quam docti et graeci literis et latinis; C. Rusticellus Bononiensis, is quidem et exercitatus, et natura volubilis. Omnium autem eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculanus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitae. Illa Romae con-

M. Marii Gratidiani patrem) Sic Guelf. 1. 2 item Edd. Venet. Med. Ald. Iunt. Vulgo *M. Marii Gratidiani pater*. «Lectionem *patrem* Corradus explicat sic, ut Cicero voluerit vetus hominis nomen retinere, ut in Attico fecerit, quem T. Pomponium Atticum vocat, quum *Q. Caecilium Pomponianum Atticum* debeet dicere, sicut hunc Marium Gratidium Flavianum (a C. Flavio Fimbria, qui nominatur c. 34 adoptatum) Sane si *pater* verum est, nimis longe distractum est a nomine proprio *Gratidius*, neque intelligo, quare hoc memoretur Bruto, M. Gratidium esse M. Marii Gratidiani patrem, quod ille non ignorabat ». Hactenus Ernestius; qui an recte Corradi opinionem probaverit, nescio. Heusingerus transponenda putabat verba, et sic legendum *M. Gratidius, M. Marii Gratidiani pater, M. Antonii perfamiliaris, — qui accusavit C. Fimbriam*. Sic tamen initio huius periodi nominatiri nimis multi cumulantur, ultimumque comma, *qui accusavit C. Fimbriam* nimis breve est, quam ut hic Ciceronis numerum et concinnitatem agnoscam.

* *Q. et D. Valerii Sorani*) Quos fratres fuisse probabile est. Sorani dicuntur, ut Schneiderus ad h. l. monuit, a Colonia Sora ad Lirim amnem Arpino (Ciceronis patriae) proxima; coll. orat. pro Plancio c. 9. Inde eos Cicero *vicinos* suos appellat. *Familiares* autem, quod adolescentulus iis iam aetate provectioribus usus erat. Q. Valerium Soranum Crassus de Orat. III, 11 literatissimum togatorum omnium vocat, ex quo loco patet, Cicerone puero eum iam senectuti propiorem fuisse. Schütz. — Fuit item, ut auctor est Plutarchus in Pompeio, philosophus insignis. De violenta eius morte consentiunt Historici, de modo et causa dissentiunt. Pavst.

C. Rusticellus) Vir summus adhibito nummo aereo cum inscriptione C. RVSTICELIVS CORDVS IIVIR, legendum censebat *Rusticelius*.

Exercitatus) Guelf. 1 *excitatus*.

* *T. Betucius Barrus*) Is fortasse, quem maledicum et mordacem significat Horat. Sat. VII, et Porphyrion eius interpres Sat. VI scribit incestum cum Aemilia Vestali fecisse. Corrad. — Asculanus vocatur ab Asculo, quod fuit geminum; alterum agri Apuli, alterum Piceni. Schütz.

tra Caepionem, nobilis sane; cui orationi Caepionis ore respondit Aelius; qui scriptitavit orationes multis, orator ipse nunquam fuit. Apud maiores autem nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Ti. Gracchi, P. filii, fere aetate; eius etiam oratio est pro Fregellanis, coloniisque latinis, habita in senatu.

Tum Brutus: Quid tu igitur tribuis istis externis quasi oratoribus?

Quid censes, inquam, nisi idem, quod urbanis? praeter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio.

Et Brutus, Qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color?

Nescio, inquam; tantum esse quendam scio. Id tu, Brute, iam intelliges, quum in Galliam veneris. Audies tu quidem etiam verba quaedam non trita Romae; sed haec mutari, dediscique possunt; illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum retinnit quiddam et resonat urbanius. Nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. Ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare.

* *Caepionis ore respondit Aelius*) Sc. oratione, quam recitavit Caepio, scripserat ipse. Cf. c. 56 Ern.

Orationes multis) Sic Guelf. 1, 2 ii Mss. reg. *multas* Ald. aliique. Vtrumque autem eodem redire quum dicebat Ernestius, non cogitabat, eum qui orationes *multas* scribat, posse et sibi scribere, et aliis, sed quum aliquis dicitur orationes *multis* scripsisse, non solum significatur multas esse eius orationes, sed etiam omnes aliis scriptas.

Coloniisque Latinis) Sic Guelf. 1 quam lectionem Corradus et Lambinus recte praetulerunt alteri, *colonis Latinis*.

Tribuis istis) Sic Guelf. 1, 2, omisso *inquit*.

Retinnit) Optime hanc lectionem eruimus e vestigiis scripturae in Gu. 1, 2 ubi legitur *retinuit*. Post adhibito Schneideri epist. ad Langerum vidimus, virum doctissimum in eandem incidisse; comparato etiam loco Varronis R. R. II Praef. 2. *non putant se habere villam, si non multis vocabulis retinniat graecis*, ubi libri alii pariter

Eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius?

Isto ipso. Sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo: ut ego iam non mirer, illud Theophrasto accidisse, quod dicitur, quum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, et respondisset illa, atque addidisset, *Hospes, non pote minoris*; tulisse cum moleste, se non effugere hospitis speciem, quum aetatem ageret Athenis, optimeque loqueretur. Omnino, sicut opinor, in nostris est quidam urbanorum, sicut illic Atticorum, sonus. Sed domum redeamus, et ad nostros revertamur.

47. Duobus igitur summis, Crasso et Antonio, L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus. Itaque eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferret, neque secundum tamen, neque tertium dixerim. Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim, aut tertium, qui vix e carceribus exierit, quum palmam iam primus acceperit; nec in oratoribus, qui tantum absit a primo, vix ut in eodem cur-

retineat dant. Vulgo editum *recinit*. In Omnib. *recinuit*.

Sed domum redeamus, et ad nostros revertamur) Vulgo *Sed domum redeamus, id est ad nostros revertamur*; quae lectio ita inficeta est, ut citius illa, *id est ad nostros revertamur*, cum P. Manutio et Gothofredo a glossatore adiecto, quam a Cicerone profecta existimandum sit. Et sane e texto circumscripsissem, nisi mitius esset corrigere *et ad nostros revertamur*. Sic quum *domum redire* significet e *Graecia Romam redire*, supervacuum non fuerit addi, *et ad nostros oratores revertamur*.

* *L. Philippus*) L. Marcius Philippus, qui gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima, lib. II de Off. Primum in consulatus petitione a M. Herennio fuit superatus; deinde tamen consul est factus cum Sexto Iulio Caesare, anno ab V. C. 663. Huius Philippi exstat oratio apud Sallust. in qua censet, ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint, operam dent, ne quid resp. detrimenti capiat. Corrad.

* *Proximus*) Proximum Crasso et Antonio Philippum dicit, sed longo intervallo proximum, ut eum nec secundum nec tertium ab illis dicere posset. Ita Quintilianus X, 1, 53 postquam dixerat Hesiodo in medio ge-

riculo esse videatur. Sed tamen erant ea in Philippo, quae, qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret: summa libertas in oratione, multae facetiae; satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis; erat etiam inprimis, ut temporibus illis, graecis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus. Horum aetati prope coniunctus L. Gellius, non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset. Nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec romanarum rerum immemor, et verbis solutus satis. Sed in magnos oratores inciderat eius aetas; multam tamen operam amicis, et utilem praebuit; atque ita diu vixit, ut multarum aetatum oratoribus implicaretur, multum etiam in causis versaretur. Iisdem fere temporibus D. Brutus, is, qui consul cum Mamerco fuit, homo et graecis doctus literis et latinis. Dicebat etiam L. Scipio non imperite: Cnaeusque Pompeius, Sexti filius, aliquem numerum obtinebat. Nam Sextus, frater eius, praestantissimum

nere dicendi palmam dari, haec subiungit: *Contra in Antimacho vis et gravitas et minime vulgare eloquendi genus habet laudem. Sed quamvis ei secundas fere Grammaticorum consensus deferat, et affectibus, et iucunditate, et dispositione, et omnino arte deficitur, ut plane manifesto appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum.*

Erant ea in Philippo) Guelf. 2, *erant in Philippo*

* *L. Gellius*) L. Gellius Publicola, qui omnibus honoribus ad censuram usque defunctus est, ut Val. Max. lib. V, cap. 9 refert. Nam praetor fuit, et ex praetura proconsul in Graeciam venit, ut lib. I de Leg. est scriptum. Consul item fuit cum Cn. Cornelio Lentulo, anno V. C. 682, et Chrysum acerrime pugnantem proelio oppressit, ut ait Oros. lib. V, cap. 24, sed ipse a Spartaco victus est acie, ut Liv. lib. XCVI scripsit. Bello Piratico Gellius idem Pompeii fuit legatus, ut Florus lib. III, cap. 6, et Appianus in Mithridatico scribunt. Corr.

* *L. Scipio*) L. Cornelius Scipio Asiaticus, ut in consulibus legitur, quem tamen alii Nasicam vocant, quod in Dione Graeco lib. XL. Scipionem Pompeii socerum Nasicae filium dici videant, quem hunc esse arbitrantur. Idem.

* *Cnaeus Pompeius*) Cn. Pompeius Strabo, qui praelio a Picentibus victus, quos illa multo post eosdem fudit, Liv. auctor lib. LXXIV, et Orosius lib. V, cap. 18. Consul cum L. Porcio Catone, anno ab V. C. 665. Mar-

ingenium contulerat ad summam iuris civilis, et ad perfectam geometriae, et rerum Stoicarum scientiam. Item in iure, et ante hos M. Brutus, et paulo post eum C. Bilienus, homo per se magnus prope simili ratione evaserat; qui consul factus esset, nisi in Marianos consulatus, et in eas petitionis angustias incidisset. Cn. autem Octavii eloquentia, quae fuerat ante consulatum ignorata, in consulatu multis concionibus est vehementer probata. Sed ab eis, qui tantum in dicentium numero, non in oratorum fuerunt, iam ad oratores revertamur.

Censeo, inquit Atticus. Eloquentes enim videbare, non sedulos velle conquirere.

48. Festivitate igitur, et facetiis, inquam, C. Iulius,

aos acie vicit, quo tempore Cicero in exercitu fuit (Philippica XII) et multi nobiles legati (in Orat. pro Fonteio) et Vestinos in deditionem accepit, ut Liv. lib. LXXIV et sequentis retulit Tunc, ut opinor, etiam transpadanas colonias deduxit, ut Asconius est testis. Quum bellum, quod Cinna et Marius inferebant urbi, opprimi in tee initio potuisset, eiusdem fraude confirmatum est, qui utramque partem fovendo Cinnae vires dedit, nec, nisi profligatis optimatium rebus, auxilium tulit, ut ait Liv. lib. LXXIX. Hic tandem fulgure, ut scribit Appianus, est exanctus cuius cadaver e lecto detraxit, et proiecit populus, qui illum oderat tantum, quantum postea filium dilexit (Plutarch in Pompeio). Idem.

* *Homo per se magnus simili ratione prope summus evaserat*) Vulgo *homo per se magnus prope simili ratione summus evaserat*. Sensus est, homo per se suopte ingenio magnus et clarus simili ratione, adiuncta nimirum iuris civilis scientia, prope *summus* evaserat, i. e. ad summos dignitatem pervenerat; consul enim factus esset, nisi in Mariana tempora incidisset. Heusingerus idem his verbis eloquitur: « qui ingenio sibi dignitatem peperisset, respondendo iuro maximus evasit; aptèque comparavit locum de Orat. I, 45. Sed *prope* transponendum erat, non enim ad *simili ratione*, sed ad *summus* refertur.

* *Cn. Octavii*) Hunc nos putamus filium fuisse illius Cn. Octavii, qui lib. I de Orat. consularis appellatur, Consul ernis ex urbe collegam suum L. Cinnam expulit (in Orat. III in Catilin) qui quidem Cinna non ita multo post reversus, illi praecidi caput iussit (Tusc. V) et exponi pro rostris, ut Flor. lib. III, cap. 21 scribit. CORRAD.

* *C. Iulius*) C. Iulius Caesar Strabo, ut a Paterculo et Suetonio vocatur qui rogatus a Sardis T. Albutium accusavit (Verrina I, et lib. II de Offic) et orationem pro Sardis, ut ait Sueton in Caesare, reliquit. Aedilis curulis, L. Caesare, P. Rutilio consu-

L. filius, et superioribus et aequalibus suis omnibus praestitit; oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo unquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quibus, sicut ex eiusdem tragoediis, lenitas eius sine nervis perspici potest. Eius aequalis P. Cethegus, cui de republica satis suppeditabat oratio. Totam enim tenebat eam, penitusque cognorat. Itaque in senatu consularium auctoritatem assequebatur; sed in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur. Erat in privatis causis Q. Lucretius Vispillo, et acutus, et iurisperitus. Nam Ofella, concionibus aptior, quam iudiciis. Prudens etiam T. Annius Velina, et in eius generis causis orator sane tolerabilis. In eodem genere causarum multum erat T. Iuventius, nimis ille quidem lentus in dicendo, et paene frigidus, sed et callidus, et in capiendo adversario versutus, et praeterea nec indoctus, et magna cum iuris civilis intelligentia. Cuius auditor P. Orbius, meus fere aequalis, in dicendo non nimis exercitatus, in iure autem civili non inferior, quam magister fuit. Nam T. Aufidius, qui vixit ad summam senectutem, volebat esse similis horum, eratque et bonus vir, et innocens, sed dicebat parum. Nec sane plus frater eius M. Virgilius,

lblius, fuit, et aedilicius quidem occisus est. sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio eius cum Sulpicio tribuno pleb. fuerit. Nam sperabat, et id agebat hic Caesar, ut omissa praetura consul fieret: cui quum primis temporibus iure Sulpicius resisteret, postea omnia contentione ad ferrum et arma processit, et ait Asconius: eam petitionem extraordinariam infra Cicero vocat. Ob hacc illi postea Cinna praecidi caput iussit (Tusc. V). Idem.

Ofella) Sic Lambin. Vulg. *Aphella*. Guelf. 1, 2, *afila*. Ed. Omnib. *a filia*.

Concionibus aptior, quam iudiciis) Sic Victor. Vulg. *Aphilia aptior concionibus, quam iudiciis*, structura ob hiatum vastiore.

Cuius auditor) Guelf. 1, *Cuius auctor*.

In iure autem civili) Guelf. 2 omittit *civili*.

Virgilius) Guelf. 1, 2, *Vergilius*.

qui tribunus plebis L. Sullae imperatori diem dixit. Eius collega P. Magius, in dicendo paulo tamen copiosior. Sed omnium oratorum, sive rabularum, qui aut plane indocti, et inurbani, aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, solutissimum in dicendo et acutissimum iudico, nostri ordinis Q. Sertorium, equestris C. Gorgonium. Fuit etiam facilis, et expeditus ad dicendum, et vitae splendore multo, et ingenio sane probabili, T. Iunius, L. filius, tribunicius, quo accusante P. Sextius, praetor designatus, damnatus est ambitus. Is processisset honoribus longius, nisi semper infirma atque etiam aegra valetudine fuisset.

49. Atque ego praeclare intelligo, me in eorum commemoratione versari, qui nec habiti sint oratores, neque fuerint, praeteririque a me aliquot ex veteribus, commemoratione aut laude dignos; sed hoc quidem ignoratione. Quid est enim superioris aetatis, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur, nec aliorum, nec ipsorum? De iis autem, quos ipsi vidimus, neminem fere praetermittimus eorum, quos aliquando dicentes audivimus. Volo enim sciri,

Qui aut plane indocti, et inurbani, aut rustici etiam fuerunt) Sic bene emendavit Heusingerus adhibita Gu. 1 auctoritate, in quo est et *inurbani*. Vulgo *qui et plane indocti*, *et inurbani*, *aut rustici etiam fuerunt*.

Fuit etiam facilis et expeditus) Abest *facilis* Guelf. 1. *Fuit enim facilis et expeditus* Guelf. 2. *Fuit etiam facilis et expeditus* Ed. Omnib.

Nisi semper) Quintum *semper* Guelf. 2.

Qui nec habiti sunt — neque fuerint) Gu. 1: *qui nec habiti sunt — neque fuerunt*.

Ignoratione) Gu. 1, *ignorantia*.

Dicentes audivimus) Ita rescripsi, auctore Schützio V. Cl. pro vulg. *vidimus*. Forte librarii menti obversabatur το *vidimus* in versu superiore positum. Typothetarum incogitantia multa huiusmodi aberrationum exempla prope quotidie mihi exhibet. Calamo, an typis exscribas, ad mendo quod attinet, nihil differt. Si summi illi viri, quotquot ad hunc diem exstiterunt, de re critica optime meriti typothetarum aberrationes typographicas in ipsis perspectas habere potuissent, dubitandum non est, quin optimos auctores iamdudum ab ineptis et mendosis lectionibus purgassent

in tanta et tam vetere republica maximis praemiis eloquentiae propositis, omnes cupisse dicere, plurimos ausos esse, potuisse paucos. Ego tamen ita de unoquoque dicam, ut intelligi possit, quem existimem clamatorem, quem oratorem fuisse. Iisdem fere temporibus, aetate inferiores paulo, quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus, P. Antistius; nec ulla aetate uberior oratorum foetus fuit. Ex his Cotta et Sulpicius quum meo iudicio, tum omnium, facile primas tulerunt.

Hic Atticus, Quomodo istuc dicis, inquit, quum tuo iudicio, tum omnium? Semperne in oratore probando, aut improbando, vulgi iudicium cum intelligentium iudicio congruit? An alii probantur a multitudine, alii autem ab iis, qui intelligunt?

Recte requiris, inquam, Attice: sed audies ex me fortasse, quod non omnes probent.

expurgatos nobis exhibuissent. Sed dum criticam negotium religiosius tractant, materiam ingenii exercendi etiam posteris reliquerunt. Tyr. Tavr.

Clamatorem) Gothofredus suspicabatur, *declamatorem* potius hic legendum esse, quod sine mollius est. Nam *clamatorem* h. l. durius esse videtur, quam ut de iis dicatur, qui mediocres tantum, non perfecti oratores evaserunt. Et supra quidem lectum *ab iis, qui tantum in dicentium numero, non in oratorum fuerunt, iam ad oratores revertamur.*

Cn. Pomponius) Gu. 2, *Cn. Pompeius.*

* *P. Antistius*) Sic ex ed. Rom. rescribi voluit Rivius, quum esset *M. Drusus Patricius*, unde ab edd. Med. Ven. Asc. Aldi etc. eique et in aliis obtemperatum est. Gronovius tamen e vestigiis Mss. malebat *P. Aristius*, quod nihil esset infra de Antistio. Atqui est c. 63 (nostrae ed. 62). Ern. Atqui Gronovius non negabat ibi P. Antistium nominari, sed mirabatur sutum illum *P. Aristium* (sic enim legendum putabat) ibi et saepius tacere. Ipso vero illo *Aristio* nihil opus. Verissime scribitur *P. Antistius*, cuius mentio fit c. 63, 90. Ceterum hic P. Antistius tribunus pl. fuit una cum Sulpicio, floruitque, ut Cic. c. 62 ait, temporibus iis, quibus inter profectionem reditumque Sullae sine iure fuit, et sine ulla dignitate respublica; occisus deinde anno 671 a Damasippo praetore una cum Scaevola et Catone. Vid. c. 90, et Vellei. Paterc. II, 26.

An tu, inquit, id laboras, si huic modo Bruto probaturus es?

Plane, inquam, Attice, disputationem hanc multo malim tibi et Bruto placere; eloquentiam autem meam populo probari velim. Etenim necesse est, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. Nam, quid in dicendo rectum sit, aut pravum, ego iudicabo, si modo is sum, qui id possim aut sciam iudicare; qualis vero sit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi. Tria sunt enim (ut quidem ego sentio), quae sint efficienda dicendo: ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectetur, ut moveatur vehementius. Quibus virtutibus oratoris horum quidque efficiatur, aut quibus vitiis orator aut non assequatur haec, aut etiam in his labatur et cadat, artifex aliquis iudicabit. Efficiatur autem ab oratore, necne, ut ii, qui audiunt, ita afficiantur, ut orator velit, vulgi assensu et populari approbatione iudicari solet. Itaque nunquam de bono oratore, aut non bono, doctis hominibus cum populo dissensio fuit.

50. An censes, dum illi viguerunt, quos ante dixi, non eosdem gradus oratorum vulgi iudicio et doctorum fuisse? De populo si quem ita rogavisses: *Quis est in hac civitate eloquentissimus?* in Antonio et Crasso aut dubitaret, aut hunc aliquis, illum alius diceret.

Id laboras, si huic modo) Ed. Omnib. *laborasse huic modo* Victor. *adlaborasse huic modo.* Vera lectio, *id laboras, si huic modo*, iam est in Aldina.

Probaturus es) Lambinus *te probaturus es*; quod non est imitandum. *Probaturus* refertur ad id, quo Cicero dixerat illos ex se audituros

Quae sint efficienda) Gu. 1, 2, *quae sunt efficienda.*

Qui audiunt) Sic Gu. 1, 2 ut vulgo. Recte. Etsi Ernestius correxit *audiant*, quia sequatur *velit.* At in *velit* est obliquitas notionis, quae nulla est in *ii qui audiunt*, qui sunt simpliciter auditores; non qui possint forte audire. Cf. Heusingeri praef. ad Cic. de offic. p. 54.

Aut hunc aliquis) Sic Gu. 1. Vulgo, *aut hunc alius.*

Nemone Philippum, tam suavem oratorem, tam gravem, tam facetum, his anteferret, quem nosmetipsi, qui haec arte aliqua volumus expendere, proximum illis fuisse diximus? Nemo profecto. Id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo videri. Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum: *Mihi cane et Musis*; ego huic Bruto dicenti, ut solet, apud multitudinem: *Mihi cane et populo*, dixerim: ut, qui audient, quid efficiatur, ego etiam, cur id efficiatur, intelligam. Credit iis, quae dicuntur, qui audit oratorem; vera putat, assentitur, probat; fidem facit oratio. Tu artifex, quid quaeris amplius? delectatur audiens multitudo, et ducitur oratione, et quasi voluptate quadam perfunditur: quid habes quod dispute? gaudet, dolet; ridet, plorat;

Nemone Philippum) Gruterus praefert lectionem Ms. Pal *Nemo ut Philippum*, quod est vulgata sane elegantius. Sed utraque lectio forte coniungenda *Nemon' ut Philippum* docet Serm I, 1, 108 *nemon ut avarus se probet*. Ern.

Antigenidas) Idem eius dictum narrat Val. Max. III, 7 ext.

Mihi cane et populo) Vulg. additur mi *Brute*. Sed quum proxime antecedat *ego huic Bruto dicenti*, videtur id e glossa accessisse.

* *Vt, qui audient, quid efficiatur, ego etiam, cur id efficiatur, intelligam*) Non erat quod Corradus in particula *ut* haereret, quam parum aberat, quin tollendam censeret. Nimirum Cicero hoc significat. Ego Bruto meo, *mihi cane et populo*, dixerim, idque hac mente ei dixerim, ut ii qui audient, nempe de populo, quid ab eo efficiatur, ego etiam, qui aestimator esse volo, cur id efficiatur, intelligam.

Qui audient) Sic Gu. 1, 2, ut vulgo. Ernesti dedit *audiant*. At enim recte Schneiderus (Ep. ad Laugerum p 57), quum optativo *dixerim*, inquit, praeter tempus perfectum etiam futuri aliquid haereat, (vid. praeter Gell. noct. att. XVIII, 2, sub fin. omnino Perizon. ad Sanct. p. 99, 6) mutatione temporis *audient* opus non erat.

Gaudet, dolet; ridet, plorat; favet, odit; contemnit, invidet; — irascitur, miratur, sperat, timet) In his quaedam turbata videntur. Quum enim in ceteris contraria contrariis referantur, quomodo contemtus invidiae, ira admirationi opponatur? Vix igitur dubito, quin Cicero scripserit *gaudet, dolet, ridet, plorat; favet, invidet; diligit, odit; admiratur, contemnit; — — irascitur, mitigatur, sperat, timet*. Sic de Orat II, c. 44, orator dicitur mentes iudicum movere *ut aut oderint aut diligant, aut invideant aut salvum ve-*

favet, odit; contemnit, invidet; ad misericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum; irascitur; miratur; sperat, timet: haec perinde accidunt, ut eorum, qui adsunt, mentes verbis et sententiis et actione tractantur. Quid est, quod exspectetur docti alicuius sententia? Quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est. Denique hoc specimen est popularis iudicii, quod nunquam fuit populo cum doctis intelligentibusque dissensio. Quum multi essent oratores in vario genere dicendi, quis unquam ex his excellere iudicatus est vulgi iudicio, qui non idem a doctis probaretur? Quando autem dubium fuisset apud patres nostros, eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret aut Crassum? At erant multi alii; tamen, utrum de his potius, dubitasset aliquis; quin alterum, nemo. Quid? adolescentibus nobis, quum esset Cotta et Hortensius, num quis, cui quidem eligendi potestas esset, quemquam his anteponebat?

51. Tum Brutus, Quid tu, inquit, quaeris alios? de te ipso nonne, quid optarent rei, quid ipse Hortensius iudicaret, videbamus? qui, quum partiretur tecum

lint, aut metuant aut sperent, aut cupiant aut abhorreant, aut laetentur aut moereant, aut misereantur aut punire velint. Item in Oratore c. 38. *Sed est faciendum etiam, ut irascatur iudex, mitigetur, invideat, faveat; contemnat, admiretur, oderit, diligat; cupiat, satietate afficiatur, speret, metuat; laetetur, doleat,* qui locus magis etiam confirmat coniecturam nostram de illo, quem tractamus, restituendo.

At erant) Recte sic Ernesti. Vulg. *aderant.*

* *Quin alterum, nemo*) Errabat Ernestus, quum h. l. *an alterum nemo* legendum opinabatur. Nimirum nemo non refertur ad clientes, quibus eligendi patroni daretur optio, sed ad alios quoscunque, qui, quem ille patronum electurus esset, coniecturam facerent. Itaque sic explicandus est locus: *Quando autem dubium fuisset apud patres nostros* (h. e. nunquam patres nostri dubitassent) *eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut Crassum. At erant multi alii, tamen, utrum de his potius* (cliens electurus esset), *dubitasset* (patrum nostrorum) *aliquis; quin alterum* (ille electurus esset), *nemo.*

Quum esset) Ernesti malebat *quum essent.*

caussas (saepe enim interfui), perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat.

Faciebat ille quidem, inquam; et mihi benevolentia, credo, ductus tribuebat omnia. Sed ego, quae de me populi sit opinio, nescio; de reliquis hoc affirmo, qui vulgi opinione disertissimi habiti sint, eosdem intelligentium quoque iudicio fuisse probatissimos. Nec enim posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum, Clarium poetam, ferunt, qui quum convocatis auditoribus legeret magnum illud, quod novistis, volumen suum, et eum legentem omnes, praeter Platonem, reliquissent, *Legam*, inquit, *nihilo minus: Plato enim mihi unus instar est millium.* Et recte. Poëma enim reconditum paucorum approbationem, oratio popularis assensum vulgi debet movere. At si' eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demosthenes, quum esset relictus a ceteris, verbum facere non posset.

Quid? tu, Brute, possesne, si te, ut Curionem quondam, concio reliquisset?

Ego vero, inquit ille, ut me tibi indicem, in eis etiam causis, in quibus omnis res nobis cum iudicibus est, non cum populo, tamen, si a corona relictus sim, non queam dicere.

Legeret) Ed. Omnib. *legeret eos.*

Plato enim mihi unus instar est millium) Vulgo *Plato enim mihi unus instar est omnium millium*; in quo illud *omnium* miserefriget. Erant qui *millium* deleri vellent, sed multo elegantius opponitur unus millibus.

Approbationem — assensum) Sic Gu. 1, 2.

Debet movere) Gu. 1, 2, *debet movere.* Rivio placebat *mereri.* Sed *movere*, quod Ernestius recepit, minus a scriptura codicum recedit.

Possesne, si te) Gu. 1, 2, *posses, si te.* Quod habent etiam ed. Venet. cod. Palat. unde Guilelmus pro vulg. *posses* correxit *possesne?* Melius autem interpungitur *Quid? tu, Brute, possesne*, quam sic: *Quid tu, Brute? possesne.*

' *Tamen, si a corona relictus sim, non queam dicere*) Corona in iudiciis erat hominum de populo iudices

Ita se, inquam, res habet: ut, si tibiae inflatae non referant sonum, abiiciendas eas sibi tibicen putet; sic oratori populi aures tanquam tibiae sunt; eae si inflatum non recipiunt, aut si auditor omnino tanquam equus non facit, agitandi finis faciendus est. Hoc tamen interest, quod vulgus interdum non probandum oratorem probat, sed probat sine comparatione; quum a mediocri, aut etiam a malo delectatur, eo est contentus; esse melius non sentit; illud, quod est, probat. Tenet enim aures vel mediocris orator, sit modo aliquid in eo; nec res ulla plus apud animos hominum, quam ordo et ornatus orationis, valet.

52. Quare quis ex populo, quum Q. Scaevolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea causa, de qua ante dixi, quidquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut exspectaret, aut posse fieri putaret? Quum is hoc probare vellet, M' Curium, quum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset, quam in suam

et oratores circumstantium. Brutus igitur dicit, tantum abesse, ut coram populo, si is concionem reliquisset, dicere posset, quia tum omnino auditores non haberet, ut etiam in iudiciis, ubi non cum populo, sed cum iudicibus res esset, si solos hos auditores haberet, et a corona relinqueretur, dicere non posset.

* *Aut si auditor omnino tanquam equus non facit*) Id sine omni gratia leporeque dictum videtur, sed ut varie explicatur. Ego ne quem reprehendam, qui satis ipse pecco, ut censores potius fatigare debeam, quam in aliis censendis me occupare, puto *facere* verbum esse circense: quod ex eo apparet, quia *factiones*, quae a *faciendo* nomen adeptae sunt, in circo quatuor erant: et in ludis palam *factores* etiam Plautus dicit. Equum igitur puto non *facere*, qui aurigae non paret: nec curriculo corripit spatium, nec adiuvat in partem ad victoriam: sed segnis et ignavus est, nec sentit stimulos, nec aurigam audit. (Turneb. Advers. XIV, 22.) Haec verba nunquam potui concoquere, mihique potius interpolatoris ingenio, quam Ciceronis stilo digna videntur. Quis enim sibi persuaserit, eum similitudinem a tibiis inflatum non recipientibus repente abrupisse, ut illam ab equi contumacia ductam assueret? Nihil igitur aliud noster hic scripsisse videtur praeter ista: *aut si inflatum non recipiunt, agitandi finis faciendus est.* Ac si forte non placeat *agitare* tibias pro *tractare*, fortasse olim *cantandi* scriptum fuit.

Audiret) Ed. Omnib. *audisset*.

tutelam veniret, pupillo non nato heredem esse non posse: quid ille non dixit de testamentorum iure? de antiquis formulis? quid, quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres institueretur? quam captiosum esset populo, quod scriptum esset, negligi, et opinione quaeri voluntates; et interpretatione disertorum, scripta simplicium hominum pervertere? Quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper ius illud esse defenderat? quam omnino multa de conservando iure civili? quae quidem omnia quum perite et scienter, tum ita breviter et presse, et satis ornate et pereleganter diceret; quis esset in populo, qui aut exspectaret, aut fieri posse quidquam melius putaret?

53. At vero, ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem aedificare navem concupivisset, exorsus est, similiter Scaevolam ex uno scalmo captionis, centumvirale iudicium hereditatis effecisse: hoc illo initio consequutus, multis eiusdem generis sententiis delectavit, animosque omnium, qui aderant, in hilaritatem a severitate traduxit: quod est unum ex tribus, quae dixi ab oratore effici debere. Deinde hoc voluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret,

Captiosum esset) Gu. 1, 2, *captiosum esse*.

* *Quae quidem omnia*, *cum perite et scienter*, *tum ita breviter et presse*, *et satis ornate*, *et pereleganter diceret*) Malim cum Aldino, *tum et breviter*. Ceterum *perite* hic ad usum rerum, *scienter* ad cognitionem iuris civilis, *breviter* ad rectam verborum redundantiam, *presse* ad accurationem in definiendo, *ornate* ad expolitionem, *pereleganter* ad exquisitum dicendi genus spectat.

Hoc illo initio consequutus, multis) Gu. 1 *hoc illo initio consecutis multis*. Ed Omnib. *hoc in illo initio consecutis*. Totum locum sic emendandum esse arbitror: *similiter Scaevolam ex uno scalmo captionis hereditatem effecisse; hoc illo initio consequutusque multis eiusdem generis sententiis delectavit centumvirale iudicium, animosque omnium, qui aderant, in hilaritatem a severitate traduxit*. Cf. I, 57 de Orat.

Qui in suam tutelam veniret) Ex-

sive non natus, sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerosque, et id valere, et valuisse semper. Haec et multa eiusmodi dicens fidem faciebat: quod est ex tribus oratoris officiis alterum. Deinde aequum bonum testamentorum sententias voluntatesque tutatus est; quanta esset in verbis captio, cum in ceteris rebus, tum in testamentis, si negligerentur voluntates; quantam sibi potentiam Scaevola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea, nisi de illius sententia. Haec cum graviter, tum ab exemplis copiose, tum varie, tum etiam ridicule et facete explicans, eam admirationem assensionemque commovit, dixisse ut contra nemo videretur. Hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum. Hic ille de populo iudex, qui separatim alterum admiratus esset, idem, audito altero, iudicium suum contemneret. At vero intelligens et doctus, audiens Scaevolam, sentiret esse quoddam uberius dicendi genus et ornatius. Ab utroque autem, causa perorata, si quaereretur, uter praestaret orator, nunquam profecto sapientis iudicium a iudicio vulgi discreparet.

54. Qui praestat igitur intelligens imperito? Magna re et difficili; si quidem magnum est scire, quibus rebus efficiatur, amittaturve dicendo illud quidquid est, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. Praestat etiam illo doctus auditor indocto, quod saepe, quum oratores duo aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum sit, intelligit. Nam illud, quod populo non probatur, ne intelligenti quidem au-

nestius ex ed. Ven. Med Vict al. edidit *qui in suam tutelam veniret*. Frustra. Nam *veniret*, quod etiam Gu 1, 2 habent, h. l. aptius est, quam plusquam perfectum.

Voluntatesque) Lambin *voluntatesque mortuorum*.

A iudicio vulgi) Gu 1, *a iudicio populi*

ditori probari potest. Vt enim ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ii pulsi sint, intelligi solet, sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator. Itaque intelligens dicendi existimator, non assidens, et attente audiens, sed uno aspectu, et praeteriens, de oratore saepe iudicat. Videt oscitantem iudicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas, quaesitorem, ut dimittat, rogantem: intelligit, oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis iudicum admovere orationem, tanquam fidibus manum. Idem si praeteriens aspexerit erectos intuentes indices, ut aut doceri de re, idque etiam vultu probare videantur; aut, ut avem cantu aliquo, sic illos viderit oratione, quasi suspensos, teneri; aut, id quod maxime opus est, misericordia, odio, motu animi aliquo perturbatos esse vehementius; ea si praeteriens (ut dixi) aspexerit, si nihil audierit, tamen oratorem versari in illo iudicio, et opus oratorium fieri, aut perfectum iam esse, profecto intelliget.

55. Quum haec disseruissem, uterque assensus est, et ego tanquam de integro ordiens, Quando igitur, inquam, a Cotta et Sulpicio haec omnis fluxit oratio,

* *Circulantem*) Rivius ex edit. Romana offert *calculantem*. At hoc est ridiculum. *Circulans* dicitur iudex, ut recte interpretatus est Ernestius, qui in ipso iudicio, dum causa dicitur ab oratore taedium potius quam attentionem excitante, surgit, et cum hominibus consistit, et circulos facit, colloquitur.

* *Mittentem ad horas*) *Clepsydram* intelligit Ernestius, ita tamen ut ipse dubitet, an sic *horae* dici potuerint. Immo est *horologium*, ad quod inspiciendum iudices taedio et impatientia mali oratoris servulum mittebant, ut scirent quota diei hora esset. Clepsydram enim ipsi inspicere poterant. De horologio autem, ut machina, similiter vocabulum *horae* usurpatum de Nat Deor II, 38.

Si praeteriens aspexerit erectos intuentes indices) Illa compositio *erectos intuentes*, sc. oratorem, durior videbatur Ernestio; nec valde repugnem. Eadem melius videbatur *intentos*, tum totam copula interposita legendum esset *erectos et intentos iudices*

Id quod maxime opus est) Gu. 1, *id quod maxime opus*, omisso *est*.

quum hos maxime iudicio illorum hominum, et illius aetatis dixissem probatus, revertar ad eos ipsos. tum reliquos, ut institui, deinceps persequar. Quoniam ergo oratorum bonorum (hos enim quaerimus) duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium; etsi id melius est, quod splendidius et magnificentius, tamen in bonis omnia, quae summa sunt, iure laudantur. Sed cavenda est presso illi oratori inopia et ieiunitas; amplo autem inflatum et corruptum orationis genus. Inveniebat igitur acute Cotta, dicebat pure ac solute; et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. Nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum, atque sanum; illudque maximum, quod, quum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati. Fuit enim Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis, et, ut ita dicam, tragicus orator. Vox quum magna, tum suavis et splendida: gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur. incitata et volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari; Cotta malebat Antonium. sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos.

56. O magnam, inquit, artem! Brutus; siquidem istis, quum summi essent oratores, duae res maximae, altera alteri defuit.

Atque in his oratoribus illud animadvertendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. Nihil

Vox quum magna) Gu. 1, *vox tum magna*, melius, opinor.

Nec ea redundans) Gu. 1, *nec ita redundans*

enim tam dissimile, quam Cotta Sulpicio, et uterque aequalibus suis plurimum praestitit. Quare hoc docturis intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque, et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. Sulpicii orationes, quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Canutius putatur, aequalis meus, homo, extra nostrum ordinem, meo iudicio disertissimus. Ipsius Sulpicii nulla oratio est; saepeque ex eo audivi, quum se scribere neque consuesse, neque posse diceret. Cottae pro se, lege Varia, quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu. Fuit is omnino vir egregius, et eques romanus cum primis honestus, idemque eruditissimus et graecis literis et latinis; antiquitatisque nostrae et in inventis rebus, et in actis, scriptorumque veterum literate peritus. Quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio praestans omnique doctrina, pluribus et illustrioribus literis explicavit. Sed idem Aelius Stoicus esse voluit; orator autem nec studuit umquam, nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicerent; ut Q. Metello filio, ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo; quamquam is etiam ipse scripsit eas,

Se calcaria) Gu. 2, *se calcar.*
Scriptam) Sic Gu. 1, 2.
* *Q. Metello filio*) Vix sciri posse certo credimus, quis hic Q. Metellus fuerit, quum tot eo tempore fuerunt Metelli, quia tamen cum duobus consularibus numeratur, et videtur accusatos fuisse, sic ut L. Aelii orationes ad se defendendum dicatur, putamus hunc esse Q. Caecilium Metellum Nepotem, Balearici filium, qui consul cum T. Didio A. V. C. 656 fuit, et a C. Curione patre fuit accusatus, ut Asconius scribit. CORRAD.

* *Q. Pompeio Rufo*) Qui praetor urbanus paucis diebus antequam L. Crassus de Oratore loqueretur lib. I de Orat. et postea consul cum L. Cornelio Sylla, anno ab V. C. 666 fuit, ut Cicero Orat. I et II contra Rullum meminit. cuius etiam consulis filium, eundemque Syllae generum P. Sulpi-

quibus pro se est usus, sed non sina Aelio. His anim scriptis etiam ipse interfui, quum essem apud Aelium adolescens, eumque audire perstudiose soleram. Coltum autem miror, summum ipsum oratorem minimeque ineptum, Aeliaoas leves oratiunculas voluisse existimari suas.

57. His duobus eiusdem aatatis annumerabatur nemo tertius; sed mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam, minime displicebat. Locus erat omnino in maximis causis, praater aos, de quibus supra dixi, nemini; propteraa quod Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in causis racipiendis erat, fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat. Horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum fere, aut ad Caesarem: secundum Philippum et Caesarem Colta et Sulpicius expetebantur. Ita ab iis sex patronis causae illustres agebantur. Neque tam multa, quam nostra aetate, iudicia fiebant: neque hoo, quod nunc fit, ut causae singulae defenderantur a pluribus, quo nihil est vitiosius. Respondemus iis, quos non audivimus; in quo primum saepe aliter est dictum, aliter ad nos relatum: deinde magni interest, coram videre me, quemadmodum adversarius de quaque re asseveret, maxime autem, quemadmodum quaequa res audiatur. Sed nihil vitiosius, quam, quum unum corpus debeat esse defensionis, nasci de integro causam, quum sit ab altero perorata. Omnium enim causarum unum est naturale principium, una peroratio; reliquae partes, quasi membra suo quae-

cius per cunsarios factum sane interfecit, ut Liv. lib LXXVII, et Paterc lib II scribunt. Nec ita multo post Q ipse Pompeius adhuc consul ab exercitu Cn. Pompeii, Strabonis proconsulis seditione, sed quam dux excitaverat, interfectus est Id.

His enim scriptis) Lambin. *his enim scribendis*

Secundum Philippum et Caesarem) Haec Lambinus inseruit ad sensum prorsus necessaria. Utrum ipsa Ciceronis verba sint, qui etiam scribere potuit, *secundum hos*, parum refert;

que loco locata, suam et vim et dignitatem tenent. Quum autem difficile sit, in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conveniat: quanto difficilius cavere, ne quid dicas, quod non conveniat eius orationi, qui ante te dixerit? Sed quia et labor multo maior est, totam causam, quam partem dicere, et quia plures ineuntur gratiae, si uno tempore dicas pro pluribus, idcirco hanc consuetudinem lubenter ascivimus.

58. Erant tamen, quibus videretur illius aetatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse verbis utebatur; et quia latine non pessime loquebatur, usu, credo, aliquo domestico. Nam literarum admodum nihil sciebat. Sed magni interest, quos quisque audiat quo-

quandoquidem libri scripti non hic deserunt.

Vt sibi ipse non conveniat) Lamb. *ut sibi ipsum non conveniat.* Vulgata autem recte defenditur ab Heusingero: *ut sibi ipse non conveniat*, scilic. orator. Vnum enim dictum non potest sibi ipsum non convenire; etsi potest aliis eiusdem oratoris dictis repugnare. Ernestio placebat *ut tibi ipse non convenias* melius quam Lambini ratio, nec tamen necessarium.

Ante te dixerit) Gu. 1, 2, *ante dixerit.*

* *Curio*) C Scribonius Curio, illius Curionis qui supra cap. 32 illustris orator dicebatur, filius, pater eius, de quo cap. 81 agitur. Cos. fuit cum Cn Octavio A. V. C 677 Schutz. — Videtur praetor in Asia fuisse: certe ibi quum esset, illi Sylla imperavit, ut Nicomedem et Ariobarzanem in Cappadociam deduceret, ut Appianus in Mithridatico refert. Eius etiam opera in capiendis Atheniis usum Syllam fuisse testis est Plutarchus. Deinde cum Cn. Octavio, anno ab V. C. 678, consul fuit, ut Plinius ostendit lib. II, cap. 35. Proconsul postea Dardanos in Thracia domuit, ut Frontinus lib. IV, cap. 5 refert, ubi tamen *M. Curio*, pro *C. Curione* male legitur. Victorius etiam Marcellin lib XXIX, ex quo cognoscimus in eo fuisse prudentiam, quam Cicero in Orat. pro lege Manil. commendat. Fuit etiam pontifex, ut ex Orat. de Responsis apparet. cuius locum tum filius videtur petiisse, quum Cicero lib. II Fam. scripserit ad eum, se de sacerdotio laborasse etsi non auguratum posse significari. Hic Ciceronis amicissimus fuit, ita ut eius consulatum ἀποθέωσιν, ut lib. I ad Attic. leges, appellaret. Cicero tamen illum saepe mordebat. Decessit non ita multo ante quam Cicero in Ciliciam proficisceretur, ut ex lib. II Famil. cognoscimus quum vir optimus fuisset, ut Val. Max. lib. IX, cap. 1 ostendit. Corrad.

tidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur. Legimus epistolas Corneliae, matris Gracchorum; apparet, filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. Auditus est nobis Laeliae, Caii filiae, saepe sermo. Ergo illam patris elegantia tinctam vidimus; et filias eius Mucias ambas, quarum sermo mihi fuit notus; et neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem. Ego vero, ac lubenter quidem, inquit Brutus, et eo lubentius, quod L. Crassi erat filia. Quid Crassum, inquam, illum censes, istius Liciniae filium, Crassi testamento qui fuit adoptatus? Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse, inquit. Et vero hic Scipio, collega meus, mihi sane bene et loqui videtur, et dicere. Recte, inquam, iudicas, Brute.

Et filias eius Mucias ambas) Haec omnia in masculinos mutari vult Gulielmius c. cap. 72, sed huic loco filiae magis et solae conveniunt, nempe propter verba, *quarum sermo mihi notus fuit*; nam de filiis si sermo esset, non opus fuisset addi hoc; de filiabus opus erat, quas vulgo homines non audiebant loquentes, more romano: similiter loquitur de neptibus. Nec vero repugnant ea, quae cap. 72 dicuntur, ubi de Muciorum et Laeliorum familiis in genere sermo est, quod et ad filios et ad filias pertinere potest. Ern.

* *Et neptes Licinias*) L. Licinii Crassi et Muciae filias.

* *Hanc vero Scipionis*) Liciniam, uxorem Scipionis Nasicae, qui Publii filius, P. Scipionis Nasicae Serapionis nepos fuit.

* *Crassum illum*) L. Crassum Scipionis modo nominati et Liciniae filium, ab avo materno adoptatum.

* *Scipio*) Publius, ut putamus, vel Lucius, ut est apud Appianum lib. II. Scipio, L. Scipionis et Liciniae alter filius, qui et ipse adoptatus, Q. Metellus Q. F. Pius Scipio fuit appellatus: ut epist. 8 lib. VIII Famil. legitur: qui quum fuisset consul cum Pompeio genero, et bellum cum Caesare in Africa gessisset, se ipse tandem interfecit: quod etsi factum est antequam Dialogus hic fieret, Brutus tamen de illo tanquam vivo loquitur, nisi forte prius hic Dialogus fuerit coeptus, et postea absolutus: vel hic alius sit Scipio, cuius historiam nos invenire non potuerimus. Brutus autem illum vocat collegam suum, nam Brutus pontifex fuit. Corrad.

Sane bene et loqui) Gu. 1, 2, *sane et bene loqui*.

Etenim istius genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum. Nam et de duobus avis iam diximus, Scipione et Crasso; et de tribus proavis, Q. Metello, cuius quatuor filii; P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi privatus in libertatem rempublicam vindicavit; Q. Scaevola augure, peritissimus iuris, idemque percomis est habitus. Iam duorum abavorum quam est illustre nomen, P. Scipionis, qui bis consul fuit, qui est *Corculum* dictus; alterius omnium sapientissimi, C. Laelii? O generosam, inquit, stirpem, et tanquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam atque illuminatam sapientiam! Similiter igitur suspicor (ut conferamus parva magnis), Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum: et eo magis hoc iudico, quod neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum ille poëtam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat; non publicum ius, non privatum et civile cognoverat. Quamquam id quidem fuit etiam in aliis, et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium; sed ii tamen unum illud habebant dicendi opus elaboratum. Idque quum constaret ex quinque notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat (in quacunque enim una plane claudicaret, orator esse non posset); sed tamen alius

Atque illuminatam sapientiam) Hoc *illuminatam* corruptum esse fatentur omnes. Lambinus conj. *illuminatam*, Ernestius *illatam* vel *illigatam*. Possis etiam suspicari, Ciceronem scripsisse *innatam*. Latet autem vocabulum, quod est [illegible] ut *inoculatam* vel simile.

Poëtam noverat) Gu. 1, *poëtam viderat*.

Claudicaret) Gu. 1, 2, *clauderet*. Idem e duobus MSS citat Ernestius. Et est sane speciosum.

in alia excellebat magis. Reperiebat, quid dici opus esset, et quomodo praeparari, et quo loco locari, memoriaque ea comprehendebat Antonius; excellebat autem actione; erantque ei quaedam ex his paria cum Crasso, quaedam etiam superiora; at Crassi magis enitebat oratio. Nec vero Sulpicio, neque Cottae dicere possumus, neque cuiquam bono oratori rem ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse. Itaque in Curione hoc verissime iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia. Nam cum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit. Reliqua duo sunt, agere, et meminisse. In utroque cachinnos irridentium commovebat. Motus erat is, quem et C. Iulius in perpetuum notavit, quum ex eo, in utramque partem toto corpore vacillante, quaesivit, *quis loqueretur e lintre*; et Cn. Sicinius, homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris simile quidquam. Is quum tribunus plebis Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multum se suo more iactas-

Erantque ei quaedam) Gu. 1, *erant ei quaedam*; Gu. 2, *erat ei quaedam*.

Rem ullam ex illis quinque partibus) Lambinus delet *rem*. Et sane commodius abfuerit, quia sequitur *plane et omnino*.

Nam quum tardus in cogitando) Gu. 1: *nam tum in cogitando tardus*.

* *Loqueretur e lintre*) Nam qui vacillant in utramque partem loquentes, e lintre loqui videntur: quod linter, quum sit navicula, facile in utramque partem vacillat, si quis modo velit in eo stare et loqui. Corr.

Is quum tribunus plebis Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multum se suo more iactasset, assidente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus: *Nunquam*, inquit, *Octavi, collegae tuo gratiam referes: qui nisi fuisset, hodie te istic muscae comedissent*) In add. omnibus hic locus ita legitur: *Is quum trib. pl. — produxisset, Curioque multa dixisset sedente Cn. Octavio — Nunquam — referes, qui nisi se suo more iactavisset, hodie te istic muscae comedissent*. Optime autem Schneiderus in ep. ad Langerum ordinem verborum ita, ut fecimus, constituendum censuit, adhibito Quintil. XI, 3. Nec dubitari potest, quin sic et narratio elegantior, et Sicinii dictum urbanius sit, quam in vulgari lectione apud Ciceronem.

set, assidente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis, et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus, *Nunquam*, inquit, *Octavi, collegae tuo gratiam referes: qui nisi fuisset, hodie te istic muscae comedissent.* Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties tria quum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quaereret. Quin in iudicio privato vel maximo, quum ego pro Titinia Cottae peroravissem, ille contra me pro Ser. Naevio diceret, subito totam causam oblitus est, idque veneficiis et cantionibus Titiniae factum esse dicebat. Magna haec immemoris 'ngenii signa; sed nihil turpius, quam quod etiam in scriptis obliviscebatur, quid paulo ante posuisset; ut in eo libro, ubi se exeuntem e senatu, et cum Pansa nostro, et cum Curione filio colloquentem facit; omnisque ille sermo ducitur e percontatione filii, quid in senatu esset actum. In quo multis verbis quum inveheretur in Caesarem Curio, disputatioque esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum, quum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Caesar consul habuisset: reprehendit eas res, quas idem Caesar anno post, et deinceps reliquis annis administravisset in Gallia.

59. Tum Brutus admirans, Tantamne fuisse oblivio-

Obliviscebatur) Sic Guelf. 1, 2. Vulgo *oblivisceretur*.

Colloquentem facit) In edd. additur: *quum senatum Caesar cos. habuisset*, quae hic perperam interpolata sunt e sequentibus. Paulo post pro *ducitur* rescripsi *ducitur*. Totum tamen h. l. Iacobsius V. C. ita sibi restituendum videri ad me scripsit: *ut in eo libro, ubi se exeuntem e senatu, et cum Pansa nostro, et cum Curione filio colloquentem facit; quum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Caesar Cos. habuisset, omnisque ille sermo ductus e percontatione filii, quid in senatu esset actum. In quo multis verbis quum inveheretur in Caesarem Curio, disputatioque esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum, reprehendit eas res, quas idem Caesar anno post et deinceps reliquis annis administravisset in Gallia.*

In senatum) Sic bene Ernestius. Gu. 1, 2. in senatu, ut vulgo.

nem, inquit, in scripto praesertim, ut ne legens quidem unquam senserit, quantum flagitii commisisset! Quid autem, inquam, Brute, stultius, quam si ea vituperare volebat, quae vituperavit, non ro tempore instituere sermonem, quum illarum rerum iam tempora praeteriissent? Sed ita totus errat, ut in eodem sermone dicat, in senatum se, Caesare consule, non accedere, sed id dicat ipso consule exiens e senatu. Iam qui hac parte animi, quae custos est ceterarum ingenii partium, tam debilis esset, ut ne in scripto quidem meminisset, quid paulo ante posuisset, huic minime mirum est ex tempore dicenti solitam effluere mentem. Itaque quum ei nec officium deesset, et flagraret studio dicendi, perpaucae ad eum causae deferebantur. Orator autem vivis eius aequalibus, proximus optimis numerabatur, propter verborum bonitatem, ut ante dixi, et expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. Itaque eius orationes aspiciendas tamen censeo. Sunt illae quidem languidiores, verumtamen possunt augere et quasi alere id bonum, quod in illo mediocre fuisse concedimus; quod habet tantam vim, ut solum, sine aliis, in Curione speciem oratoris alicuius effecerit. Sed ad instituta redeamus.

60. In eodem igitur numero eiusdem aetatis C. Carbo fuit, illius eloquentissimi viri filius, non satis acutus orator, sed tamen orator numeratus est. Erat in verbis gravitas, et facile dicebat, et auctoritatem naturalem quandam habebat oratio. Acutior Q. Varius rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus; fortis vero actor,

Sed id dicat) Sic etiam Gu. 1, 2, et recte quidem; nec opus est, quod Ernestio placebat, id mutare in *et id dicat.*

Ac profluentem) Gu. 1, *et profluentem.*

**C. Carbo*) Hunc inseruit hoc loco, quum supra de illo cum aliis non proposuerit sed facit, ut opinor, ut meditatus in dialogo dicere videatur. CORRAD.

et vehemens, et verbis nec inops, nec abiectus, et quem plane oratorem dicere auderes. Cn. Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminosus. Multum ab his aberat L. Fufius; tamen ex accusatione M' Aquillii diligentiae fructum ceperat. Nam M. Drusum, tuum magnum avunculum, gravem oratorem, ita dumtaxat, quum de republica diceret; L. autem Lucullum etiam acutum; patremque tuum, Brute, iuris quoque et publici et privati sane peritum; M. Lucullum, M. Octavium, Cn. filium, qui tantum

Multum ab his) Sic Guelf. 1, a. Vulg. *multum ab iis*.

* *M. Drusum*) M. Livium Drusum, M. Drusi et Corneliae, ut in Consol. ad Marciam Seneca refert, filium, qui pupillus adhuc quum esset et praetextatus, iudicibus reos commendabat, et se sic interponebat, ut quaedam iudicia ab illo rapta constet. Vado solebat dicere, sibi uni, ne puero quidem, unquam ferias contigisse: quod Seneca in lib. de Brev. vitae scribit. Ob id Cicero lib. I de Off. dixit, ab eo adolescente gravitatem singularem fuisse. Hic quaestor in Asia nullis insignibus uti voluit, ne quid ipso esset insignius. Morbo comitiali helleboro in Anticyra insula constat esse liberatum, ut Plinius lib. XXV, cap. 5, et Gellius lib. XVII, cap. 15 retulerunt. Inter hunc et Caepionem ex anulo in auctione vendi inimicitiae coeperunt; unde origo socialis belli et exitia rerum, ut ait Plin. lib. XXV, cap. 5, et Gell. lib. XVII, cap. 15. In atrio domus suae cultello est percussus, quod scribunt Paterculus lib. II, Liv. lib. LXX; Appianus lib. I; Oros. lib. V, cap. 18, et Cicero ipse Orat. pro Milone. Corrad.

* *Magnum avunculum*) Maternae aviae fratrem, ut Grammatici docent, et tu ita colliges. M. Livius Drusus, qui senatus est patronus appellatus, habuit filios M. Livium Drusum, de quo loquuntur, et Liviam, quae mater fuit Catonis. Ita Drusus pater, Catonis fuit avus maternus. lib. IV de Fin. Drusus vero filius, eiusdem Catonis avunculus fuit, ut Liviae matris frater, ut a Cicerone in Orat. pro Milone, a Valer. Max. lib. III, cap. 1, et a Plutarcho vocatur. Eadem porro Livia, mortuo priore marito, nupsit Q. Servilio Caepioni, unde nata est Servilia mater Bruti, quae ex matre soror fuit Catonis. Et sic Cato, ut Serviliae frater, Bruti fuit avunculus. Livia fuit avia materna, et M. Drusus, eius frater, magnus avunculus. Id.

M. Lucullum) L. Luculli fratrem ut Plutarch. in Lucullo docet, quamvis Eutropius consobrinum vocet. In lapidibus certe Romanis L. Lucullus, L. F. et hic M. F. dicitur, qui L. Syllae imperatoris quaestor fuit, et postea, ut unus e Syllanis ducibus ad Fidentiam feliciter pugnavit. Cum fratre fuit aedilis, apud Plin. lib. VIII, 7. Hic praetor inter peregrinos ius dixit, et contra C. Antonium, quod Graeci postulabant, decrevit, ut

auctoritate dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit; Cn. Octavium, M. filium; M. Catonem patrem; Q. etiam Catulum filium, abducamus ex acie, et in praesidiis reipublicae, ubi facile satisfacere possint, collocemus. Eodem Q. Caepionem referrem, nisi, nimis equestri ordini deditus, a senatu dissedisset. Cn. Carbonem, M. Marium, et ex eodem genere complures, minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus. Quo in genere (ut in

Asconius ostendit. Consul cum C. Cassio fuit, ut in Orat. pro Cluent. legimus; unde Verrius III sic esse legendum cognoscimus: *Nobis respondit, quum ab eo tabulas postularemus, usque ad M. Lucullum et C. Cassium coss. confecisse, postea destitisse.* Proconsul hic in Macedonia Curioni successit, et totam Bessorum gentem, bella appetitam, in deditionem accepit, ut auctor est Orosius lib. VI, cap. 3, et ad terminum gentium Tanaim lacumque Maeotin pervenit, ut Flor. lib. III, cap. 4 refert. Hunc postea L. Luculli fratris tutela permissa est, quum ille alienata sonte dempere coepisset. Ante Ciceronis exsilium videtur L. Lucullus vel decessisse vel accessisse, vel certe nihil curasse, quando nusquam dicitur Ciceronem adiuvisse, ut si vixisset vel valuisset, prorsus adiuvisset: ab eo in triumpho adiutus, lib. II Acad. Quaest. ut M. ipse Lucullus adravit, ut testatur in Orat. in Pisonem, et de Har. Resp. ubi pontifex etiam vocatur, ut epist. 2, lib. IV ad Attic. significatur. Hic M. Lucullus ante bellum civile decessit, cui vel ob id Paterculus gratulatur. Iu.

Abducamus ex acie) Manifestum glossema, vulgo hic annexum, *id est a rudens*, auctore Ruhnkenio ad Vell. Paterc. pag 144, resecuimus. Idem iam P. Manutio visum erat spurium.

* *Cn. Carbonem*) Cn. Papirium Carbonem, qui Marianus fuit, etiam ante, quam consul fieret, ut Liv. lib. LXXIX et sq. scripsit: deinde cum L. Cinna et ipse Carbo a se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Syllam parassent, ac tandem Cinna ab exercitu suo interemptus esset, consulatum Carbo solus gessit, ut Liv. lib. LXXXIII, et Patercul. lib. II praeter alios ostendunt. Tandem illum consulem III cum C. Mario C. F. Sylla, exercitu eius ad Clusium, ad Faventiam, Fidentiamque caeso, Italia expulit, ut ait Liv. lib. LXXXVIII, quem Pompeius in Sicilia captum occidit. Auctores laudo Livium, Valer. Max., Paterculum, Plutarchum, et Appianum, qui res istas pluribus explicavit. Conrad

* *M. Marium*) M. Marium Gratidianum, M. Marii Gratidiani filium, cuius caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulit, et alia foeda quae scribunt Q. Cicero de Petit. Consul. et alii. Hunc bis praetorem fuisse scribit Asconius. Quum vero praetor esset, collegas, tribunosque plebis eo modo decepit, quem Cicero

iis perturbem aetatum ordinem) nuper L. Quintius fuit; aptior etiam Palicanus auribus imperitorum.

61. Et quoniam huius generis facta mentio est, seditiosorum omnium post Gracchos, L. Apuleius Saturnious eloquentissimus visus est; magis specie tamen et motu atque ipso amictu capiebat homines, quam aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiae. Longe autem post natos homines improbissimus C. Servilius Glaucia, sed peracutus et callidus, cum primisque ridiculus Is ex summis et fortunae et vitae sordibus, in praetura consul factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. Nam et plebem tenebat, et equa-

qui fuit affinis, lib. III de Offic. non probavit. Lis ei cum Sergio Aurato fuit ea, quam Cicero lib. I de Orat. et lib. III de Offic. ponit. Io.

Aptior etiam) Sic Gu. 1, 2, bene. Vulgo *aptior autem etiam*.

* *Palicanus*) M. Lollius Palicanus, qui et ipse tribunus pleb. fuit, annis duobus post L. Quintium, L. Gellio et Cn. Lentulo consulibus. Val. Max. lib. III, cap. 8, testatur ita seditiosum fuisse, ut C. Piso consul illum suffragiis populi consulem creatum renunciare noluerit, quod diceret non existimare se, tantis tenebris offusam esse remp. ut huc indignatatis veniretur. Hinc Cicero epist. 1 lib. I ad Attic. scripsit *De Palicano non puto te exspectare, dum scribam* quod verisimile non esset, illum, qui tam turpiter repulsus fuisset, iterum consulatum petiturum. Lollius ab Asconio dicitur, et ita gens Lollia plebeia cognoscitur. Corrad.

* *L. Apuleius Saturninus*) Tribunus pleb. per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit. Gracchanas enim leges asserere non destitit, ut ait Flor. lib. III, cap. 16. Nam legem agrariam tulit, ut Liv. lib. LXIX scripsit, quam Plutarchus in Mario τον περὶ τῆς χώρας νομοὶ appellare videtur. Turbulentissimi huius hominis res narrantur a Livio, Patercolo, Appiano, Floro, Orosio, et alus. Io.

* *C. Servilius Glaucia*) De quo loquuntur omnes historici, qui de L. Apuleio Saturnino scribunt. Is populum solebat monere, ut, quum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet: si esset dictator, consul, praetor, magister equitum, ne laboraret: sciret nihil ad se pertinere: eum autem, *Quicumque post hanc legem*; videret ne qua nova quaestione alligaretur. Hoc Cicero in Orat. pro Rabirio Posthumo scribit. Io.

* *Cum primisque ridiculus*) i. e. facetiis et iocis abundans.

* *Et equestrem ordinem beneficio legis devinxerat*) Non *legis de avaritate*, ut Wetzelius putabat, sed *legis iudiciariae*, qua iudicia, quae erant lege Q. Servilii Carpionis cum senatu et equitibus communicata, sexto anno post (non decimo, ut est op. Erns-

strem ordinem beneficio legis devinxerat. Is praetor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario et Flacco consulibus, publice est interfectus; homo simillimus Atheniensis Hyperboli, cuius improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt. Quos Sex. Titius consequutus, homo loquax sane et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi *Titius* nomen esset. Ita cavendum est, ne quid in agendo dicendove facias, cuius imitatio rideatur.

Sed ad paulo superiorem aetatem revecti sumus; nunc ad eam, de qua aliquantum loquuti sumus, revertamur.

62. Coniunctus igitur Sulpicii aetati P. Antistius fuit, rabula sane probabilis, qui multos quum tacuisset annos, neque contemni solum, sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum, contra C. Iulii illam consulatus petitionem extraordinariam, veram causam agens, est probatus; et eo magis, quod eandem causam quum ageret eius collega ille ipse Sulpicius, hic plura et acutiora dicebat. Itaque post tribunatum pri-

stium in Clave Cic. p. 39) soli equitibus restituta sunt.

* *Hyperboli*) Lucernarum faber improbus, quippe qui faciendis lucernis non aere solum, sed plumbo etiam uteretur, quo pluris eas, ut graviores, venderet, et sic emptores decipiebat, qui tamen μετὰ τὴν τοῦ Κλέωνος δυναστείαν διεδέξατο τὴν δημαγωγίαν, ut Aristophanis interpres in Nubib. et in Pace scribit. Fuit etiam στρατηγὸς Ἀθηναίων, ut idem interpres ait in Acharn. Ἀπώλετο δὲ περὶ τὴν Σάμον, πολεμούντων αὐτῷ τῶν Σαμίων, ut interpres idem in Ranis refert Corrad.

* *Sed tam solutus et mollis*) Solutus gestus h. l. est immodicus et nimius, mollis autem quasi delicatus et muliebris, decorem putide affectans, quod genus Or. cap. 18 Cicero argutias digitorum et mollitiam cervicum dixit. Itaque frustra Ernestius h. voc. offendebatur.

* *P. Antistius*) P. Antistius Labeo tribunus plebis cum collega P. Sulpicio Rufo acriter restitit C. Caesari Straboni consulatum contra leges petenti. Triennio post praetor Pompeio, quum filiam collocasset, quam Syllae partibus addictus, a Damasippo in senatu interfectus est. (Plut. in Pompeio) Pavar.

mo multae ad eum causae, deinde omnes, maximae quaecunque erant, deferebantur. Rem videbat acute, componebat diligenter, memoria valebat; verbis non ille quidem ornatis utebatur, sed tamen non abiectis. Expedita autem erat et perfacile currens oratio; et erat eius quidam tanquam habitus non inurbanus, actio paulum quum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Hic temporibus floruit iis, quibus, inter profectionem reditumque L. Sullae, sine iure fuit et sine ulla dignitate respublica. Hoc autem magis probabatur, quod erat ab oratoribus quaedam in foro solitudo, Sulpicius occiderat, Cotta aberat, et Curio; vivebat e reliquis patronis eius aetatis nemo, praeter Carbonem et Pomponium; quorum utrumque facile superabat.

63. Inferioris autem aetatis erat proximus L. Sisenna, doctus vir et studiis optimis deditus, bene latine loquens, gnarus reipublicae, non sine facetiis; sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis; interiectusque inter duas aetates, Hortensii et Sulpicii, nec maiorem consequi poterat, et minori necesse erat cedere. Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest:

* *Quibus inter profectionem reditumque L. Sullae*) « Aliter *ante profectionem*. Et sane fuit in tribunatu collega Sulpicii et causam contra C. Iulium egit, floruit ante Sullae profectionem. Siquidem Sulla ante quam proficisceretur P. Sulpicium interficiendum curavit. Profectus est autem sub Cn. Octavio L. Cornelio Cinna Coss. ut Plutarchus affirmat, et rediit L. Scipione C. Norbano Coss. ut Livius, Plutarchus, Appianus ostendunt. Certe Philippica XII, cum L. Scipione tunc consule dicitur esse collocutus. Itaque inter profectionem et reditum Sullae vix anni tres integri numerantur; quod si consulatum etiam amplectaris, non amplius certe, quam quatuor annos integros numerabis, quibus P. Antistius floruit, sed post Sullae reditum in Italiam, quum Mariani adhuc urbem tenerent, interfectus est » Hactenus Corradus, qui quamquam haec omnia recte exposuit, non tamen ideo de veritate lectionis *inter profectionem reditumque* dubitare debebat. Nam quum Cicero dicit *hoc temporibus floruit iis*, hoc verbo designat id temporis spatium, quo Antistius in summa erat existimatione, et maxime celebraretur ut patronus.

quae quum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo, quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis latinis literis illustratum. Nam Q. Hortensii admodum adolescentis ingenium, ut Phidiae signum, simul aspectum et probatum est. Is, L. Crasso, Q. Scaevola consulibus, primum in foro dixit, et apud hos ipsos quidem consules, et cum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio discessit probatus. Vndeviginti annos natus erat eo tempore. Est autem L. Paulo, C. Marcello consulibus mortuus; ex quo videmus, eum in patronorum numero annos quatuor et quadraginta fuisse. Hoc de oratore paulo post plura dicemus; hoc autem loco voluimus in disparem oratorum aetatem includere; quamquam id quidem omnibus usu venire necesse fuit, quibus paulo longior vita contigit, ut et cum multo maioribus natu, quam essent ipsi, et cum aliquanto minoribus compararentur. Vt Attius iisdem aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, quum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset: sic Hortensius non cum suis aequalibus solum, sed et mea cum

L. Crasso, Q. Scaevola consulibus) i. e. A. V. C. 658.

L. Paullo, C. Marcello consulibus) i. e. A. V. C. 703.

Hoc autem loco voluimus) Gu. 1, *hoc autem loco volumus*. Vulgo *hoc autem loco voluimus aetatem eius in disparem oratorum aetatem includere*. »Vocabulum *aetatem* (post *voluimus*) nec satis commodum sensum habet, et ingratum est, quum in eadem periodo statim repetatur. Ernestius igitur tentabat h. l. ita corrigens: *voluimus eum in disparem*. Scilicet in Edd. Venet. Mediol. Ald. Iunt. plane ut in codice Gud. (scil. Gu. 1) est *aetatem in disparem*, omisso pronomine *eius*. Acquiescerem emendatione Ernestiana, nisi concinnitas mihi vocabulum respondens dispari aetati oratorum postulare videretur. Quid igitur si *voluimus iuventutem eius in disparem oratorum aetatem* legamus?» Hactenus Schneiderus in ep. ad Langerum pag. 40, satis ille quidem probabiliter, ideo tamen notandus, quod verba *aetatem eius* explicaturus addidit (*L. Sisennae*) haud dubie calami tantum errore; hic enim non de Sisenna amplius, sed de Hortensio sermonem esse, manifestum est.

aetate, et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore coniungitur; siquidem et Crasso vivo dicere solebat, et magis iam etiam vigebat cum Antonio, et cum Philippo iam sene, pro Cn. Pompeii bonis dicente. In illa causa adolescens quum esset, princeps fuit, et in eorum, quos in Sulpicii aetate posui, numerum facile pervenerat; et suos inter aequales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longe praestitit; et me adolescentem nactus octo annis minorem, quam erat ipse, multos annos in stadio eiusdem laudis exercuit; et tecum simul, sicut ego pro multis, sic ille pro Appio Claudio dixit, paulo ante mortem.

64. Vides igitur, ut ad te oratorem, Brute, pervenerimus, tam multis inter nostrum tuumque initium

Siquidem et Crasso vivo dicere solebat, et magis iam etiam vigebat, cum Antonio, et cum Philippo iam sene, pro Cn. Pompeii bonis dicente) Si sic, ut vulgo, legitur, *dicente*, commode vix explicaveris sententiam. Quid enim hoc sit: Hortensius magis vigebat cum Antonio et cum Philippo pro Cn. Pompeii bonis dicente? Aut igitur, his deleta praepositione *cum*, legendum: *et magis etiam vigebat, Antonio et Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente*; aut, quod malim: *et magis etiam vigebat, cum Antonio et Philippo iam sene pro Cn. Pompeii Rufi bonis dicens*. Statim enim sequitur: *In illa causa adolescens quum esset, princeps fuit*, ex quo quantum iam tum viguerit intelligitur, quod, etsi illam causam una cum Antonio, oratore summo, et cum Philippo iam sene defendebat, tamen ei tum adolescenti primae deferebantur. Ceterum lectione Aldinae, in aliis quoque editionibus propagata: *et magis etiam vigebat Antonio et cum Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente, in illa causa, adolescens quum esset, princeps fuit*, nihilo plus quam vulgata ad sensum proficitur.

Multos annos in stadio eiusdem laudis exercuit) Vulg. *in studio*. Rivius autem commendavit lectionem *in stadio*, quam iam Lambinus recepit. Frustra obloquitur Ernestius, quia in stadio non exerceantur homines. At h. l. *exercere* non est ἀσκεῖν, sed sumitur eodem significatu, quo Cicero Victor. Epp. XII, 4, dicit: *nunc me reliquiae vestrae exercent*, i. e. multum negotii facessunt. Itaque aliquis recte dicitur aemulum suum in cursu, vel in stadio laudis exercere, quum praestantia sua eum cogit omnibus viribus eniti atque contendere, ut ipsum, nisi vincat, certe assequatur.

Et tecum simul, sicut ego pro multis) Idem testatur cap. 94, ubi Brutum alloquens, *complures*, inquit, *causas nobiscum et solus egisti*.

dicendi interpositis oratoribus? ex quibus, quoniam in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare, ne vos curiosius eliceretis ex me, quid de quoque iudicarem; eos, qui iam sunt mortui, nominabo.

Tum Brutus, Non est, inquit, ista causa, quam dicis, quamobrem de iis, qui vivunt, nihil velis dicere.

Quaenam igitur, inquam, est?

Vereri te, inquit, arbitror, ne per nos hic sermo tuus emanet, et ii tibi succenseant, quos praeterieris.

Quid? vos, inquam, tacere non poteritis?

Nos quidem, inquit, facillime; sed tamen te arbitror malle ipsum tacere, quam taciturnitatem nostram experiri.

Tum ego, Vere, inquam, tibi, Brute, dicam. Non me existimavi in hoc sermone usque ad hanc aetatem esse venturum; sed ita traxit ordo aetatum orationem, ut iam ad minores etiam pervenerim.

Interpone igitur, inquit, si quos videtur; deinde redeamus ad te, et ad Hortensium.

Immo vero, inquam, ad Hortensium; de me alii dicent, si qui volent.

Minime vero, inquit. Nam etsi me facile omni tuo sermone tenuisti, tamen is mihi longior videtur, quod propero audire de te; nec vero tam de virtutibus dicendi tuis, quae cum omnibus, tum certe mihi notissimae sunt, quam quod gradus tuos, et quasi processus dicendi studeo cognoscere.

Eliceretis) E correctione Rivii. Vulgo olim *eligeretis*.

Malle ipsum tacere) Recte sic edidit Ernestius e MSS. Pal. Cuiac. Vulgo, *malle vel ipsum tacere*.

Vere, inquam, tibi) Gu. 1, *vere tibi, inquam*.

Dicent, si qui) Sic etiam Gu. 1, 2. Non opus est, quod Ernestio placebat, rescribere *dicant*, quamquam hoc etiam aptum esset, paulo alio sensu.

Mihi longior) Gu. 1, *longior mihi*.

Quam quod gradus tuos — studeo cognoscere) Ernesti particulam *quod*

Geretur, inquam, tibi mos; quoniam me non ingenii praedicatorem esse vis, sed laboris mei. Verum interponam, ut placet, alios, et a M. Crasso, qui fuit aequalis Hortensii, exordiar.

65. Is igitur mediocriter a doctrina instructus, angustius etiam a natura, labore et industria, et quod adhibebat ad obtinendas causas curam etiam et gratiam, in principibus patronis aliquot annos fuit. In huius oratione sermo latinus erat, verba non abiecta, res compositae diligenter; nullus flos tamen, neque lumen ullum; animi magna, vocis parva contentio, omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur. Nam huius aequalis et inimicus C. Fimbria, non ita diu iactare se

mocis inclusit; nec valde abhorrim, si quis alius existendam putet Potest tamen defendi, ut totam construatur sic: *tamen ii mihi longior videtur*, *quod propero audire de te*, *nec vero iam de virtutibus tuis* (audire propero) *quam* (propero) *quod gradus tuus — studeo cognoscere*.

* *M. Crasso*) M. Licinius Crassus, Romanorum ditissimus, amplissimis magistratibus ipsoque consulatu defunctus, Syriam proconsul obtinuit anno 701, belloque adversus Parthos infeliciter gesto, omissa maxima exercitus parte, occisus est. Aurum liquidum in os cadaveris infuderunt barbari, *ut cuius animus*, inquit Florus, *arserat auri cupiditate*, *eius etiam mortuum et exsangue corpus exureretur*. POVST

* *Is igitur*) M. Crassus P. fil. Cos. A. 683 et 698, divitus et avaritia celebratus. Cf. Cic. Paradox. 6.

* *Et gratiam*) Nempe quia gratia valebat apud multos, iudices extra iudicium et ante iudicium decendo, monendo, rogando etc. praeparare, conciliare causae poterat. ERN.

Animi magna, vocis parva contentio) Gu. 1 *animi magna vocis ge firmitudo parva contentio*, ut suspicari possis scriptum olim fuisse: *animi magna firmitudo*, *vocis contra parva contentio*.

* *C. Fimbria*) C. Flavius Fimbria, qui L. Valerii Flacci consulis legatus fuit, ut Liv. lib. LXXXII scripsit. Quum L. Valerium Flaccum in Bithynia apud Nicomediam interfecisset, et imperium ad se transtulisset, Ilium, quod sibi portas clausisset, undecimo die cepit, et evertit: et quum ob id gloriaretur, quod quam urbem Agamemnon decimo anno vix cepit, quum mille navium classem et universam Graeciam secum haberet, eam ipse undecimo die cepisset, respondit quidam ex Iliensibus: *Non enim Hector aderat*, *qui pro civitate pugnaret*. Sed ille paulo post apud Thyatiram, quum ab exercitu Syllae obsideretur, in templo Aesculapii sua et servi manu interfectus est, ut videbis apud Liv. lib. LXXXII, Strabonem lib. XIII, Plutarchum in Sylla, Appian. in Bell. Mithrid. Orosium

potuit; qui omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum cursu quodam incitato, ita furebat tamen, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. Cn. autem Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat; qui quum esset nec peracutus (quamquam et ex facie et ex vultu videbatur), nec abundans verbis (etsi fallebat in eo ipso), sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora calebat in agendo, ut ea, quae deerant, non desiderarentur. Ita, tanquam Curio copia nonnulla verborum, nullo alio bono, tenuit oratorum locum: sic Cn. Lentulus

it

lib. VI, cap. 2, et Paterc. lib. II. Addit autem Cicero *Non ita diu iactare se potuit*, quod scilicet *se interemit*, *adolescens*, *quae animus erat*, *fortiter exsequutus*, ut ait Paterc. loco citato, et recte *animus erat*, quoniam fuit *homo longe audacissimus*, ut ait Cicero in Orat. pro Roscio Amerino. Vide Val. Max. IX, 11. Corr.

* *Nec abundans verbis* (*etsi fallebat in eo ipso*) Nempe quia in agendo calebat, et saepe ἀσυνδέτως, exclamationibus, similibusque figuris utebatur, inopiam verborum tegebat, auditoresque fallebat, ut eum abundantiorem verbis crederent, quam esset.

Sic intervallis, *exclamationibus*, *voce suavi et canora admirantes irretiebat*, *et sic calebat in agendo*, *ut ea*, *quae deerant*, *non desiderarentur*) Vulgo *sic intervallis*, *exclamationibus*, *voce suavi et canora admiranda irridebat*, *calebat in agendo*, *ut ea quae deerant non desiderarentur*. Corrupta esse *admiranda irridebat*, inde a Corrado omnes confessi sunt, nemo tamen aliquid ad sanandum vitium attulit, quod ocius quidem satisfaceret. E glossemate adiecta esse illa (ut Heusingerus quoque glossatoris inscitiae hic olfaciebat) mihi non fit verisimile. Itaque correxi *admirantes irretiebat*. Vt apud Ciceronem de Vlysse dicit de Fin. V, 18 probari fabulam de Sirenibus non posse, *si cantiunculis tantus vir irretitus teneretur*, sic bene de Lentulo dici potest *admirantes* auditores *irretiebat intervallis*, h. e. ἀσυνδέτως (quam figuram auctor ad Herennium duobus nominibus, *articuli* IV, 29, quum singula verba *intervallis* distinguuntur caesa oratione, et *dissolutionis* IV, 30, comprehendit, Cicero simpliciter de Orat. III, *dissolutum* vocat) *exclamationibus*, *voce suavi et canora*, quae omnia imperitam multitudinem alliciunt ac saepe admirationes et clamores faciunt. Quum autem additur, *et sic calebat in agendo*, id refertur ad vultum et gestum, in quo Lentulus erat fervidior et ardentior.

* *Cn. Lentulus*) Multa huic cum L. Gellio, de quo supra, sunt com-

ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit. Neque multo secus P. Lentulus, cuius et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formae dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis et suavitas et magnitudo. Sic in hoc nihil praeter actionem fuit; cetera etiam minora, quam in superiore.

66. M. Piso quidquid habuit, habuit ex disciplina; maximeque ex omnibus, qui ante fuerunt, graecis do-

munis, quam et in censura, et in consulatu collegae fuerunt, illud est huius proprium, quod male adversus Spartacum pugnavit, ut Liv. lib. XCVI, et Orosius lib. V, cap. 24 scripserunt. Censor dicitur Verrina VII in Orat. pro Flacco, et in Orat. pro Domo. In eo vero summum consilium, et summam gravitatem fuisse, testatur in Orat. pro lege Manil. Is videtur esse, qui Philippo et Marcellino coss. decessit, epist. 6, lib. IV ad Attic. quamvis aliter olim scripseramus. Temporibus Marianis abfuit. Corr.

* *P. Lentulus*) P. Cornelius Lentulus Sura, is qui cum L. Sergio Catilina coniuravit; quem putat Asconius P. Lentuli illius, quem Cicero Verrina I principem senatus appellat, filium fuisse: quod tempora non pati videntur, ut hic Sura filius fuerit illius, quem Cicero loco aetate, et lib. I de Oratore, P. Africano vel maiorem natu vel aequalem fuisse ostendit. M. Antonius certe lib. I de Orat. de illo sic loquitur, ut de homine, qui tot annis ante obiisset; ut huius Lentuli pater vix esse potuerit. Quin si vir tantus huius P. Lentuli pater fuisset, Cicero ei aliquando obiecisset, ut avum in Orat. III in Catilinam, cuius imaginem Sura non potius quam patriam animo gestasset, si talem patrem habuisset. Valere potest igitur M. Marcelli filius. Quaestor Syllae fuit, postea praetor, ac deinde consul cum Cn. Aufidio Oreste, anno ab V. C. 682. Sed quum vita eius, ut ait Porcius Latro, in obeundis libidinibus versaretur, ac societate turpissimorum hominum nobilitaretur, bis accusatus, et, ut lib. I ad Attic. Cicero scribit, absolutus est, quod iudices, ut auctor est Plutarchus in Cicerone, corrupisset. Non ita multo post tamen senatu motus est, et ut amissam dignitatem recuperaret, praetor iterum factus fuerat, quando cum L. Catilina coniuravit. Io.

* *M. Piso*) M. Pupius Piso Calpurnianus, sic appellatus a quibusdam, quod eum M. Pupius in Orat. pro Domo dicatur adoptatus. Hic quaestor quum L. Pisoni consuli obtigisset, non attigit pecuniam, non ad exercitum profectus est (Verr. III). Hic idem in aedilitate offensiuncula (nam populus illi M. Seium praetulit) accepta, summos a populo honores, ut in Orat. pro Plancio legimus, est adeptus. Nam proconsul in Hispania fuit, unde triumphavit, ut Cic. in Orat. pro Flacco, et in Pison significat. Illum lib. I ad Att. homi-

ctrinis eruditus fuit. Habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limaverat; quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers, sed saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum. Is laborem, quasi cursum, forensem diutius non tulit, quod et corpore erat infirmo, et hominum ineptias ac stultitias, quae devorandae nobis sunt, non ferebat, iracundiusque respuebat, sive morose, ut putabatur, sive ingenio liberoque fastidio. Is quum satis floruisset adolescens, minor haberi est coeptus postea. Deinde ex virginum iudicio magnam laudem est adeptus, et ex eo tempore quasi revocatus in cursum, tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem; postea quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria.

67. P. Murena mediocri ingenio, sed magno studio rerum veterum, literarum et studiosus et non imperitus, multae industriae et magni laboris fuit. C. Censorinus graecis literis satis doctus, quod proposuerat, explicans expedite, non invenustus actor, sed iners, et inimicus fori. L. Turius parvo ingenio, sed multo labore, quoquo modo poterat, saepe dicebat. Itaque

nem perversum, vitiosum, inertem, somni plenum, imperitum appellat quod forte facit iratus: alibi certe fere semper illum laudat. Id. — Cons. A. V. C. 692, cum quo Cicero adolescens saepe declamitans commentabatur. Schütz.

* *Habuit ex disciplina — gravius doctrinis eruditus*) Habuit secum Stasean Peripateticum, de Orat. I, 22. Ei Cicero lib. V locum de Finibus bonorum et malorum ex mente Peripateticorum veterisque Academiae explicandum dedit.

Morose) Lamb. *moroso*.

Ex virginum iudicio) Post quartum absolutionem decimus annus fuit a Ciceronis consulatu, ut ait in Or. III in Catilin. Accusatus enim fuit Catilina incesti, quod cum Fabia virgine Vestali commisisse arguebatur: sed Catuli gratia fultus evasit, ut Orosius lib. VI, cap. 3 scribit. Sed et Fabia ipsa causam incesti dixerat, quum ei Catilina obiiceretur, eratque absoluta haec Fabia, quae soror erat Terentiae Ciceronis, ut ait Asconius. Virgines vero ipsas P. Clodius accusavit, et M. Cato defendit, ut Plutarchus in Catone scribit. In eo iudicio M. hic

ei paucae centuriae ad consulatum defuerunt. C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, maius nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops tamen, non valde nitens, non plane horrida oratio; vox, gestus, et omnis actio sine lepore; at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio; ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim; sed eam ut citius veteratoriam, quam oratoriam diceres. Hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.

68. C. deinde Piso, statarius, et sermonis plenus

Piso magnam laudem est adeptus, ut hic ait. Corrad.

* *C. Macer*) C. Licinius Macer, de quo Cicero praetor incredibili ac singulari populi voluntate transegit. Damnatus est autem, ut χρυσόμενος κλοπῆς, ut ait Plut. in Cicerone, id est *repetundarum*, ut scribit Veler. Max. lib. IX, cap. 12. Io

Everteret) Sic Gu. 1, 2, ut vulgo. Male Ernestius edidit, *evertisset*. Nam si oratione recta uti voluisset, recte dicere poterat: *maius ei nomen in patronis fuisset: sed vita — omnem commendationem ingenii evertebat*; itaque idem oblique enuntiatum recte in imperfectum coniunctivi abit.

C. deinde Piso) Abest *deinde* Guelf. 1.

* *C. Piso*) C. Calpurnius Piso, quo praetore Cicero Q. Roscii comoedi causam defendit, quemque in causa Caecinae adversarium habuit. Is cum M'. Glabrione consul fuit, anno ab V. C 687, et tum Pompeium voluit impedire, ne adversus piratas proficisceretur. Tunc etiam legem Calpurniam de ambitu tulit, in qua praeter alias poenas pecuniaria quoque est adiecta, ut scribit Asconius, et Cicero meminit in Orat. pro Murena. Postea proconsul in Galliam profectus est, sed domum quum rediisset, repetundarum postulatus est, et a C. Iulio Caesare oppugnatus propter cuiusdem Transpadani iniustum supplicium, quare postea cum illo graves exercuit inimicitias, ita ut impellere Ciceronem tentarit, ut Caesar inter coniuratos nominaretur, ut est Sallustius. Piso, Cicerone consule defendente, quia consul fortis constansque fuerat, incolumis est Resp. conservatus, ut legas in Orat. pro Flacco. Nondum mihi satis constat, an is ille sit, quem Plutarchus ἄνδρα ἐπιφανῆ vocat, quem Cicero nihil hac de re dicat: quod mirum est, quum Plutarchus testetur illum de Mario scripsisse, ne quis forte putet illum esse, quem supra diximus L. Pisonem vocatum fuisse, et multo ante vixisse. Corr.

* *Et sermonis plenus*) Mirum est, Ernestium in vocabulo *sermonis* haesisse, et *leporis* substituere voluisse

orator, minime ille quidem tardus in excogitando, verumtamen vultu et simulatione multo etiam acutior, quam erat, videbatur. Nam eius aequalem M' Glabrionem, bene institutum avi Scaevolae diligentia, socors ipsius natura negligensque tardaverat. Etiam L. Torquatus, elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Meus autem aequalis Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioria gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat; actio vero eius habebat et in voce magnum splendorem, et in motu summam dignitatem. Noster item aequalis D. Silanus, vitricus tuus, studii ille quidem habuit non

Eum bene refutavit eius ex fratre nepos, I. C. Theoph. Ernesti, lex. technol. lat. rhet. p. 354. «*Sermonem* nempe *contentioni* opponunt Rhetores, ut ille sit oratio sedata, familiari congressui et vitae quotidianae apta, haec autem vehementior, gravior, et proprie oratoria. Ergo Piso ut statarius, et in omni actione lenis et tranquillus, ita et in oratione sedatior et remissior, quam pro oratore reperiebatur». Hactenus ille, coll. etiam Cic. Orat. III, 45, de Offic. I, 37. Adde Brut. cap. 30 extr.

* *M'. Glabrionem*) Legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis severissimam, in qua ne comperendinari quidem licebat reum, ut legitur Verrina II. Huius gens plebeia fuit, ut ostendit Livius, qui lib. XXXV scribit, P. Scipioni de plebe M'. Acilium Glabrionem collegam additum fuisse. Hoc vero M'. Glabrione praetore Cicero Verrem accusavit, ut Asconius scribit, et in ipsis Verrinis apparet. Hic et cum C. Pisone consul fuit, et ut Plutarchus scribit, in Bithyniam profectus est. Corr.

* *L. Torquatus*) L. Manlius Torquatus, et quidem patricius, ut in Orat. pro P. Sylla cognosces, quum Manliorum familia duplex esset, ut supra diximus. Hic Ciceronis et Attici condiscipulus, ut Nepos ait in Attico, fuit. Cum L. Aurelio Cotta consul est factus anno ab V. C. 689, quos Autronius, Catilina, et alii in Capitolio Cal. Ian. ut scribit Sallustius, interficere pararunt. Post consulatum videtur in Macedonia res ita magnas gessisse, ut Cicerone, iam tum consule, referente, absens imperator sit appellatus, ut in Orat. in Pisonem dicitur. Id.

* *D. Silanus, vitricus tuus*) Bruti mater Servilia, quum esset vidua, ipsi Silano nupsit. Silanus autem consul designatus censuit eos, qui Rempublicam delere conati fuerant, morte esse multandos. Lege Orat. IV in Catilin. Fuit vero consul cum L. Murena, anno ab V. C. 692. Id.

multum, sed acuminis et orationis satis. Q. Pompeius, A. filius, qui Bithynicus dictus est, biennio, quam nos, fortasse maior, summo studio dicendi multaque doctrina, incredibili labore atque industria. Quod scire possum; fuit enim mecum et cum M. Pisone, quum amicitia, tum studiis, exercitationibusque coniunctus. Huius actio non satis commendabat orationem; in hac enim satis erat copiae, in illa autem leporis parum. Erat eius aequalis P. Autronius, voce peracuta, atque magna, nec alia re ulla probabilis; et L. Octavius Reatinus, qui quum multas iam causas diceret, adolescens est mortuus. Is tamen ad dicendum veniebat magis audacter, quam parate. Et C. Stalenus, qui se ipse adoptaverat, et de Staleno Aelium fecerat, fervido quodam et petulanti et furioso genere dicendi: quod quia multis gratum erat et probabatur, ascendisset ad honores, nisi in facinore manifesto deprehensus poenas legibus et iudicio dedisset.

69. Eodem tempore C. et L. Caepasii fratres fuerunt, qui multa opera, ignoti homines et repentini, quaestores celeriter facti sunt, oppidano quodam et

[a] *P. Autronius*) Qui se Ciceronis condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quaestura commemorabat fuisse: qui consul designatus, quum accusaretur ambitus, iudicium tollere ac disturbare primo conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde lapidatione atque concursu, sed damnatus ita se gessit, ut Cicero in Orat. pro P. Sylla scribit: ubi a nobis illum hominem, ut paucis dicam, sceleratissimum describit. Ir.

Et de Staleno) Guelf 1, 2, *et de Staieno*. Hensingerus monuit, *Staius* esse notum ex inscriptionibus nomen, unde *Staienus* fieri potuerit. At *Stalenus* sibi quidem nusquam lectum.

[b] *In facinore manifesto*) De quo narratur Orat. pro Cluentio cap. 7.

[c] *C. et L. Caepasii*) Homines industrii, atque ea animo, ut quaecumque dicendi potestas esset data, in honore atque beneficia ponerent, ut in Orat. pro Cluentio loquitur; ubi ita de illis verba facit, ut eos irridere potius quam laudare videatur. Corr.

[d] *Oppidano — genere dicendi*) Oratio est non urbana, nec elegans, nec nitida: sed velut vicana et municipalis aut castellana. *Homo repentinus* dicitur homo novus, qui subito repenteque in hominum cognitionem

incondito genere dicendi. Addamus hoc etiam, ne quem vocalem praeteriisse videamur, C. Coscoonium Calidianum, qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, si quam habebat, praebebat populo cum multa concursatione magnoque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum. Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat, multorum obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo servire. His enim rebus, infimo loco natus, et honores et pecuniam et gratiam consequutus, etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, aliquem numerum pervenerat. Sed ut pugiles inexercitati, etiamsi pugnos et plagas, Olympiorum cupidi, ferre possunt, solem tamen saepe ferre non possunt; sic ille, quum omni iam fortuna prospere functus, labores etiam magnos exceptisset, illius iudicialis anni severitatem, quasi solem, non tulit.

70. Tum Atticus, Tu quidem de faece, inquit, hauris, idque iamdudum: sed tacebam; hoc vero non pu-

famam, commendationemque pervenit. TURN.

Eam tamen verborum copiam, si quam habebat) Aut legendum *tamen verborum copiam, si quam habebat*; aut *eam tamen verborum copiam, quam habebat*.

Quasi secundarum) Sic Guelf. 1, 2, ut ed. Venet. Corrad. Lamban. Gronov. Nempe similitudo ducta ab *actore secundarum partium*. In ed. Rom. est *secundanus*, in Med. *secundarius*.

Multorum obedire tempori) Abest *multorum* Guelf. 2. Idque Gruterus omittendum censuit, probante Schneidero, qui putat olim esse debere *multorum obedire temporibus*.

Sed ut — cupidi — ferre non possunt) Guelf. 1: *sed ut pugiles inexercitati etiamsi pugnos et plagas Olympiorum ferre non possunt*, omissis verbis, *cupidi, ferre possunt, solem tamen saepe*. Cave tamen immutandum putes *cupidi*. Nam *cupidi Olympiorum*, scilicet ludorum, h. l. dicitur pro *cupidi victoriae in ludis Olympiis*.

* *Illius iudicialis anni severitatem*) Intellige annum V. C. 701, quo a Pompeio legibus pluribus forma iudiciorum immutata, et oratores brevi mora interposita dicere insol anal, quod quum non possent minus exercitati, ii relinquere orationes coacti sunt, de qua re adeundus Ascon. ad Cic. et infra noster cap. 34. ERN.

tabam, te usque ad Stalenos et Autronios esse venturum.

Non puto, inquam, existimare te, ambitione me labi; quippe de mortuis: sed ordinem sequens, in memoriam notam et aequalem necessario incurro. Volo autem hoc perspici, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos; verum, qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse. Sed ad sermonem institutum revertamur. T. Torquatus, T. filius, et doctus vir ex Rhodia disciplina Molonis, et a natura ad dicendum satis solutus atque expeditus (cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu consul factus esset), plus facultatis habuit ad dicendum, quam voluntatis. Itaque studio huic non satisfecit; officio vero nec in suorum necessariorum causis, nec in sententia senatoria defuit. Etiam M. Pontidius, municeps noster, multas privatas causas actitavit, celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis, vel dicam, plus etiam quam non hebes; sed effervescens in dicendo, stomacho saepe iracundiaque, vehementius; ut non cum adversario solum, sed etiam (quod mirabile) cum iudice ipso, cuius delenitor esse debet orator, iurgio saepe contenderet. M. Messalla minor natu, quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum; prudens, acutus, minime incautus patronus, in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multae operae, multarumque causarum. Duo etiam Metelli, Celer et Nepos, nihil

Hoc perspici) Guelf. 1, *haec perspici.*

Ausi sint) Guelf. 2, *ausi sunt.*

Habuerint) Guelf. 1, 2, *habuerunt.*

Nec in suorum necessariorum causis) Ernestio redundare videtur *suorum*, ac fortasse delendum.

* *M. Messalla*) M. Valerius Messalla cons. cum M. Pisone ann. V. C. 692.

* *Duo Metelli, Celer et Nepos*) Duo fratres, aut potius patrueles, ut coniicit Corradus. *Q. Metellus Celer*, praetor urbanus, vir strenuus, egre-

in causis versati, nec sine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicendi genus assequuti. Cn. autem Lentulus Marcellinus, nec unquam indisertus, et in consulatu pereloquens visus est, non tardus sententiis, non inops verbis, voce canora, facetus satis. C. Memmius, L. filius, perfectus literis, sed graecis, fastidiosus sane latinarum; argutus orator, verbisque dulcia, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriae.

71. Hoc loco Brutus, Quam vellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie sunt, tibi dicere luberet. Et, si de aliis minus, de duobus tamen, quos a te scio

giam Cicerone consule adversus Catilinae copias operam reipublicae navavit. Triennio post consulatum adeptus est. Eum a Cladia uxore veneno sublatum esse in Caeliana Cicero deplorat. *Q. Caecilius Metellus Nepos*, trib. pleb. anno 692, graves cum Cicerone inimicitias exercuit: cui, quum abiret e consulatu, de rebus a se gestis disserere paranti silentium imposuit, quod indicta causa cives condemnasset accusans: quumque iurare tantummodo permitteret, Cicero iuravit rempublicam sua unius opem esse salvam. Consul fuit hic Metellus anno 697. Pavet.

Nihil in causis versati) Probo Ruvii et Lambini sententiam, qui *nonnihil* legendum esse censebant, etsi repugnat Ernestius. Nam primum quia de Memmio dictum erat, eum *multarum fuisse causarum*, cum his verbis aptius connectitur. *duo etiam Metelli nonnihil in causis versati*; et quum sequatur *nec sine ingenio*, *nec indocti*, duplex illud *non* respicere videtur antecedens *non* in *nonnihil*. Et quamquam *populare* *genus dicendi* potĕat esse *concionatorum*, tamen etiam in causis forensibus valet.

* *C. Memmius*) C. Memmius Gemellus, epist. 19 lib. XIII Famil. Tribunus pleb. M. Lucullum accusavit, at diu prohibuit, ne L. Lucullus triumpharet, ut Plutarch. in Lucullo et Catone scribit; atque id ipsum triennio ante Ciceronis consulatum. Nam Cicero consul, ut ait lib. II Acad. Quaest. currum Luculli in urbem introduxit. L. Pisone et A. Gabinio consulibus praetor fuit, ut ep. 2 lib. I ad Q. Fratr. cognoscimus. Post vero praeturam Bithyniam provinciam sortitus est: quo secum Val. Catullum poetam duxit, ut ipse Catullus ad Veranium et Fabullum scribens, testatur, quo loco illos Pisonis comites vocat. Inde reversus cum M. Scauro, M. Messala, Cn. Domitio consulatum petiit, et quidem Caesaris auxilio fretus, cuius opibus et militia confirmabatur, et commendabatur, ut lib. IV ad Attic. et lib. III ad Q. Fratrem videre licet. Ille tamen repulsam tulit, et ambitus a Q. Curtio fuit accusatus, et Pom-

laudari solere, Caesare et Marcello, audirem non minus lubenter, quam audivi de iis, qui fuerunt.

Cur tandem, inquam? an exspectas, quid ego iudicem de istis, qui tibi sunt aeque noti ac mihi?

Mihi mehercule, inquit, Marcellus satis est notus; Caesar autem parum. Illum enim saepe audivi: hic, quum ego iudicare iam aliquid possem, abfuit.

Quid igitur de illo iudicas, quem saepe audisti?

Quid censes, inquit, nisi id, quod habiturus es similem tui?

Nae ego, inquam, si ita est, velim tibi eum placere quam maxime.

Atqui et ita est, inquit, et vehementer placet; nec vero sine causa. Nam et didicit, et, omissis ceteris studiis, unum id egit, seseque quotidianis commentationibus acerrime exercuit. Itaque et lectis utitur verbis et frequentibus; et splendore vocis, et dignitate motus fit speciosum et illustre, quod dicitur; omniaque

peia consule III fuit condemnatus, ut Appian. lib. II scribit; quamvis Ciceronis esset cliens, ut epist. 19 lib. XIII Fam. refert Cicero, et ostendit illum Patria exulasse. Lucretius hunc, ut poeta poëtae, et Epicureus Epicureo suos libros de Rerum Nat. scripsit. Nam C. Memmius poeta fuit etiam lascivus, ut Plin. epist. 3 lib. V, et Ovid. lib. II de Trist. affirmant. CORR.

* *Marcello*) M. Claudio Marcello, quem Cicero in Orat. I Catilin. Catilinae quidem sodalem, sed virum tamen optimum et fortissimum vocat, de cuius magistratibus nihil paene possumus affirmare, nisi illum anno ab V. C. 703 cum Servio Sulpicio Rufo consulem fuisse. Post bellum civile, in quo Pompeium secutus est, timens Caesarem veterem suum inimicum Marcellus exulabat; qua tempore Caesar eius acerbitatem accusavit, sed tamen repente praeter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. Quare, quum reliqui gratias Caesari egissent, Cicero longa satis oratione, quae nunc exstat, idem fecit, ut ait lib. IV Famil. ubi saepe monet illum, ut domum revertatur quod quum ille iam facere cogitaret et vellet, a P. Magio Chilone familiari suo, fuit interfectus ut lib. IV Famil., lib. XIII ad Attic., et apud Liv. lib. CXV, et apud alios etiam leges. ID.

Abfuit) Sic Guelf. 1, 2.

Velim tibi eum) Guelf. 1, *vellem tibi eum.*

sic suppetunt, ut ei nullam deesse virtutem oratoris putem; maximeque laudandus est, qui hoc tempore ipso, quum liceat, in hoc communi nostro et quasi fatali malo, consoletur se quum conscientia optimae mentis, tum etiam usurpatione et renovatione doctrinae. Vidi enim Mitylenis nuper virum, atque, ut dixi, vidi plane virum. Itaque quum eum antea tui similem in dicendo viderim, tum vero nunc a doctissimo viro, tibique, ut intellexi, amicissimo, Cratippo, instructum omni copia, multo videbam similiorem.

Hic ego, Etsi, inquam, de optimi viri, nobisque amicissimi laudibus lubenter audio, tamen incurro in memoriam communium miseriarum, quarum oblivionem quaerens, hunc ipsum sermonem produxi longius. Sed de Caesare cupio audire, quid tandem Atticus iudicet.

72. Et ille, Praeclare, inquit, tibi constas, ut de iis, qui nunc sint, nihil velis ipse dicere; et hercle si sic ageres, ut de iis egisti, qui iam mortui sunt, neminem ut praetermitteres, nae tu in multos Autronios et Stalenos incurreres. Quare sive hanc turbam effugere voluisti, sive veritus es, ne quis se aut praeteritum, aut non satis laudatum queri posset; de Caesare tamen potuisti dicere, praesertim quum et tuum de illius ingenio notissimum iudicium esset, nec illius de tuo obscurum.

Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Caesare et ipse

* *Quum liceat*) Viri docti in his verbis haesere, nec potuere explicare. Itaque vel esse addi voluere, ut Corradus (hoc sensu quum liceat illi esse in hoc communi nostro et fatali malo, quia ei Caesar concesserat, ut Romam venire posset), vel ipsum verbum *liceat* tentavere varie. Difficultas tollitur, si non ad proxime sequentia verba referatur, sed ad studia doctrinae, quibus tractandis consolationem quaerebat, quod ei solitario et Athenis viventi licebat facere sine interpellatione. Ern.

Queri posset) Recte Ernestius *posset* pro vulg. *possit* substituit.

ita iudico, et de hoc huius generis acerrimo existimatore saepissime audio, illum omnium fere oratorum latine loqui elegantissime. Nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Laeliorum et Muciorum familiis audiebamus, sed, quamquam id quoque credo fuisse, tamen, ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, et iis quidem reconditis et exquisitis, summoque studio et diligentia est consecutus. Qui etiam in maximis occupationibus quum ad te ipsum, inquit in me intuens, de ratione latine loquendi accuratissime scripserit; primoque in libro dixerit, verborum delectum originem esse eloquentiae; tribueritque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit, quam se dicere, laudem singularem: etiam scripsit his verbis, quum hunc nomine esset affatus: « Ac, si cogitata praeclare eloqui possent, nonnulli studio et usu elaboraverunt, cuius te paene principem copiae atque inventorem, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus: hunc facilem et quo-

Existimatore) Sic Guelf. 1, 2, ut Lambinus edidit, pro eo quod olim vulgabatur *aestimatore*.

Occupationibus quum ad te ipsum) Abest *quum* Guelf 1, 2. Quod si placeat, vel *qui* pro *quippe qui* accipiendum, hoc verborum nexu est concipiendum; *qui etiam in maximis occupationibus — scripserit — dixerit — tribueritque — nam scripsit* — vel statuendum coniunctivos verborum in indicativos mutandos esse, hoc modo. *Qui etiam in maximis occupationibus ad te ipsum — de ratione latine loquendi accuratissime scripsit, primoque in libro dixit, verborum delectum originem esse eloquentiae, tribuitque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit, quam se dicere, laudem singularem, nam scripsit* etc.

Tribueritque) Si sic legendum putes, servato *quum* ante verba *ad te ipsum*, necesse est paulo post legas *etiam scripsit his verbis*, ubi vulgo ponitur *nam scripsit his verbis*. Alias tota periodus careret apodosi.

Si cogitata praeclare eloqui possent) Sic Guelf. 1, 2. Ernestio necessarium videbatur reponi *eloqui ut possent*. Refutabat eum Heusingerus (praef. filii eius ad Cic. de Offic p 48) exemplo Caesaris de Bello Gall. I, 8 4. *saepius noctu si perrumpere possent conati*.

Hunc facilem — nam pro delicto est habendum?) Male haec verba vulgo a Caesaris verbis seiungunt. Vere etiam scribuntur postrema Plerique. *nam pro relicto est habendum* Lam-

tidianum novisse sermonem, num pro delicto est habendum? »

73. Tum Brutus, Amice, hercule, inquit, et magnifice te laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiae dixerit, quae erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi Romani nomine et dignitate. Quo enim uno vincebamur a victa Graecia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum. Hanc autem, inquit, gloriam, testimoniumque Caesaris, tuae quidem supplicationi non, sed triumphis multorum antepono.

Et recte quidem, inquam, Brute: modo sit hoc Caesaris iudicii, non benevolentiae testimonium. Plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnaverunt; ex quibus multi sunt, ut scitis, triumphi. Verum quidem si audire volumus, omissis illis divinis consiliis, quibus saepe constituta est salus civitatis aut belli, aut domi; multo magis orator praestat minutis imperatoribus. At prodest plus imperator. Quis negat? sed tamen (non metuo ne mihi acclametis: est autem qood sentias dicendi liber locus) malim mihi L. Crassi unam pro M' Curio dictionem, quam castellanos triumphos duo. At plus interfuit reipublicae, castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M' Curii. Credo. Sed Atheniensium quoque

hinus *non pro derelicto est habendum.* Lallemand. *num pro derelicto est habendum?* Equidem non dubitavi edere: *num pro delicto est habendum?* Caesar enim innuere voluit, quum ornate et copiose dicere in laude et merito ponatur, non esse pro delicto habendum, se quotidianum sermonem eiusque rectum usum novisse.

Tuae quidem supplicationi non) Guelf. 1, 2, *tuae quidem supplicationi non solum.* Ernestius particulam non sine causa transposuit: *non tuae quidem supplicationi.*

Et recte quidem) Abest *quidem* Guelf. 1.

plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervae signum ex ebore pulcherrimum; tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium. Quare non, quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit, ponderandum est: praesertim quum pauci pingere egregie possint, aut fingere; operarii autem, aut baiuli deesse non possint. Sed perge, Pomponi, de Caesare, et redde quae restant.

74. Solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem emendatam et latinam; cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis. Mitto C. Laelium, P. Scipionem. Aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiae, sic latine loquendi; nec omnium tamen. Nam illorum aequales, Caecilium et Pacuvium, male loquutos videmus. Sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaria domestica infuscaverat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem vetustas fecit, et Romae, et in Graecia. Confluxerunt enim et Athenas, et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis. Quo magis expurgandus est sermo, et adhibenda, tanquam obrussa, ratio, quae mutari non potest; nec utendum pravissima consuetudinis regula. T. Flamininum, qui cum Q. Metello consul fuit, pueri vidimus: existimabatur bene latine loqui, sed literas nesciebat. Catulus erat ille quidem minime indoctus, ut a te paulo est ante dictum, sed tamen suavitas vocis, et lenis appel-

Pulcherrimum) Sic Guelf. 1, 2.

Praesertim — deesse non possint) Mirum, quomodo Ernestio in mentem venire potuerit, haec verba transponenda esse post illa *fabrum tignarium*, quo nihil fieri po sit ineptius.

Nec eos aliqua barbaria domestica infuscaverat) Sic Ernestius, optime. Vulg. *nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat*. Et *os* pro *eos* legendum esse iam Gulielmius viderat

latio literarum, bene loquendi famam confecerat. Cotta, quia se valde dilatandis literis a similitudine graecae locutionis abstraxerat, sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quadam quasi inculta et silvestri via ad eandem laudem pervenerat.

75. Sisenna autem, quasi emendator sermonis usitati quum esse vellet, ne a C. Rusio quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur.

Quidnam istuc est? inquit Brutus; aut quis est iste C. Rusius?

Et ille, Fuit accusator, inquit, vetus, quo accusante C. Rutilium, Sisenna defendens, dixit, quaedam eius *sputatilica* esse crimina. Tum C. Rusius, « Circumvenior, inquit, iudices, nisi subvenitis. Sisenna, quid

* *Cotta, quia se valde dilatandis literis a similitudine graecae locutionis abstraxerat*) Nimirum L. Cotta gaudebat rustica quadam literarum, in primis lata vocalium pronuntiatione (de Orat. III, 12), ideoque se a similitudine graeci sermonis, quem Quintilianus ipse Latino multo iucundiorem esse dicit, abstraxerat. Ernestii autem putabat legendum *qui se valde*, propterea quod non videbat, quomodo haec sententia rationem aut caussam contineret sequentis. At enim hexus sententiarum hic est. Cicero rationem reddit, qui factum sit, ut Cotta in existimationem locutionis enucleatae et latinae venerit. Id sit et contigisse, quia illo sono vocis subagresti et subrustico, quo antiquitatem imitari volebat, etsi se a similitudine graecae locutionis, h. e. a suavitate pronuntiationis abstraxisset, tamen apud eos, qui antiquam et priscam locutionem emendatissimam putarent, ad laudem emendate loquendi pervenisset. Id confirmatur loco Cic. de Orat. III, 11 *Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet eorum sermo, retinere videatur, ut tuus, Catule, sodalis L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguae, sonoque vocis agresti, et illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum.*

Alia quadam) Hensingerus em. *alia quadam*. Recte. Et sic Ald.

A C Rusio) Pighius in annal. ad ann. 613 coniiciebat *C. Erucio* Et Schneiderus quoque, « Cum Pighio, inquit, substitui malim *C. Erucium*. De quo Cicero pro Varrone ap. Quint. VIII, 3, *Erucius Antoniaster*, quem locum pleniorem sic laudat Priscianus: *L. ille Septimius diceret. Est enim ad L. Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis. Erucius hic noster Antoniaster est* ».

Sisenna, quid dicas, nescio) Ernestio, quia oratio dirigatur ad iudices,

dicas, nescio: metuo insidias. *Spusatilica*, quid est hoc? *sputa* quid sit scio, *tilica* nescio ». Maximi risus: sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse inusitate loqui. Caesar autem, rationem adhibens, consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta locutione emendat. Itaque quum ad hanc elegantiam verborum latinorum (quae, etiamsi orator non sis, et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est), adiungit illa oratoria ornamenta dicendi; tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc quum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. Splendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo.

Tum Brutus: Orationes quidem eius mihi vehementer probantur: complures autem legi. Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum.

Valde quidem, inquam, probandos. Nudi enim sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere;

legendum videbatur *Sisenna quid dicat, nescio* Non male Fieri tamen etiam potest, ut Rusius se a iudicibus ad Sisennam converterit.

Etiamsi orator non sis, et sis ingenuus civis Romanus) Ernestius opinabatur legendum *at sis*, vel *sed sis*. Verum *et sis* hoc loco dictum pro *et sis modo*

Voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo) Corradus dubitabat, an non potius legendum esset *magnificam et generosam quodammodo*. Victor. *voce, motu, forma et magnifica et generosa quodammodo*.

Tanquam veste detracta) Sic Gu. 2, 2, Ed. Ald. Vict. Ernestius autem dedit *detracto*. Id improbat Iac. Frid. Heusingerus (cf praefationem Blis ad Cic. de Off. p. 46), mutavisse nimirum hominem, qui Ciceronis stilum ex suo Latinitatis sensu iudicaret. Meliora tamen docuisse patruum suum (Io Mich. Heusingerum) ad Nep. II, 7, 5, et Oudendorp ad Suet. Iul. 56 Nimirum etiam ap. Suetonium l. l. ubi haec verba Ciceronis

annos quidam homines a scribendo deterruit. Nihil enim est in historia pura et illustri brevitate dulcius. Sed ad eos, si placet, qui vita excesserunt, revertamur.

76. C. Sicinius igitur, Q. Pompeii illius, qui censor fuit, ex filia nepos, quaestorius mortuus est, probabilis orator; iam vero etiam probatus, ex hac inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita Hermagorae disciplina. Ea dat rationes certas et praecepta dicendi; quae si minorem habent apparatum (sunt enim exilia), tamen habent ordinem, et quasdam errare in dicendo non patientes vias. Has ille tenens, et paratus ad causas veniens, verborum non egens, ipsa illa comparatione disciplinaque dicendi iam in patronorum numerum pervenerat. Erat etiam vir doctus in primis C. Visellius Varro, consobrinus meus, qui fuit cum Sicinio aetate coniunctus. Is quum post curulem aedilita-

exscripsit, item legitur *veste detracta*, non *detracto*; quod quidem ab Ernesto perperam repositum esse nuper etiam Wolfius noster monuit ad istum Suetonii locum. Wyttenbachius tamen Bibl. Crit. Vol. II, P. 4, pag. 58, lectionem *detracto* defendit.

Nihil enim est) Guelf. 1, 2, *nihil est enim*, recte.

Iam vero etiam) Lambin. *immo vero etiam*, quod valde placet; q. d. orator probabilis, immo vero non probabilis solum, sed etiam nonnullis probatus. Sed vulgata sic defendi potest, ut, quia Sicinius iam mortuus erat quaestorius, Cicero dicere voluerit, *eum iam etiam probatum fuisse*, etsi nondum multos annos pro illa aetate in foro fuerat versatus. Idreo deinde significat verbis, *iam in patronorum numerum venerat*.

Quae si minorem) Ms. Rivii *quae etsi minorem*.

* *C. Visellius Varro*) In Asiatibunus militum fuit C. Nerone praetore, quum Verres legatus esset Dolabellae, ut Verr. III videre licet. Huic cum I. Caesare magna fuit consuetudo, ut in Orat. de Provinc. consularibus ostenditur. Atque nisi cognosceretur hic ante mortuus, dicerem ipsum cum Cicerone in Ciliciam profectum fuisse, quem dicat Cicero epist. 7 lib. III Famil. in Varronem App. Claudio obviam misisse; nec M. Varronem illum doctum possit significare, qui tum Romae fuit, ut epist. 2 lib. V ad Attic. cognosces, nec ita multo post erit legatus in Hispaniam ulteriorem. Hunc Visellium Valer. Max. lib. VIII, cap. 2, scribit gravi morbo correptum trecenta millia nummum ab Otacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passum fuisse, et ab Aquilio, quum postea convaluisset, absolutum. Corrad.

* *Consobrinus meus*) Aculeo suum

tem index quaestionis esset, est mortuus; in quo fateor vulgi iudicium a iudicio meo dissensisse. Nam populo non erat satis vendibilis; praeceps quaedam, et cum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida, et celeritate caecata oratio; sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim, neque sententiis crebriorem. Praeterea perfectus in literis, iurisque civilis iam a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam. Reliqui sunt, qui mortui sint, L. Torquatus, quem tu non tam cito rhetorem dixisses (etsi non deerat oratio), quam, ut Graeci dicunt, πολιτικόν. Erant in eo plurimae literae, nec eae vulgares, sed interiores quaedam et reconditae; divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia. Atque haec omnia vitae decorabat dignitas et integritas. Me quidem admodum delectabat etiam Triarii, in

Ciceronis materteram uxorem duxerat, eius filios igitur, inter quos erat hic C. Visellius, alibi quoque Cicero consobrinos suos vocat de Orat. II, 1, eum neque se puerum ab iisdem doctoribus eruditum narrat.

Tum rapida, et celeritate caecata oratio) Placet Schneideri transpositio: *tum et rapida celeritate caecata oratio*. Nam quia Visellii oratio iam erat *praeceps* appellata, melius est synonymum *rapida* cum *celeritate* componi, quam cum vocabulo *oratio*. Accedit, quod hoc modo pressius enuntiata est altera obscuritatis causa. Ac fortasse melius fuerit *tum rapida celeritate c.* o

Qui mortui sint) Guelf. 1 *qui mortui sunt*

* *L. Torquatus*) L. Manlius L. F. Torquatus, qui adolescentulus eripuit. P. Syllae consulatum, et ad patrem suum retulit. De hoc Cicero in Orat. pro P. Sylla ita scribit: *Harum omnium rerum, quas ego in consulatu pro salute omnium suscepi et gessi, L. ille Torquatus, quum esset meus contubernalis in consulatu, quum signifer esset iuventutis, atque in praetura fuisset, auctor, adiutor, particeps exstitit.* Corrad.

* *Triarii*) C. Valerii Triarii, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulit, ut ait Asconius; unde nos suspicati sumus Verr. III ita esse legendum: *P. Lentulo, C. Triario quaestoribus urbanis.* Hic, ut auctor est Asconius, postea L. Luculli in Asia Pontoque legatus fuit et ut Liv. lib. XCVIII scribit, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit, et quidem apud Zielam, quae nobilis clade Triarii, ob id, opinor, a Plin. lib. VI, c. 3 dicitur, quam quidem cladem Plutarch. in Lucullo; et Appian. in Mithridat. pluribus describunt. Triarium vero e gente Valeria fuisse, ostendit etiam Valeria, quae Triarii soror

illa aetate, plena literatae senectutis oratio. Quanta severitas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore! Tum Brutus, Torquati et Triarii mentione commotus (utrumque enim eorum admodum dilexerat), Nae ego, inquit (ut omittam cetera, quae sunt innumerabilia), de istis duobus quum cogito, doleo, nihil tuam perpetuam auctoritatem de pace valuisse! Nam nec istos excellentes viros, nec multos alios praestantes cives respublica perdidisset. Sileamus, inquam, Brute, de istis, nec augeamus dolorem. Nam et praeteritorum recordatio est acerba, et acerbior exspectatio reliquorum. Itaque omittamus lugere, et tantum, quid quisque dicendo potuerit (quoniam id quaerimus), praedicemus.

77. Sunt etiam ex iis, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus, qui scriptitavit accurate, quum praesertim non esset orator, et egit multa constanter; Appius Claudius, socer tuus, collega et familiaris meus, hic

epist. 7 lib VIII Famil vocatur *Incae*.

* *Perpetuam auctoritatem*) H. e. sententiam, qua semper pacis auctor et suasor fuerat.

* *M. Bibulus*) M. Calphurnius Bibulus a Plutarcho in Caesare vocatur, quamquam Bibulus cognomen in gente Publicia frequentius, ut apud Liv. lib XXII et XXVII, et apud Plut. in Marcello, reperiatur. Is igitur Bibulus, ut Caesar lib. III de Bello Civ. refert, iracundia summa fuit, inimicitiasque habuit privatas cum Caesare ex aedilitate conceptas et praetura. Bibulus consul factus Caesari collegae ferenti legem agrariam coepit adversari et obnunciare, sed armis foro pulsus est. Ac postero die Bibulum in senatu conquestum, nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre aut censere auderet, qualia saepe multa in levioribus turbis decreta erant, in eam Caesar coegit desperationem, ut, quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnunciaret: in quibus Caesarem inter cinaedos fuisse dicebat, eumque Bithynicam reginam vocabat, ut scribit Sueton. quae quidem edicta vel ob id Cicero lib. II ad Attic. *Archilochia* vocat. De rebus bonis Bibuli Plutarch. Dion. et Appian. plura scribunt. Conrad.

Qui scriptitavit) Victor *qui et scriptitavit* Fortasse melius.

* *Appius Claudius*) Appius Claudius Pulcher, eius Appii, qui cum P. Servilio consul fuit, filius, et in Orat. de Responsis agnosces. Hic pauper cum duobus fratribus et duabus sororibus est relictus, ut Varro lib III, cap. 16 de R. Rust testis est. Publium

iam et satis studiosus, et valde cum doctus, tum etiam exercitatus orator, et cum auguralis, tum omnis publici iuris, antiquitatisque nostrae bene peritus fuit. L. Domitius nulla ille quidem arte, sed latine tamen, et multa cum libertate dicebat. Duo praeterea Lentuli consulares, quorum Publius ille, nostrarum iniuriarum

Clodium eius fratrem fuisse cognosces ex orationibus pro Domo, et in Pisonem. Tandem cum L. Domitio consul fuit, ad quod usque tempus videtur durasse, quod inter eum et Ciceronem simultatis fuit. Tunc enim demum sunt reconciliati, vel paulo ante, ut lib. I Famil. cognoscimus; atque ad ipsum per Cn. Pompeium, ut ad Brutum scripsit, quod Quintil. lib. IX, c. 3 refert; vel per Graios, ut epist. 10 lib. II ad Q. Fratrem scribit: quem reditum in gratiam illustrem vocat epist. 10 lib. III Famil. A Pompeio Achaiae quum esset praefectus, eventum gravissimi motus explorare, ut ait Val. Max. lib. I, c. 8 copiens, Pythici oraculi fidem voluit experiri, quod Oros lib. VI, c. 15 scribit; et oraculum accepit, quod Lucanus lib. V sic explicat. *Effugis ingentes, tanti discriminis expers, Bellorum, Romane, minas; solusque quietem Euboicae vasta lateris convalle tenebis.* Et sane ibi, ante Pharsalicum certamen, morbo consumptus, praedictum a deo locum pro sepultura possedit, ut Val. Max. lib. I, c. 8, scribit. Ob id fortasse Cicero postea Tusc. I scripsit Appium νεκρομάντια fecisse, et lib. I de Divin. sortilegis et ψυχομαντία oti solitum fuisse. Corr.

* *L. Domitius*) L. Domitius Aenobarbus, qui filius fuit Cn. Domitii, quem supra diximus cum L. Crasso censorem fuisse. Hunc adolescentem clarissimum, ac principem iuventutis Verr. III vocat; ubi scribit in ea tantum pudorem fuisse, ut Chelidonem meretricem ob se nominari vix sibi honestum esse arbitraretur. Dedit vero, quum contemneret populares insanias, iam ab adolescentia documenta maxima, ut ait Cicero in Orat. pro Milone. Dion. lib. XLI scribit eum admodum divitem fuisse, quod Syllanis temporibus sibi divitias ingentes comparasset; quod verum non est falsum, quum Domitius illis temporibus admodum adolescens, et paene puer esset, ita ut vix rem familiarem curare posset, nisi forte pater eo modo divitias filio comparavit. De morte eius non una est apud veteres scriptores sententia, quum Suetonius et Lucanus in acie Pharsalica cecidisse dicant, quamvis aliter legas apud Appianum. Idem.

* *Nulla ille quidem arte*) Gu. 1, *nulla quidem ille arte.* Go. 2, *nulla ille quidem arte.*

* *Publius*) Cornelius Lentulus Spinter, aedilis curulis, Cicerone consule, omnium illius consiliorum particeps, periculorumque socius fuit, ut in Orat. post Redit. ad Quirit. est scriptum. Caesare et Bibulo consulibus, ipsius Caesaris beneficio in collegium pontificum venit, et hunc Cicero in Orat. de Resp. illum pontificem vocat, et in Orat. pro Domo cum illo, tanquam pontifice, loquitur. In Ciliciam proconsul profectus rem sic praeclare gessit, ut imperator sit appellatus, ut

ultor, auctor salutis, quod habuit, quantumcunque fuit, illud totum habuit ex disciplina; instrumenta naturae deerant; sed tantus animi splendor, et tanta magnitudo, ut sibi omnia, quae clarorum virorum essent, non dubitaret adsciscere, eaque omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus satis erat fortis orator, si modo oratur; sed cogitandi non ferebat laborem. Vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi et fervoris oratio. Quaereres in iudiciis fortasse melius; in republica, quod erat, esse iudicares satis. Ne T. quidem Postumius contemnendus in dicendo; de republica vero non minus vehemens orator, quam bellator fuit; effrenatus, et acer nimis, sed bene iuris publici leges atque instituta cognoverat.

78. Hoc loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitiosum esse, si (ut dixisti) ii, quos iamdiu colligis, vi-

ostendunt inscriptiones epistolarum lib I Famil. quas eo tempore Cicero scripsit. Quin, si ego ex epist. 21 lib V ad Atticum coniicio, triumphavit, sed ob id tantum serie aliena videtur fecisse, ut Cicero in Cilicia proconsul audiverit, quod epist. 1 lib VI ad Attic. scripsit, eum praedium Tusculanum proscripsisse. In bello civili Pompeio adhaesit, sed quid postea illi factum sit, nescimus: id scimus, Ciceronem multo post audivisse illum Rhodi esse, quod epist. 23 lib. XI ad Attic. scripsit. Corrad.

Sed tantus animi splendor) Lambinus *sed tantus erat animi splendor*; non male. Potest tamen ex antecedenti *deerat* illud *erat* intelligi, ut scribi non sit necesse.

Vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi et fervoris oratio) Vulg. *animi et terroris*. Bene Purgoldus pro *terroris* substituendum esse vidit *fervoris*. Est tamen aliud etiam h. l. molestum. Quomodo enim vox canora et verba non horrida efficiebant, ut plena esset animi et fervoris oratio? Fortasse igitur simpliciter scribendum: *vox canora, verba non horrida sane, plena animi et fervoris oratio*.

* *Vt plena esset animi et terroris oratio*) Anonymus interpres hoc ita explicat. Particula ut h. l. eodem sensu intelligi debet, quo *etiamsi, quamvis*. Hoc ergo vult Cicero, P. Lentuli *verba fuisse non horrida*, *etiamsi plena esset terroris oratio*. Posse enim sine horrore illo verborum, et cum suavitate orationis terrorem consistere, docuit ipse supra (c. 11), ubi haec de Pericle: *Huius suavitate maxime hilaratae sunt Athenae: huius ubertatem et copiam admiratae, eiusdem vim dicendi, terroremque timuerunt*. Ed. T.

verent. Omnes enim commemoras, qui ausi aliquando sunt stantes loqui, ut mihi imprudens M. Servilium praeterisse videare. Non, inquam, ego istuc ignoro, Pomponi, multos fuisse, qui verbum nunquam in publico fecissent, quum melius aliquanto posset, quam isti oratores, quos colligo, dicere: sed his commemorandis etiam illud assequor, ut intelligatis, primum ex omni numero, quam non multi ausi sint dicere, deinde ex iis ipsis, quam pauci fuerint laude digni. Itaque ne hos quidem equites romanos, amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi C. Cornelium; in quo et compositum dicendi genus, et acre, et expeditum fuit; T. Accium Pisaurensem, cuius accusationi respondi pro A. Cluentio; qui et accurate dicebat, et satis copiose, eratque praeterea doctus Hermagorae praeceptis, quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen, ut hastae velitibus amentatae, sic apta quaedam, et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur. Studio autem neminem, nec industria maiore cognovi, quamquam ne ingenio quidem qui praestiterit, facile dixerim, C. Pisoni, genero meo. Nullum tempus illi un-

Satis opima) Sic Gu. 1, 2.

Traduntur. Studio autem neminem, nec industria maiore cognovi, quamquam ne ingenio quidem qui praestiterit, facile dixerim, C. Pisoni, genero meo) Sic Ald Victor. Postea Gothofr. aliique, non excepto Ernestio, pessimam interpunctionem invexere istam: *traduntur; studio autem neminem nec industria maiore cognovi. Quamquam ne ingenio quidem, qui praestiterit, facile dixerim C. Pisoni, genero meo*; quasi verba *studio — cognovi* ad Accium Pisaurensem pertinerent, quae de Pisone praedicari manifestum est vel ex iis, quae proxime sequuntur.

* *Genero meo*) Primo. Nam Cicero tribus viris, Pisoni, Crassipedi, et Dolabellae Tulliam filiam collocavit, ut in Quaestura diximus. Consulibus L. Iulio Caesare et C. Marcio Figulo eam C. Pisoni despondit, anno antequam consul ipse fieret, ut lib. I ad Attic scribit. Sed tamen Piso eam non videtur duxisse, epist. 4 lib. XIV Famil. et priusquam Cicero Romam rediret, vel paulo post reditum, decessisse. Corr.

quam vacabat aut a forensi dictione, aut a commentatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. Itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur. Eratque verborum et delectus elegans, et apta et quasi rotunda constructio: cumque argumenta excogitabantur ab eo multa et firma ad probandum, tum concionae acutaeque sententiae; gestusque naturâ ita venustus, ut ars etiam, quae non erat, et e disciplina motus quidam videretur accedere. Vereor, ne amore videar plura, quam fuerint in illo, dicere; quod non ita est. Alia enim de illo maiora dici possunt. Nam nec continentia, nec pietate, nec ullo genere virtutis quemquam eiusdem aetatis cum illo conferendum puto.

79. Nec vero M. Coelium praetereundum arbitror, quaecunque eius in exitu vel fortuna, vel mens fuit; qui quamdiu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum causa steterit constantius; quam eius actionem, multum tamen et splendida, et grandis, et eadem inprimis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves eius conciones aliquot fuerunt, acres accusationes tres, eaeque omnes ex reipublicae contentione susceptae; defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen, saneque tolerabiles. Hic quum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus

* *M. Coelium*) Significat M. Coelium, M. F. Rufum, cuius vitam magnam partem Cicero scribit in Orat. quam pro illo dixit. Extant quaedam illius epistolae. Fortuna ei fuit adversa, nam senatus decreto ab Rep. remotus, a consule senatu prohibitus et de rostris, quum vellet concionari, deductus, Turios pervenit, ubi ab equitibus Gallis atque Hispanis, qui eo missi fuerant, interfectus fuit, ut Caesar lib. III de Bell. Civ. Livius lib. CXI, et Paterc. lib. II scribunt. Quod ad mores attinet eius, vide Senecam lib. III, c. 8 de Ira. IDEM.

esset, nescio quomodo discessu meo discessit a sese, ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat.

80. Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator unus e multis; potius inter multos prope singularis fuit; ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio. Nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum, nihil tam flexibile, nihil, quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris aeque in potestate fuerit; quae primum ita pura erat, ut nihil liquidius; ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret; nullum, nisi loco positum, et tanquam *in vermiculato emblemate*, ut ait Lucilius, structum verbum videres. Nec vero ullum aut durum, aut insolens, aut humile, aut longius ductum; ac non propria verba rerum, sed pleraque translata; sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres. Nec vero haec soluta, nec diffluentia, sed adstricta numeris, non aperte, nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque conclusis. Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci σχήματα, quibus tanquam insignibus in ornatu, distinguebatur omnis oratio. Qua de re agitur autem illud, quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis, id ubi esset, videbat. Accedebat ordo

* *M. Calidio*) M. Calidio Q. F. ut ait Asconius Apollodori discipulo, ut scribit Eusebius. Is fuit ex ordine equestri. Cn. enim Calidius eques Romanus Verr. VI nominatur, et Q. Calidius trib. pleb. sua lege Metellum Numidicum restituit, unde cognoscas potest gentem Calidiam plebeiam fuisse. Is Lentulo et Metello coss. praetor fuit, qui statim designatus sententia sua, quam sibi esset cara Ciceronis salus, declaravit; ut in Orat. post Redit. in senatu legimus. Is postea consulatum cum L. Paulo et C. Marcello videtur petiisse, et repulsam tulisse. Nos certe sic epist. 4 lib. VIII Famil. legendum putamus: *M. Calidium a repulsa postulatum a duobus Gallis*. In bello civili Caesarianas partes sequutus Placentiae obiit, ut scribit Eusebius. Iuxx

Posteaquam) Ald. *postea, cum.*

rerum plenus artis, actio liberalis, totumque dicendi placidum et sanum genus. Quodsi est optimum, suaviter dicere, nihil est, quod melius hoc quaerendum putes. Sed quum a nobis paulo ante dictum sit, tria videri esse, quae orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret: duo summe tenuit, ut et rem illustraret disserendo, et animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus, nec erat ulla vis atque contentio, sive consilio, quod eos, quorum altior oratio, actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur; sive quod natura non esset ita factus; sive quod non consuesset; sive quod non posset. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit; si opus erat, defuit. Quin etiam memini, quum in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque a se esse deprehensum, seseque chirographa, testificationes, indicia, quaestiones, manifestam rem, deferre diceret, deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset; me in respondendo, quum essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, quum pestem capitis sui, quum indicia mortis, se comperisse manifesto, et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter: « Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? praesertim quum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres?

Alter oratio) Al. *elatior oratio*; quod certe melius videtur, nisi potius *acrior oratio* verum sit. Nam h. l. de oratione vehementi animosque inflammante sermo est, non de alta atque exaggerata.

Tu istuc — nisi fingeres, sic ageres) Quint. XI, 3, 155 *An ista, si vera essent, sic a te dicerentur*, nimirum Ciceronis sententiam tantum verbis mutatis commemorans.

Praesertim quum ista eloquentia alienorum) Lamb. malebat *praesertim ista eloquentia, quum alienorum*.

Vbi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet? Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur; pedis (quod minimum est) nulla supplosio. Itaque tantum abfuit, ut inflammares nostros animos; somnum isto loco vix tenebamus. » Sic nos summi oratoria vel sanitate, vel vitio, pro argumento ad diluendum crimen usi sumus. Tum Brutus, Atque dubitamus, inquit, utrum ista sanitas fuerit, an vitium. Quis enim non fateatur, quum ex omnibus oratoris laudibus longe ista sit maxima, inflammare animos audientium, et, quocunque res postulet modo, flectere, qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuisse?

81. Sit sane ita, inquam: sed redeamus ad eum, qui iam unus restat, Hortensium: tum de nobismetipsis, quoniam id etiam, Brute, postulas, pauca dicemus; quamquam facienda mentio est, ut quidem mihi videtur, duorum adolescentium, qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae laudem consequuti.

C. Curionem te, inquit Brutus, et C. Licinium Calvum arbitror dicere.

Frons non percussa, non femur) Quint. XI, 3, 123, ubi hoc loco utitur, habet *non frons percussa, non femur*, ordine verborum ob anaphoram concinniore.

Tantum abfuit) Apud Quintilianum XI, 3, 155 legitur, *tantum abest*.

Atque dubitamus) *Atque* pro vulg. *atque* restituit Ernestius ex edd. pr. Idem habet Gu. 1, 2. In Gu. 3 est *dubitabamus*.

* *C. Curionem*) C. Scribonius Curio, patris consularis ac triumphalis eloquentia et ingenio similis, perditis moribus dissimillimus, quem Velleius lib. II egregie describit. *vir nobilis, eloquens, audax, suae alienae-que et fortunae et pudicitiae prodigus, hominum ingeniosissime nequam, et facundus malo publico; cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus neque opes ullae, neque cupiditates sufficere possent.* Pavat

* *C. Licinium Calvum*) C. Licinium Calvum, C. Licinii Macri filium, ut apud Vales. Max. lib. IX, cap. 12 videre poteris. Huius vitam Crinitus et Lilius scripserunt. Catullus eundem non semel ut oratorem et poetam describit. Vt poëta igitur versus in Caesarem scripsit, ut Sueton. ostendit. Scripsit et in Tigellium; unde versum refert interpres Horat. *Sardi Tigelli putidum caput venit*. Hinc Ci-

Recte, inquam, arbitraris; quorum quidem alter ita facile soluteque verbis volvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius. Atque hic a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum. Industriam non sum expertus; studium certe fuit. Qui si me audire voluisset, ut coeperat, honores, quam opes, consequi maluisset.

Quidnam est, inquit, istud? et quemadmodum distinguis?

Hoc modo, inquam. Quum honos sit praemium virtutis, iudicio studioque civium delatum ad aliquem, qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur. Qui autem occasione

cero de Tigellio loquens epist. 25 lib. VII Famil. scribit ita *Eum addictum iam tum puto Calvi Licinii Hipponacteo praeconio.* Hic amavit Quintilium, ut Catullus, et Propertius lib. II sunt auctores; et carmina cum ingentis animi plena, ut ait Seneca lib. IV Controv. tum saepe etiam lasciva scripsit, ut Ovid. lib. II de Tristib. ostendit CONRAD.

Quorum quidem alter ita facile soluteque verbis volvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius) Vulg legitur *quorum quidem alter, quod verisimile dixisset, ita facile soluteque* etc. At quid hoc est *quod verisimile dixisset* — Heusingerus in schedis addit haec « i. e. bonus orator evasisset, scil. si diutius vixisset, quod ex praecedentibus intelligitur. Bonus orator est is, qui accommodate ad persuadendum posset dicere. De Orat. I, 61. Post ista verba pone τέλειαν στιγμήν ». Eandem interpretationem Heusingerus, sed brevius, protulit ad Ciceronem de Off. I, 3, 9. Sed haec ratio difficilior et impeditior est, quam ut Ciceronis orationem deceat. Schneideri coniecturam a Wetzelio memoratam, *quod verisimile vix est*, vel *quod verisimile vix esset*, non magis probare possum; ne enim esset παρέλκον frigidum et supervacuum. Ernestius ad. h. l. « haec, inquit, ego non intelligo, nec bene interpretatur Corradus, qui ad narrationes refert, nescio quomodo, quum de iis non sit sermo. Turbant autem contextum. Credo esse spuria et aliunde intrusa ». Et hunc quidem verum vidisse arbitror. Itaque delevi; ut iam Lambinus fecerat.

(*Atque hic a magistris parum institutus*) Gu. 1, 2, *atque hic parum a magistris institutus.*

Quidnam est, inquit, istud) Gu. 1, 2, *quidnam est, inquit, istuc*; ut cap. 81 sunt *quorsus istuc?*

Is mihi et honestus et honoratus videtur) *Honestus* non est i. q. *honora-*

aliqua, etiam invitis suis civibus, nactus est imperium, ut ille cupiebat, hunc nomen honoris, non honorem adeptum puto. Quae si ille audire voluisset, maxima cum gratia et gloria ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratuum, ut pater eius fecerat, ut reliqui clariores viri. Quae quidem etiam cum P. Crasso, M. filio, quum initio aetatis ad amicitiam se meam contulisset, saepe egisse me arbitror, quum eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam maiores eius ei tritam reliquissent. Erat enim cum institutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus; ineratque et ingenium satis acre, et orationis non inelegans copia; praetereaque sine arrogantia gravis esse videbatur, et sine segnitia verecundus. Sed hunc quoque absorbuit aestus quidam insolitae adolescentibus gloriae. Qui quia navarat miles operam imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat; cui muneri mos maiorum aetatem certam, sortem incertam reliquit. Ita gravissimo suo casu, dum Cyri et Alexandri similis esse voluit, qui suum

sus, ut Weselius opinabatur; sed *honestus* est propter virtutem honore dignus, *honoratus* autem honorem adeptus.

Etiam invitis suis civibus) Gu. 1, 2 obest *suis*.

Hunc nomen honoris, non honorem, adeptum puto) Sic. Ms. Reg. Paris. cstante Ernestio. Vulg *hunc nomen honoris adeptum, non honorem puto*.

Sed hunc quoque absorbuit aestus quidam insolitae adolescentibus gloriae) Vulg *non insolitae* At. Co. 1, 2 Ald prohante Heusingero omittunt *non*. Et hoc multo est perpetuitati verborum convenientius Cicero enim dicit, hunc Crassum abreptum esse aestuante quadam cupiditate *insolitae adolescentibus gloriae*, sc. imperatoriae dignitatis, ad quam adolescentes more maiorum adspirare non debebant. Sic Mithridates Or pro leg. Manil c. 21 dicitur *insolita victoria inflammatus*. In verbo *absorbuit* simul respicitur ad interitum Crassi, cuius mox mentio fit.

* *Cui muneri mos maiorum aetatem certam, sortem incertam reliquit*) Nempe quia non fere creabantur imperatores nisi consules aut consulares, consulatui autem gerendo certa aetas praescripta erat legibus annalibus, et tamen sors recerta erat, quae bellum aliquod imperatori gerendum more maiorum sortitione et suffragiis populi deferebatur.

cursum transcurrerant, et L. Crassi, et multorum Crassorum inventus est dissimillimus.

82. Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus) revertamur: qui orator quum fuisset literis eruditior, quam Curio, tum etiam accuratius, quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus; quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem, et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur.

83. Tum Brutus, Atticum se, inquit, Calvus noster dici oratorem volebat. Inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur.

Dicebat, inquam, ita; sed et ipse errabat, et alios etiam errare cogebat. Nam si quis eos, qui nec inepte

Qui orator quum fuisset) scil. *si diutius vixisset*, quod hic e cap. 81 (p. 157, v. 18) repetendum esse indicavit Heusingerus. In Ald. est *qui orator fuisset cum literis eruditior.* Optimum fuerit fortasse: *qui quum fuisset literis eruditior, quam Curio, tum etiam* etc. ita ut *fuisset* h. l. pro *fuerat* ponatur sine respectu ad istum locum c. 81. Quintilianus X, 1, 115 de hoc Calvo: *sancta est eius et gravis oratio, et castigata, et frequenter vehemens quoque. Imitator est autem Atticorum, fecitque illi properata mors iniuriam, si quid adiecturus, non si quid detracturus fuit.*

Deperdebat) Ad h. l. Quintilianus respexit X, 1, 115. *Inveni, qui Calvum praeferrent omnibus, inveni, qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse.*

* *Devorabatur*) Ut literae quaedam aut syllabae dicuntur ab eo, qui loquitur, *devorari*, quae in pronuntiatione obscurantur, vel parum dilucide efferuntur, sic oratio ab auditore dicitur *devorari*, quae sic auditur, ut magna eius pars haud satis percipiatur, sed potius massam atque intelligentiam effugiat. Sic igitur Calvi oratio nimis accurata et exquisita a multitudine *devorabatur*, quippe quae docti satis non erant ad intelligendam Calvi subtilitatem et elegantiam, nec satis attenti, propterea quod exsangue erat genus orationis, nec ad excitandam populi attentionem admodum accommodatum. Contra doctis et attentis audientibus eius oratio erat *illustris*, h. e. satis perspicua et illuminata, nihil ut eos effugeret aut praeteriret. Quae quum opposita a Cicerone dicantur, in eandemque fere sententiam a Budaeo, Gesnero, Ernestio al.

dicunt, nec odiose, nec putide, Attice putat dicere, is recte, nisi Atticum, probat neminem. Insulsitatem enim et insolentiam, tanquam insaniam quandam orationis, odit; sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris, probat. Haec omnium debet oratorum eadem esse sententia. Sin autem ieiunitatem et siccitatem et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc recte duntaxat; sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus et dissimilitudines et vim et varietatem Atticorum. Atticos, inquit, volo imitari. Quos? nec enim est unum genus. Nam quid est tam dissimile, quam Demosthenes et Lysias? quam idem et Hyperides? quam omnium horum Aeschines? Quem igitur imitaris? Si aliquem; ceteri ergo Attice non dicebant. Si omnes; qui potes, quum sint ipsi dissimillimi inter se? In quo etiam illud quaero, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit. Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur. At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias. Natura quaedam, aut volun-

cepta sunt, non erat quod Schneiderus in vocabulo *devorabatur* haereret, et aliud quaerendum putaret. Multo minus audiendus Purgoldus, qui in *deserebatur* incidit, coniectura prorsus inutili.

* *Nec odiose, nec putide*) *Odiosum* genus dicendi est id quod Galli dicunt *le genre ennuyant*. *Putidum* autem est, quidquid est nimis ἀκριβῶς molestum. Ergo omne putidum est etiam odiosum; at non omne, quod est odiosum, item est putidum.

Hoc recte duntaxat) Idem Orat. c. 9 ita eloquitur: *Errant, quod solum, quod Atticum non falluntur*.

Dissimilitudines) Gu. 1. *similitudines*. Ac ne quis putat, *dissimilitudines* esse tollendum, quia sequitur *varietatem*, notandum est, *dissimilitudines* dici de Atticis in eodem genero dissimilibus, ut oratorum, varietatem autem de diversa Atticorum indole in diversis generibus comparatorum, ut si Demosthenem Atticum, sed oratorem, cum Thucydide item Attico, sed historiae scriptore, comparare velis.

Quam idem) scil. Demosthenes. Al. Cuiac. *idem* probantibus Gulielmo et Schneidero.

tas ita dicendi fuit. Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se, sed Attici tamen; quorum Charisius multarum orationum, quas scribebat aliis, quum cupere videretur imitari Lysiam, Demochares autem, qui fuit Demostheni sororis filius, et orationes scripsit aliquot, et earum rerum historiam, quae erant Athenis ipsius aetate gestae, non tam historico, quam oratorio genere perscripsit. At Charisii vult Hegesias esse similis, isque se ita putat Atticum, ut veros illos prae se paene agrestes putet. At quid est tam fractum, tam minutum, tam in ipsa (quam tamen consequitur) concinnitate puerile? Atticorum similes esse volumus. Optime. Suntne igitur ii Attici oratores? Quis negare potest? Hos imitamur. Quo modo, qui sunt et inter se dissimiles, et aliorum? Thucydidem, inquit, imitamur. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarum pronuntiator sincerus, et grandis etiam fuit; hoc forense, concertatorum, iudiciale, non tractavit

Quorum Charisius multarum orationum, quas scribebat aliis) Ald Vict. *quorum Charisius multas orationes, quas scribebat alus* — Quas lectiones cur vitiosas dixerit Ernestius, haud assequor. Nam bene sic construntur verba *Et quidem duo fuerunt — quorum* (alter) *Charisius multas orationes* (*scripsit*), *quas scribebat aliis, quum — Lysiam*, (alter) *Demochares autem — et orationes scripsit* etc. Nempe post *multas orationes* est *scripsit* intelligendum e sequentibus

* *Quam tamen consequitur*) i. e. consectatur, ut recte expl. Ernestius. Sic cap. 83 ait *quam ille de industria consequebatur*

* *Atticorum similes*) In hac sermocinatione Hegesiae, qui se Atticum putabat, dicta a Ciceronis responsionibus sic distinguenda. *Atticorum similes esse volumus. — Optime. — Suntne igitur ii Attici oratores? — Quis negare potest? — Hos imitamur. — Quo modo, qui sunt et inter se dissimiles, et aliorum? — Thucydidem, inquit, imitamur — Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis.*

* *Thucydides — rerum gestarum pronuntiator sincerus, et grandis etiam fuit*) Idem Orat. c. 9 appellatur *rerum explicator prudens, sincerus, gravis.*

* *Hoc forense, concertatorum, iudiciale, non tractavit genus*) Tria haec epitheta sunt unum genus iudi-

genus. Orationes autem, quas interposuit (multae enim sunt), eas ego laudare soleo; imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim. Vt, si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit; nec rursus ita vetere, ut Opimium, aut Anicium consulem quaerat: (atqui eae notae sunt optimae, credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quaerimus, suavitatem, nec est iam sane tolerabilis. Num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime; sed quandam sequatur aetatem); sic ego istis censuerim et novam istam, quasi de musto ac lacu, fervidam orationem fugiendam, nec illam praeclaram Thucydidis nimia veterem, tanquam Anicianam notam,

ciale denotant, ut synonyma sunt, non tamen prorsus eodem respectu ponuntur. Thucydides est scriptor historiae in umbra domestica, non *forensis orator*; idem genus narrandi quietum, non concertatorium et litigiosum orationum genus tractavit, denique scripsit de rebus gestis, non egit, ut orator iudicialis, coram iudicibus, coram quibus contenditur de capitis periculo.

Vt, si quis — quaerat) Acute vidit Ernestius, his verbis respondere infra: *sic ego istis censuerim*, media autem: *atqui eae notae — aetatem* in parenthesi accipienda esse.

Atqui eae notae sunt optimae, credo) Gothofr. ac interpungit: *atqui eae notae sunt optimae. Credo.*

Sic ego istis censuerim et novam istam, quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam) « Lacus non est dolium, ut putabat Ernesti, sed vas torculari suppositum, in quod recens mustum defluit. Inepte igitur h. l. oratio de musto et lacu dicitur nova, quasi mustum vasis genus sit. Quid si igitur legamus *quasi musteam de lacu ac fervidam orationem? Musteum* enim dicitur, quidquid est novum ac recens. Exempla posuit Gesner thes. lingu. lat. *Fervere* etiam de musto dicitur; hinc *fervida oratio* (cf. c. 91) translata est ». Hactenus Schneiderus V. C. qui vulgatae lectionis incommodum acute sensit. Ac profecto in eius emendatione acquiescerem, nisi similis etiam esset, quod rescribendum censui: *et novam istam quasi mustam de lacu, fervidam orationem*. Sic Ovid. Fast. IV, 888 *Praemia de lacubus proxima musta tuis*. Eadem translatione dicta quaedam in Orat. pro Roscio Amerino nondum satis *deferbuisse* dicit. Or. c. 30. Vasis eadem similitudine in re non prorsus quidem eadem, sed tamen simili, Quint. II, 4, 8 *Quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu statim austera sint; sic et annos ferent, et vetustate proficient.*

persequendam. Ipse enim Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior. Demosthenem igitur imitemur. O dii boni! quid, quaeso, nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? At non assequimur. Isti enim videlicet Attici nostri, quod volunt, assequuntur. Ne illud quidem intelligunt, non modo ita memoria proditum esse, sed ita necesse fuisse, quum Demosthenes dicturus esset, ut concursus, audiendi causa, ex tota Graecia fierent. At quum isti Attici dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinquuntur. Quare si anguste et exiliter dicere, est Atticorum, sint sane Attici; sed in comitium veniant, ad stantem iudicem dicant. Subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant. Volo hoc oratori contingat, ut, quum auditum sit, eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando et cedendo loco, corona multiplex, iudex erectus; quum surgit is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium, deinde crebrae assensiones, multae admirationes; risus, quum velit, quum velit, fletus; ut, qui haec procul videat, etiamsi, quid agatur, nesciat, at placere tamen, et in scena esse Roscium intelligat. Haec

Thucydidis) Ald. Victor. *Thucydidi*, quod hic melius

Quid, quaeso) Lambin. *quid ergo*

* *At non assequimur*) In hoc occupatur obiectio adversarii, quicum disputat Cicero; q. d. *at obiicimus*, *nos* (Demosthenem) *non assequi*.

Isti enim videlicet) Εἰρωνικῶς. Al. *isti enim Attici videlicet*.

* *Quod est ipsum miserabile*) i. q. quod est per se ipsum satis miserabile, a corona relinqui, miserabilius etiam ab advocatis

* *Sed in comitium veniant, ad stantem iudicem dicant*) Nempe leviores lites in comitio, iudicibus non sedentibus, sed, quia breviter possent dirimi, stantibus agebantur

* *Subsellia*) scil. iudicum, quae hic dicuntur pro causis gravioribus et publicis

* *Ut qui haec procul videat — intelligat*) Idem hoc sic expressit supra c. 54: *ut si praeteriens aspexerit, si nihil audierit, tamen oratorem versari in illo iudicio et opus oratorium fieri aut perfectum iam esse, profecto intelliget.*

cui contingant, eum scito Attice dicere, ut de Pericle audimus, ut de Hyperide, ut de Aeschine, de ipso quidem Demosthene maxime. Sin autem acutum, prudens, et idem sincerum et solidum et exsiccatum genus orationis probant, nec illo graviore ornatu oratorio utuntur, et hoc proprium esse Atticorum volunt: recte laudant. Est enim in arte tanta, tamque varia, etiam huic minutae subtilitati locus. Ita fiet, ut non omnes, qui Attice, iidem bene; sed ut omnes, qui bene, iidem etiam Attice dicant. Sed redeamus rursus ad Hortensium.

84. Sane quidem, inquit Brutus; quamquam ista mihi tua fuit periucunda a proposita oratione digressio.

Tum Atticus, Aliquoties sum, inquit, conatus, sed interpellare nolui. Nunc, quoniam ad perorandum spectare videtur sermo tuus, dicam, opinor, quod sentio.

Tu vero, inquam, Tite.

Tum ille, Ego, inquit, ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis, et Xenophontis, et Aeschinis libris utitur, facetam et elegantem puto. Est enim et minime inepti hominis, et eiusdem etiam faceti, quum de sapientia disceptetur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi

Vt de Pericle audimus) Sic Gu. 1, 2. Recte Et probat Heusingerus, coll. observatione ad Cic. de Offic. I, 6, 5.

* *Solidum, et exsiccatum genus orationis*) In vocabulo *solidum* Ernestius putat metaphoram ductam a cibo solido et sicco. Id secus est. Tralatum potius a soliditate ossium in corpore humano. Ea soliditas nisi vestiatur carne, per quam sanguis pellaceat, ornatum et pulcritudinem non habet. In eadem re supra c. 17 atque utinam imitarentur Lysiam, *nec ossa solum* (i. e. soliditatem eius,) *sed etiam sanguinem*, h. e. ornatum, quo tamen non omnino caret Lysias, etsi non est plurimi sanguinis.

Digressio) Sic Gu. 1, Venet. etc. Melius tamen *degressio*, quod in quibusdam aliis legitur.

Et Aeschinis libris) Gu. 1, 2, et *Eschinis libris*. Vnde colligas, Ciceronem hic scripsisse *Aeschini*, ut *Pericli* alibi et similia.

arrogant: ut apud Platonem Socrates in coelum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros; se autem omnium rerum inscium fingit et rudem. Decet hoc, nescio quomodo, illum; nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior. Sed in historia, qua tu es usus in omni sermone, quum, qualis quisque orator fuisset, exponeres, vide, quaeso, inquit, ne tam reprehendenda sit ironia, quam in testimonio.

85. Quorsus, inquam, istuc? non enim intelligo.

Quia primum, inquit, ita laudavisti quosdam oratores, ut imperitos posses in errorem inducere. Equidem in quibusdam risum vix tenebam, quum Attico Lysiae Catonem nostrum comparabas, magnum mehercule hominem, vel potius summum et singularem virum; nemo dicet secus; sed oratorem? sed etiam Lysiae similem? quo nihil potest esse pictius. Bella ironia, si iocaremur; sin asseveramus, vide, ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium dicamus. Ego enim Catonem tuum, ut civem, ut senatorem, ut imperatorem, ut virum denique quum prudentia et diligentia, tum omni virtute excellentem, probo; orationes autem eius, ut illis temporibus, valde laudo. Significant enim quandam formam ingenii, sed admodum impolitam, et plane rudem. Origines vero quum omnibus oratoris laudibus refertas diceres, et Catonem cum Philisto et Thucydide comparares, Brutone te id censebas, an mihi probaturum? Quos enim ne e Graecis quidem quisquam imitari potest, iis tu comparas hominem Tusculanum, nondum suspicantem, quale esset, copiose et ornate dicere.

Quam si testimonium dicamus) Gu. 1, q. s. t. *diceremus*, quod probat Heusingerus explicatque sic: *vide, ne religio nobis tam adhibenda sit, quam adhibenda esset, si testimonium diceremus*. Idem est in Ald.

Oratoris) Lambin. *oratorus*. Supra dixerat c. 17 *Iam vero Origines*

86. Galbam laudas; si ut illius aetatis principem, assentior; sic enim accepimus; sin ut oratorem, cedo, quaeso, orationes (sunt enim), et dic, hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes. Paulum hic tibi assentior, modo ita laudes, ut antiquas; quod item de Africano, de Laelio, cuius tu oratione negas fieri quidquam posse dulcius. Addis etiam nescio quid augustius, nomine nos capi volens summi viri, vitaeque elegantissimae verissimis laudibus. Remove haec; nae ista dulcis oratio ita sit abiecta, ut eam aspicere nemo velit. Carbonem in summis oratoribus habitum scio; sed cum in ceteris rebus, tum in dicendo, semper, quo nihil est melius, id laudari, qualecunque est, solet. Dico idem de Gracchis; etsi de iis ea sunt a te dicta, quibus ego assentior. Omitto ceteros; venio ad eos, in quibus iam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audivi sine controversia magnos oratores, Crassum et Antonium. De horum laudibus tibi prorsus assentior; sed tamen non isto modo, ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse. Haec germana ironia est. Cur ita sentiam, non dicam, ne me tibi assentari putes. Omitto igitur, quae de iis ipsis, quae de Cotta, quae de Sulpicio, quae modo de Coelio dixisti. Ii enim fue-

eius quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent?

Paulum hic tibi assentior) Abest paulum Gu. 1. At in Gu. 2, paululum.

Quo nihil est melius, id laudari) Gu. 1, 2, *quoniam nihil est melius, id laudare*. Ald. *cum nihil est melius, id laudari*.

De horum laudibus tibi prorsus assentior; sed tamen non isto modo, ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse) Laborat constructio. Fortasse optimum fuerit inter *sic* et *suasionem* pronomen *tu* delere: *sed tamen non* (assentior,) *isto modo, ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse*.

Ii enim) Gu. 1, 2, *hi enim*, probante Heusingero.

runt certe oratores; quanti autem, et quales, tu videris. Nam illud minus curo, quod congessisti operarios omnes; ut mihi videantur mori voluisse nonnulli, ut a te in oratorum numerum referrentur.

87. Haec quum ille dixisset, Longi sermonis initium pepulisti, inquam, Attice, remque commovisti, nova disputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. Volvendi enim sunt libri cum aliorum, tum in primis Catonis. Intelliges, nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. Nam de Crassi oratione sic existimo, ipsum fortasse melius potuisse scribere; alium arbitror neminem. Nec in hoc ironiam duxeris esse, quod eam orationem mihi magistram fuisse dixerim. Nam etsi tu melius existimare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate, tamen, adolescentes quid in latinis potius imitaremur, non habebamus. Quod autem plures a nobis nominati sunt, eo pertinuit (ut paulo ante dixi), quod intelligi volui, in eo, cuius omnes cupidissimi essent, quam pauci digni nomine evaderent. Quare εἴρωνα me, ne si Africanus quidem fuit (ut ait in historia sua C. Fannius), existimari velim.

Vt voles, inquit Atticus. Ego enim non alienum a te putabam, quod et in Africano fuisset, et in Socrate.

Pepulisti) Manut. Lambin. *detulisti*. Sed recte Victor. corrigendum censuit *pepulisti*. Gesnerus in thes. L. L. v. *pello* putabat, metaphoram sumtam esse a fidibus, ut dicatur *lyram pellere*. Sed haec ratio non satis quadrat. Aliud esset, si inveniretur, *carmen pellere*, s. *modos pellere*. Itaque manet insolens huius verbi usus; quod si non placeat, aptissimum fuerit *intulisti*.

Duxeris esse) Sic Gu. 2 melius, quam ut vulgo, *dixeris*, quia statim sequitur *dixerim*.

* *Alium arbitror neminem*) Vulg. *alium*, *ut arbitror*, *neminem*, in quo me male habet hoc, quod Cicero scripsisset: *existimo alium*, *ut arbitror*, *neminem melius potuisse scribere*; quam compositio *existimo*, *ut arbitror*, valde esset inepta. Itaque particulam *ut* delevi.

Quod et in Africano) Gu. 2, quod in Africano.

Tum Brutus, De isto postea; sed tu, inquit me intuens, orationes nobis veteres explicabis?

Vero, inquam, Brute; sed in Cumano, aut in Tusculano, aliquando, si modo licebit; quoniam utroque in loco vicini sumus. Sed iam ad id, unde degressi sumus, revertamur.

88. Hortensius igitur, quum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores causas adhiberi coeptus est. Quamquam inciderat in Cottae et Sulpicii aetatem, qui annis decem maiores, excellente tum Crasso et Antonio, deinde Philippo, post Iulio, cum iis ipsis dicendi gloria comparabatur. Pri-

Vero) Lambin ego vero Sed vulgatam recte defendit Geuterus Sic enim vero saepius ap. Ciceronem ponitur, ut Tusc. Qu lib. II, c. 21, de Divin. lib. I, c. 45

* *Si modo licebit*) scil si modo per tempus otium, aut per negotia licebit Cumanum nostrum, ut Tusculanum invisere. Frustra igitur Ernestius putabat legendum, *libebit*

* *Quoniam utroque loco vicini sumus*) Nimirum Brutus quoque haud procul a Tusculano et Cumis villas habebat.

* *Hortensius igitur etc.*) Hic fuit eques Romanus, ut ait Asconius. Quaestor Verr III et V fuisse dicitur. Aedilis Verr III significatur, et ab Asconio vocatur, et sane fuit Octavio et Cotta coss. Praetor Verr II cognoscitur, et ab Asconio in III nominatur Aedilis, vel Praetor, quum sexquimodios populo Romano in capita descripsisset, gratissimum omnibus fecit Verr V. Consul fuit cum C. Caecilio Metello Cretico, ut Asconius scribit. Fuit etiam augur, et Ciceronem in augurum collegium cooptavit, ut initio diximus; unde Cicero epist 8 lib. III Famil. suum collegam vocat et familiarem, quod essent coniunctissimi omnium consiliorum societate. Cicero illum saepe laudavit, ut hoc lib. III de Oratore, et in Orat. pro Milone, ubi vocat illum lumen et ornamentum Reip. et de nomine ipsius librum, in quo cohortatus est ad philosophiae studium, *Hortensium* inscripsit, ut ostendit lib. I de Fin. Tuscul II et III, et lib. II de Divin. Atque in hisquidem omnibus videtur Cicero βαθύνειν, qua de loquitur epist. 6 lib. IV ad Attic. servasse; quum revera se ab Hortensio scelestissime et insidiosissime tractatum esse sentiret, ut epist 3 lib. I ad Q. Frat. et epist 9 lib. III ad Attic. declarat. Dives admodum videtur fuisse, qui Tusculanum haberet, ut Plin. ostendit lib XXXV, cap 21, ad Baulos, villam, ut Cicero lib II Acad Quaest et Varro lib. III, c. 17 de L. L. testantur; quaedam ad portum Flumentanum, epist. 3 lib. VII ad Attic. villam in Laurenti agro cum sylva magna, ut Varro lib III, cap 13 de R. R. testis est; et domum tam potentem, ut potest L. Lentulus eum sibi in bella ce-

mum memoria tanta, quantam in ullo cognovisse me arbitror, ut, quae secum commeotatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. Hoc adiumento ille tanta sic utebatur, ut sua et commentata, et scripta, et, nullo referente, omnia adversariorum dicta meminisset. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. Saepissime autem eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minime vulgare genus dicendi; duas quidem res, quas nemo alius; partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones, memor et quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset. Erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus; eaque erat quum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consequutus. Rem complectebatur memoriter, dividebat acute, nec praetermittebat fere quidquam, quod esset in causa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum. Vox canora et suavis; motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis.

89. Hoc igitur florescente, Crassus est mortuus, Cotta pulsus, iudicia intermissa bello, nos in forum

vili despondent, epist. 6 lib. XI ad Attic. et super decem millia eadem heredi reliquit, ut Plin lib. XIV, cap. 14 scribit. Fuit certe sumptuosus ita, ut, quod Dion. lib. XXXIX scribit, consulibus legem sumptuariam ferre volentibus sit adversatus. Male audivit, et quod iudices corrumperet, ut Cicero in Verrinis significat et Asconius interpretatur, et quod munera a clientibus acciperet. Solitus erat gloriari, quod nunquam bello civili interfuisset, ut epist. 26 lib. II Famil. scriptum videbis. Corr.

Quantam in nullo) Sic recte Lam. Vulg. *quantam in ullo*.

* *Et collectiones*) Ed. Venet. Med. *coniunctiones*. Cod. Pal. et Cuiac. *conlectiones*. Recte autem vulgatum defendit Ernestius; intelligendae enim sunt summae dictorum vel a nobis vel ab aliis. Hanc collectionem Cicero de Inv. I, 52, et Partit. Or. c. 17 dixit *enumerationem*, per quam res disperse et diffuse dictae unum in locum coguntur et reminiscendi causa unum sub aspectum subiciuntur.

venimus. Erat Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum; Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius; exercebatur una lege iudicium Varia, ceteris propter bellum intermissis; cui frequentes aderant, quamquam pro se ipsi dicebant, oratores, non illi quidem principes, L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen, teste diserto uterque Philippo; cuius in testimonio contentio et vim accusatoris habebat, et copiam.

Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieque fere a nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum C. Curio; quamquam is quidem silebat, ut erat semel a concione universa relictus. Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, sed tamen non infans; diserti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius; et ii quidem habitabant in rostris. C. etiam Iulius, aedilis curulis, quotidie fere accuratas conciones habebat; sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta

Cui frequens aderam, quum pro se ipsi dicebant) Ita correxi vulgatam lectionem, *cui frequentes aderant, quamquam pro se ipsi dicebant*, qua in lectione hoc est ineptum, quod rei in iudicio frequentes dicuntur affuisse, quasi hoc opus fuisset monere; nec, quid sibi hic velit particula *quamquam*, intelligitur. (Lambinus habet, *tantum pro se ipsi dicebant*). Emendationem nostram confirmat vestigium scripturae Gu. 1, 2, in quibus est *qui frequens aderam*. Verum vidit Schneiderus in epist. ad Langerum, nisi quod non opus erat *frequens* in *frequenter* mutare, nec servari ab eo debebat *quamquam*.

* *Teste diserto uterque Philippo; cuius in testimonio contentio et vim accusatoris habebat, et copiam*) Hunc quoque locum, in quo sine causa haesit Ernestius, bene explicavit Schneiderus. Namirum quum Philippus testimonium diceret pro Memmio et Pompeio (in quo dicendo saepe eloquentiae exprimendae locum fuisse intelligitur ex Orat. II, c. 12) ea fuit huius oratoris in hoc testimonio dicendo vis et copia, ut non testis, sed accusator esse videretur. Nempe acriter et copiose invectus est in calumniatores Memmii et Pompeii. Quae quum ita sint, nihil moramur Purgoldi commentum, qui legendum opinabatur *cuius ille testimonio*, quasi Ciceroni, qui ipse Memmium dicentem audierat, e Philippi testimonio fuisset cognoscendum, qualis ille orator fuisset.

* *Primus dolor*) Scil. propter spem

quum est expulsus. Reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebar, quotidieque et scribens, et legens, et commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non eram. Iam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat. Ego autem, iuris civilis studio, multum operae dabam Q. Scaevolae, P. filio; qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla consule et Pompeio fuit. Tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. Eodemque tempore, quum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset, Romamque venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus; in quo hoc etiam commorabar attentius, quod, etsi re-

a Cottae eloquentia fructum capiendi delusam

¹ *Oratoriis tamen exercitationibus contentus non eram*) In Gu. 1, 2 est *oratoriis tantum*, ut in plerisque edd. Sed verum est *tamen*, quod habet Corradus. Significat enim hoc: etsi quotidie et scribebam, et legebam, et commentabar (declamitans), his tamen oratoriis exercitationibus contentus non eram, sed etiam philosophiae aliisque artibus, ut iuris civilis studio, operam dabam. Ceterum recte Gronovius *oratoriis* restituit ea edd. veli pro *oratoria*, quod immigravit in edd. Gothofr. aliasque.

² *In quo* (*philosophiae studio*) *hoc etiam commorabar attentius, quod, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur*) Ernestius, qui sensum h. l. bene perspexit: manifestum enim est, inquit, Ciceronem duas causas studii commemorare, alteram e natura philosophiae, alteram a temporum ratione, quibus eloquentiae nullus post usus futurus videbatur; idem tamen in forma et structura orationis haesit. Sed facile expediri potest sic, ut breviloquentia quadam usus sit Cicero, idem enim est ac si dixisset: *quod, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen etiam hoc accedebat, quod sublata iam esse — videbatur*. Itaque nulla hic est particularum *etsi* ac *tamen* correctione, quam ille tentabat, opus. Transpositione, si opus esset, facile posset hic locus ita sublevari: *in quo, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen hoc etiam commorabar attentius, quod sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur*. Heusingerus *rerum ipsarum* explicabat *forensium*, quod vir optimus, m

rum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. Occiderat Sulpicius illo anno, tresque proximo trium aetatum oratores erant crudelissime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius. Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedimus operam, et actori summo causarum, et magistro.

90. Haec etsi videntur esse a proposita ratione diversa, tamen idcirco a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere, quoniam voluisti, Brute, possis (nam Attico haec nota sunt), et videre, quemadmodum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti. Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu, aut discessu, aut fuga (nam aberant etiam adolescentes M. Crassus et Lentuli duo), primas in causis agebat Hortensius; magis magisque quotidie probabatur Antistius; Piso saepe dicebat; minus saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni, noctes et dies, in omnium doctrinarum meditatione versabar. Eram cum Stoico Diodoto, qui quum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus.

iterum suspensa, suapte sponte fuerat reprobaturus

Sed oratorum) Sic Gu. 1, 2. Verba *nam aberant* — *duo* parenthesin facere vidit Gronovius.

* *Magis magisque quotidie probabatur Antistius*) Sic interpunxit primus I. Gronovius, quum edd. vett. referant ad Hortensium, in qua interpunctione *magis* delendum sit, si *Antistius*. Est idem qui c. 63 memoratur, ut ex rebus ibi traditis intelligitur, et quum ibi pariter traditur, eum paulatim coepisse placere, Gronovii rationem probandam puto. Ern.

Eram cum Diodoto Stoico, qui quum habitavisset apud me mecumque vixisset) Olim legebatur, *apud me quumque vixisset*, ed. Rom. autem *cum Quinto vixisset*. Recte autem Ruhnk. comparato loco Cic. Acad. Quaest. IV, 36 *Diodoto quid faciam Stoico? quem a puero audivi, qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me, quem et admiror et diligo*, lectionem emendavit.

* *Est domi meae mortuus*) Admodum scil. senex, multos etiam annos caecus. Cf. Cic. Tusc. Dispp. lib. V, 39.

A quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar; quae quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est; sine qua etiam tu, Brute, iudicavisti, te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse putant, consequi non posse. Huic ego doctori, et eius artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) saepe cum M. Pisone, et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam latine, sed graece saepius: vel quod graeca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter latine dicendi afferebat; vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi graece dicerem, neque corrigi possem, neque doceri. Tumultus interim pro recuperanda republica, et crudelis interitus oratorum trium, Scaevolae, Carbonis, Antistii; reditus Cottae, Curionis, Crassi, Lentulorum, Pompeii; leges et iudicia constituta; recuperata respublica; ex numero autem oratorum Pomponius, Censorinus, Murena sublati. Tum primum nos ad causas, et privatas et publicas, adire coepimus, non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus. Eodem tempore Moloni dedimus operam; dictatore enim Sulla, legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat. Itaque prima causa publica, pro Sex. Roscio dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae

Loquuntur) Gu. 1, *loquimur*.

Afferebat) Frustra Ernestius corrigendum putabat *afferret*, utrumque quia sequatur *dicerem* — *possem*. Sed in altero illo membro alia est constructionis ratio. In *afferebat* est assevèratio nuda et simplex. At quum deinde dicit: *quod nisi graece dicerem, neque corrigi possem*, hoc idem est, ac *nisi graece dixissem, neque corrigi potuissem*.

Sublati) Gu. 1, *sublati sunt*.

non digna nostro patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas non minus diligenter elaboratas, et tanquam elucubratas afferebamus.

91. Nunc, quoniam totum me, non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni, videris velle cognoscere, complectar nonnulla etiam, quae fortasse videantur minus necessaria. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum; qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis, et totius corporis contentione dicebam. Itaque quum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem, quodvis potius periculum mihi adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi. Sed, quum censerem, remissione et moderatione vocis, et commutato genere dicendi, me et periculum vitare posse, et temperatius dicere: ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque quum essem biennium versatus in causis, et iam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. Quum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fui, studiumque philosophiae nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavi. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam. Post a me Asia tota peragrata est,

Si accedit) Sic Gu 1, 2, *si accedat*.

Discedendum) Gu 1, *discendum*. Gu 2, *decedendum*. Ernesti conj *decescendum*.

cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis ludentibus, quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio, tota Asia, illis temporibus, disertissimus, et si nihil habere molestiarum, nec ineptiarum, Atticorum est: hic orator in illis numerari recte potest. Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes. Erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramytenus Xenocles. Hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus, Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romae audiveram, Molonem, applicavi, cum actorem in veris causis, scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis, et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit), ut nimis redundantes nos, et superfluentes iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret. Ita recepi me biennio post, non modo exercitatior, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis reciderat, et quasi referverat oratio; lateribusque vires, et corpori mediocris habitus accesserat.

92. Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius: quorum alter remissus, et lenis, et peopriis verbis comprehen-

Et superfluentes) Gu. 1, 2, *et supra fluentes*. Sed fortasse et *superfluentes* glossema est vocabuli *redundantes*, et Cicero sic potius scripserat, *ut nimis redundantes nos iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret*. Insuavis saltem est *superfluentes* et *diffluentes* sic in vicinia posit.

Biennio post) A. V. C. 676.

Nam et contentio nimia vocis reciderat, et quasi deferverat oratio) Sic recte Lambinus. Vulgo: *nam et contentio vocis nimia reciderat, et quasi referverat oratio*. Sic enim Epp. Var. *Marcelli impetus resederunt*, et Orat. 30, *quae nequaquam satis defervuisse post aliquanto sentire coepimus*. Ac *deferverat* iam habet Aldina.

Et corpori) Sic Gu. 1, quod Ernestius suopte ingenio repertum invexit pro vulg. *corporis*.

dens solute et facile sententiam; alter ornatus, acer, et non talis, qualem tu eum, Brute, iam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior, et aetate coniunctior. Etenim videram, in iisdem causis, ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, quum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. Acrem enim oratorem, incensum, et agentem, et canorum, concursus hominum forique strepitus desiderat. Vnum igitur annum, quum redissemus ex Asia, causas nobiles egimus, quum quaestoram nos, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. Interim me quaestorem Siciliensis excepit annus; Cotta ex consulatu est profectus in Galliam; princeps et erat et habebatur Hortensius. Quum autem anno post e Sicilia me recepissem, iam videbatur illud in me, quidquid esset, esse perfectum, et habere maturitatem quandam suam. Nimis multa videor de me, ipse praesertim; sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longe absum, sed ut laborem et industriam. Quum

* *Dicendi ardore*) H. e. commotiore genere dicendi. Sic Orat. c. 30. *non vero hoc erat unus ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus.*

* *Videram*) Nempe, antequam in Asiam profectus essem.

* *Pro Cn. Dolabella consulari*) Qui cos. fuerat cum M. Tullio Decula a. 672, post accusatus a C. I. Caesare repetundarum a. 674 ab Hortensioque sia defensus, ut Caesar eum sibi erip ab eo quereretur. Sueton. Caesar. c. 3.

* *Acrem*) Adversarium fortiter me-gentem, *incensum*, vehementiore animi commotione ardentem, ut iudices quoque inflammantem, *agentem*, exilio at gestu vividum, *canorum*, voce magna et clara utentem.

Vnum igitur annum) Nempe A. V. C. 677.

* *Causas nobiles egimus*) Vt illam pro Q. Roscio Comoedo.

* *Quaestorem*) H. e. urbanum A. 677, quum ex quaestura eum excepit Siciliensis annus 678, in Sicilia enim quaestor fuit Lilybaetanus praetore Sex. Peducaeo.

Anno post) A. V. C. 679.

igitur essem in plurimis causis, et in principibus patronis, quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni designatus aedilis cum designato consule Hortensio.

93. Sed quoniam omnis hic sermo noster non solum enumerationem oratoriam, verum etiam praecepta quaedam desiderat; quid tanquam notandum et animadvertendum sit in Hortensio, breviter licet dicere. Nam is post consulatum (credo quod videret, ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent), summum illud suum studium remisit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Primus et secundus annus, et tertius tantum quasi de picturae veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens posset cognoscere. Longius autem procedens, quum in ceteris eloquentiae partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhaerescens, sui dissimilior videbatur fieri quotidie. Nos autem non desistebamus, quum omni genere exercitationis, tum maxime stilo, nostrum illud, quod erat, augere, quantumcunque erat. Atque ut multa omittam, in hoc spatio et in his post aedilitatem annis, et praetor primus, et

* *In patrocinio Siciliensi*) Quo scil. A. V. C 683 nomine Siculorum Verrem repetundarum accusavit.

* *Designatus aedilis cum designato consule Hortensio*) Recte designatus et designato. Nam anno sequente A. V. C 684, Hortensius consulatum, Cicero aedilitatem gessit.

Enumerationem oratoriam) Optime sic Lambinus. Nam altera lectio, quam plurimi sequuntur, *enumerationem oratorum* significaret ἀνακεφαλαίωσιν ῥητορικήν, cui hic non est locus.

Primus et secundus annus, et tertius) A. V. C. 685, 686, 687.

Quum in ceteris) Bene sic Lamb. Vulg. *et in ceteris*. Gu. 1, 2, *ut et ceteris*.

Et in his) Ita Riv. Manut. Lambin. Vulg. *et in iis*.

incredibili populi voluntate sum factus. Nam cum propter assiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus animos hominum ad me dicendi novitate converteram. Nihil de me dicam; dicam de ceteris. Quorum nemo erat, qui videretur exquisitius, quam vulgus hominum, studuisse literis, quibus fons perfectae eloquentiae continetur; nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum; nemo, qui ius civile didicisset, rem ad privatas causas, et ad oratoris prudentiam, maxime necessariam; nemo, qui memoriam rerum romanarum teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret: nemo, qui breviter arguteque illuso adversario laxaret iudicum animos, atque a severitate paulisper ad hilaritatem risumque traduceret; nemo, qui dilatare posset, atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis orationem traducere; nemo, qui delectandi gratia degredi parumper a causa, nemo, qui ad iracundiam magnopere iudicem, nemo, qui ad fletum posset adducere; nemo qui animum eius (quod unum est oratoris maxima proprium), quocunque res postularet, impellere.

94. Itaque, quum iam paene evanuisset Hortensius,

Praetor primus) Gessit eum praeturam A. V. C. 687.

Populi voluntate) Recte sic Ernestius pro vulg. *populari voluntate*

Ex qua — ab inferis) Valde placet Ernestii coniectura *ex qua — quasi ab inferis*.

Orationem traducere) Vix est credibile Ciceronem tria membra consequentia sic finisse *traduceret*, — *traducere* — *adducere*. Itaque hic malim *orationem revocare*, hoc enim et verbo *referre* in eadem re usquam utitur, ut de Orat II, 31. Eadem etiam verbum *revolvere* sic ponitur. Ceterum in Gu. 1 non est *traducere*, sed *traduceret*; qui modus placuit Heusingero, cur enim Cicero repeteret *posset*, nisi mutasset constructionem?

et ego anno meo, sexto autem post illum consulem, consul factus essem, revocare se ad industriam coepit; ne, quum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maximis causis, quum ego mihi illum, sibi me ille anteferret, coniunctissime versati sumus; consulatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude coniunxerat. Maxime vero perspecta est utriusque nostrum exercitatio paulo ante, quam perterritum armis hoc studium, Brute, nostrum conticuit subito et obmutuit, quum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi veniebamus quotidie. Quibus quidem causis tu etiam, Brute, praesto fuisti, compluresque et nobiscum, et solus egisti: ut, qui non satis diu vixerit Hortensius, tamen hunc cursum confecerit. Annis ante decem causas agere coepit, quam tu es natus. Idem quarto et sexagesimo anno, perpaucis ante mortem diebus, una tecum socerum tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in utroque,

* *Anno meo*) Anno aetatis 43, qui erat lege Villia annalis consulatui constitutus.

Sexto autem post illum consulem) A. V. C. 690.

Revocare se) Abest se Gu. 1.

* *Duodecim*) Tot enim sunt anni a Ciceronis consulatu A. V. 690 ad Hortensii mortem A. V. C. 703.

Quum ego mihi illum) Gu. 2 omissum ego.

Quum lege Pompeia) Lege, quam Cn. Pompeius Magnus in tertio consulatu tulit, et primus adstrinxit imposuitque velut frenos eloquentiae, ut Tacitus in dial. de Orat. loquitur, quum prius horas sex ad dicendum lex videtur in Orat. pro Flacco dedisse. Nemo certe intra paucissimas horas perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et numerus neque dierum neque patronorum cavebatur, ut Tacitus in eodem dial. affirmat. Ternae vero tum horae datae sunt defensori, nam duae tantum dabantur accusatori. CORRAD.

* *Annis ante decem*) Nempe A. V. C. 658, Crasso et Scaevola coss.

* *Quam tu es natus*) Brutus igitur natus erat A. V. C. 668, et quum hoc habebatur colloquium, annum agebat 39.

orationes utriusque etiam posteris nostris indicabunt.

95. Sed si quaerimus, cur adolescens magis floruerit dicendo, quam senior Hortensius, causas reperiemus verissimas duas. Primum, quod genus erat orationis Asiaticum, adolescentiae magis concessum, quam senectuti. Genera autem Asiaticae dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis; quali in historia Timaeus, in dicendo autem, pueris nobis, Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles, frater eius, fuit: quorum utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum; quali est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum. in quo fuit Aeschylus Cnidius, et meus aequalis Milesius Aeschines. In iis erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. Haec autem (ut dixi) genera dicendi aptiora sunt adolescentibus; in senibus gravitatem non habent. Itaque Hortensius utroque genere florens, clamores faciebat adolescens. Habebat enim et Meneclium illud studium crebrarum concinnarumque sententiarum; in quibus, ut in illo Graeco, sic in hoc, erant quaedam magis venustae dulcesque sententiae, quam aut necessariae, aut interdum utiles. Et erat oratio quum incitata et vibrans, tum etiam accurata et polita. Non probabantur haec senibus (saepe videbam cum irridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Phi-

Primum) Sic Gu. 1, 2, idque defendit Heusingerus, quum Ernestius *primam* vellet reponere. Conf. illius adnotationes ad Cic. de Offic. I, 28, 8 et II, 5, 8. Ceterum prima causa, cur adolescens magis floruerit dicendo, quam senior Hortensius, explicatur usque ad verba *remanebat idem, nec decebat idem* (p. 182, vers. 9). Deinde altera causa ponitur in eo, quod Hortensius exercitationem studiumque remiserit c. 95 extr.

lippum), sed mirabantur adolescentes, multitudo movebatur. Erat excellens iudicio vulgi, et facile primas tenebat adolescens. Etsi enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum esse aetati videbatur, et certe, quod et ingenii quaedam forma lucebat, et exercitatione perfecta erat, verborumque adstricta comprehensio, summam hominum admirationem excitabat. Sed quum iam honores, et illa senior auctoritas gravius quiddam requireret, remanebat idem, nec decebat idem. Quodque exercitationem studiumque dimiserat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat; sed ea vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat. Hoc tibi ille, Brute, minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio, et florentem aetate audire potuisses.

96. Tum Brutus, Ego vero, inquit, et ista, quae dicis, video qualia sint, et Hortensium magnum oratorem semper putavi, maximeque probavi pro Messalla dicentem, quum tu abfuisti.

Erat excellens iudicio vulgi, et facile, primas tenebat adolescens) Haec verba hic interpolata esse arbitror. Nam priora *erat — vulgi* iam mecant in verbis *multitudo movebatur*, et quae sequuntur *facile — adolescens* paulo ante iam sic expressa erant *clamores faciebat adolescens*. Praeterea hec illa flumen orationis et perpetuitatem turbant. Nam statim post *mirabantur adolescentes multitudo movebatur*, aptissime sequuntur ista *etsi enim genus illud dicendi* etc.

Et certe, quod et ingenii quaedam forma lucebat, et exercitatione perfecta erat, verborumque adstricta comprehensio) Haec aptiora essent, ut arbitror, si sic legerentur: *et certe, quod ingenii quaedam forma lucebat, exercitatione perfecta, eratque verborum adstricta comprehensio.* Huic coniecturae favent codd. Guelferbytani. In 1 et 2 enim omittitur *et* ante *ingenii*; et in Gu. 1 legitur *verborum eratque astricta.*

Florentem aetate) Ex Ernestii emendatione. Vulg. *florentem facultate*.

* *Pro Messala dicentem*) Pro M. Vellero Messala, qui Cos. fuerat cum Cn. Domitio Calvino A. V. C. 700. qui quum esset ambitus accusatus, Hortensio defendente absolutus est A. V. C. 702.

Quum tu abfuisti) Nempe proconsul in Cilicia.

Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, scripta verbis oratio. Ergo ille a Crasso consule et Scaevola usque ad Paullum et Marcellum consules floruit; nos in eodem cursu fuimus a Sulla dictatore ad eosdem fere consules. Sic Q. Hortensii vox exstincta fato suo est, nostra publico.

Melius, quaeso, ominare, inquit Brutus.

Sit sane ut vis, inquam; et id non tam mea causa, quam tua: sed fortunatus illius exitus, qui ea non viderit, quum fierent, quae providit futura. Saepe enim inter nos impendentes casus deflevimus, quum belli civilis causas, in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus. Sed illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis, quae consequutae sunt, morte vindicasse.

97. Nos autem, Brute, quoniam post Hortensii, clarissimi oratoris, mortem, orbae eloquentiae quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam, septam liberali custodia; et hos ignotos atque impudentes procos repudiemus, tueamurque, ut adultam virginem, caste, et ab amatorum impetu, quantum possumus, prohibeamus. Equidem, etsi doleo, me in vitam paulo serius, tanquam in viam, ingressum, priusquam con-

* *Usque ad Paullum et Marcellum consules*) Nimirum ut supra c. 63 memoravit. L. Paullo C. Marcello coss. (A. V. C. 703) mortuus est Hortensius, et in patronorum numero annos quatuor et quadraginta fuit.

* *Ad eosdem fere consules*) L. Paullum et C. Marcellum. Nam paucis mensibus ante eorum consulatum Cicero dicere cessavit in Ciliciam profectus Ser. Sulpicio et M. Marcello coss. lib. V ad Att. ep. 21. Unde reversus incidit in ipsam flammam civilis discordiae vel potius belli. Variar. Epp. XVI, 10. Corrad.

Et ab amatorum impetu) Gu. 1, 2, *et ab armatorum impetu*, ut vulgo. Id Heusingerus traxit ad *studium armis perterritum* c. 94. Sed praestat sine dubio lectio Meout. et Lambiniana, *ab amatorum impetu*, quod respondet verbis paulo ante positis, *impudentes procos repudiemus*.

fectum iter sit, in hanc rempublicae noctem incidisse: tamen ea consolatione sustentor, quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissimis literis: quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quae de me, etiam tacente, ipsa loquerentur, mortuoque me, viverent; quae, si recte esset, salute reipublicae, sin secus, interitu ipso, testimonium meorum de republica consiliorum darent. Sed in te intuens, Brute, doleo, cuius in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem, transversa incurrit misera fortuna reipublicae. Hic me dolor angit, haec me cura sollicitat, et hunc mecum, socium eiusdem et amoris et iudicii. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus: tibi optamus eam rempublicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae

Quae de me, etiam tacente, ipsa loquerentur, mortuoque me, viverent) Ita ordinanda esse haec verba bene monuit Ernestius; vulgo *quae de me etiam tacente me, ipsa loquerentur, mortuoque viverent.*

* *Cuius in adolescentiam*) Hoc de Bruto dicitur more Romano adolescentiae fines definiendi. Nam Brutus initio belli civilis erat 36 annos natus.

Haec me cura sollicitat) Melius Gu. 1, 2 *haec cura sollicitat*, omissa pronominis me repetitione.

Decet te) Gu. 1, *te decet.*

Consit(esse)) Ravius malebat exsti-tisse. Verum esse vulgatum vidit Ernestius.

Duorum generum amplissimorum) Duarum gentium, Iuniae, ex qua natum esse Brutum constat, et Serviliae, ex qua nata erat mater eius Servilia. Vide Philipp. II, cap. 11 ita scripsit: *Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti* (qui Tarquinium regem eiecerat) *imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalae* (C. Servilii Ahalae qui Sp. Maelium regnum affectantem interemerat). Et Philipp. X, c. 6: *Brutus noster quum sua excellentissima virtute Reip. natus tum fato quodam paterni maternique generis et nominis.* Corrad.

laude iuuisses. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse republica careas, et illa te. Tu tamen (etsi cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis) contine te in tuis perennibus studiis, et effice id, quod iam propemodum, vel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. Nec enim decet te, ornatum uberrimis artibus, quas quum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quae domus est semper habito doctrinae, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus Graeciae? Quid illa vetus Academia, atque eius heres Aristus, hospes et familiaris meus, si quidem similes maioris partis oratorum futuri sumus? Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens: cui, quemadmodum accepimus, et Cato cedebat senior. Et qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt, Lepidus postea, deinde Carbo: nam Gracchi in concionibus multo faciliore et liberiore genere dicendi; quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit: Antonius, Crassus, post Cotta, Sulpicius, Hortensius: nihil dico amplius: tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, * si operosa est concursatio magis opportunorum, * * *

Operosa est) Gu. r, *operosa sit*.
Magis opportunorum * * *) Etsi pauca hic intercidisse credibile est, tamen quae fuerit eorum, quae desiderantur, sententia, ad liquidum perduci non potest. Nec satis constat, utrum genuina sint ultima verba an corrupta.

M. TVLLII CICERONIS

AD

MARCVM BRVTVM ORATOR.

SVMMARIVM

Quum saepius Cicero a M. Bruto rogatus esset, ut quale ei videretur eloquentiae genus, cui nihil addi posset, exponeret, hoc libro id quod ille rogaverat efficiendum suscepit, quamquam, ut in prooemio dicit, verendum erat, ne perfecti oratoris imagine retardaret studia multorum, qui desperatione debilitati experiri nollent, quod se assequi posse diffiderent, ac ne in summo oratore fingendo talem informaret, qualis fortasse nemo fuisset. Sed utramque dubitationem sic tollit, ut doceat, primum nec quod sit optimum in artibus desperandum esse, et in praestantibus rebus magna esse ea quae sint optimis proxima; deinde hic non quaeri, quis fuerit orator, sed quid sit illud in arte dicendi, quo nihil possit esse praestantius. Et quoniam haec ingressio videri poterat e media philosophia repetita, fatetur, se oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex philosophiae spatiis extitisse, omninoque sine philosophia negat effici posse, quem quaerat, eloquentem. cap. 1–5.

Summa autem totius disputationis huc redit, ut doceatur oratorem perfectum eum esse, qui trium illorum generum dicendi vim consequutus sit, ut parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere posit. Peraeque autem in his omnibus floruisse perpaucos, multosque fuisse, qui Atticum dicendi genus in tenuitate et ieiunitate quadam ponerent, quum potius Attice dicere nihil aliud sit, quam in omni genere dicendi id quod insolens aut ineptum sit, vitare. cap. 6–9.

Praemissa igitur brevi generis epidictici descriptione cum Isocratis laudibus coniuncta (cap. 11, 12), *tria potissimum videnda oratori docet, quid, et quo quidque loco, et quomodo dicat. Ac duo prima breviter perstringit* cap. 13–15. *De modo autem dicendi fusius disserit, eumque actione* cap. 17, 18, *et elocutione contineri docet. Hanc elocutionem oratoris primum seiungit ab oratione philosophorum, sophistarum* (cap. 19), *historicorum et poëtarum* (cap. 20); *deinde eloquentem esse docet eum, qui in foro caussisque civilibus ita dicat, ut probet, ut delectet, ut flectat. Huius eloquentiae fundamentum esse sapientiam, sine qua orator quid deceat in sententiis, et in verbis, quo nihil sit maius ac difficilius, intelligere non possit*, cap. 21, 22. *Tum trium illorum dicendi generum notam et formulam constituit, et quomodo orator in genere tenui* cap. 23–26, *in medio* cap. 27, *et in gravi* cap. 28 *decore versetur, exponit. Hanc autem varietatem saepe in eadem oratione temperandam esse docet, quidque ipse in ea re assequutus sit, enarrat* cap. 29–31. *Neque vero perfecte eloquentis esse eam tantum facultatem habere, quae sit eius propria, sed potius eum dialecticis instructum omniumque philosophiae partium gnarum esse debere, ac ne iuris quidem civilis et historiae ignarum*, cap. 32–34.

Sic instructum venturum ad causas, quarum generibus cognitis semper ad id quod deceat accommodaturum orationem, inprimis autem cum in universi generis quaestione, tum in amplificatione recte tractanda versaturum, cap. 35–37. *Duo autem esse, quae bene tractata admirabilem eloquentiam faciant: alterum quod Graeci* ἦθος *vocent, alterum* πάθος, cap. 38. *Praeterea magnum orationi ornamentum afferre figuras verborum et sententiarum*, cap. 39, 40.

Sed haec nisi collocata et structa satis placere non posse. Qua de re dicturus primum non indignum esse sua persona ista docere demonstrat. Deinde recta collocatio verborum quae sit ostendit; in qua primum esse curandum, ut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis, eaque sint quam suavissimis vocibus, cap. 44–48, *deinde ut forma ipsa concinnitasque verborum orbem suum conficiat* cap. 49, *denique ut comprehensio h. e. periodus apte et numerose cadat*, cap. 50 *sqq. Hic primum universe disputatur adversus eos, qui numerum orationum reprehendebant*, cap. 50, 51. *Tum de numeri oratorii origine* cap. 52, *causa* 53, *natura* 54, *et*

usa 61 sqq disseritur. Ac natura quidem eius fusius explicatur cap. 54-60, ubi primum demonstratur esse in oratione numerum quemdam, cap. 55, deinde hi numeri poeticine sint, an ex alio quodam genere, quaeritur cap. 56; tum qui maxime cadant in orationem aptam numeri cap. 57 deinde qui numeri cum quibus miscendi sint, et quibus generibus sint quique accommodatissimi, cap. 58 denique totone in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atque in extremis, cap. 59. Postremo illa capita, quae pertinent ad naturam numeri oratorii intelligendam, breviter repetuntur, cap 60 Vsus autem numeri oratorii sic explicatur, ut primum in caussis forensibus non semper, ut in epidictico genere, eo utendum esse doceatur, cap 62; deinde, quo loco sit adhibenda numerosa oratio, et quamdiu retinenda, cap. 63, tum quot modis mutentur comprehensiones et clausulae, cap 64, deinde qui numerus ex compositione et genere concinnitatis consequatur, cap 65, et quomodo partim in incisis, partim in membris eluceat, cap. 66, 67. Vltimo loco utilitas numeri oratorii exponitur. cap 68-71.

Brevis epilogus totam disputationem Bruti iudicio submittit, cap 72.

1. Vtrum difficilius aut maius esset negare tibi, saepius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi. Nam et negare ei, quem unice diligerem, cuique me carissimum esse sentirem, praesertim et iusta petenti, et praeclara cupienti, durum admodum mihi videbatur: et suscipere tantam rem, quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar esse eius, qui vereretur reprehensionem doctorum at-

Dubitavi) Hanc clausulam reprehendit Quintilianus IX, 4, 111.

Praesertim et iusta petenti, et praeclara cupienti) Infra cap. 41 et recta et honesta petenti.

Esse eius) Lamb. eius esse.

que prudentium. Quid enim est maius, quam, quum tanta sit inter oratores bonos dissimilitudo, iudicare, quae sit optima species, et quasi figura dicendi? Quod quoniam me saepius rogas, aggrediar, non tam perficiundi spe, quam experiundi voluntate. Malo enim, quum studio tuo sim obsequutus, desiderari a te prudentiam meam, quam, si id non fecerim, benevolentiam.

2. Quaeris igitur, idque iam saepius, quod eloquentiae genus probem maxime, et quale mihi videatur illud, cui nihil addi possit, quod ego summum et perfectissimum iudicem. In quo vereor, ne, si id, quod vis, effecero, eumque oratorem, quem quaeris, expressero, tardem studia multorum, qui desperatione debilitati, experiri id nolint, quod se assequi posse diffidant. Sed par est, omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt. Quodsi quem aut natura sua, aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis: teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam in poetis, non Homero soli locus est (ut de Graecis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis; nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit. Nec solum ab optimis stu-

Perficiundi) Sic Gu. 2, 3, quod probat Heusingerus, quia sequitur *experiundi*. Ita et Victor. Vulg. *perficiendi*.

Cui nihil addi possit) Gu. 3, Ed. Omnib. *quo nihil addi possit*, non male, iudice Heusingero.

* *Expressero*) Hoc non a pictura, ut Strebaeus putabat, sed ab arte statuaria ductum.

Experiri id nolint) Sic Guelf. 2. Vulg. *nolent*. Ernestius delevit *id*.

diis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se ab artibus suis removerunt, qui aut Ialysi, quem Rhodi vidimus, non potuerunt, aut Coae Veneris pulcritudinem imitari. Nec simulacro Iovis Olympii, aut Doryphori statua deterriti reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cuiusque genere laus, ut, quum summa miraremur, inferiora tamen probaremus. In oratoribus vero, Graecis quidem, admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. Ac tamen, quum esset Demosthenes, multi oratores magni et clari fuerunt, et antea fuerant, nec postea defecerunt. Quare non est, cur eorum, qui se studio eloquentiae dediderunt, spes infringatur, aut languescat industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est; et in praestantibus rebus, magna sunt ea, quae sunt optimis proxima.

3. Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quaero, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse praestantius: quod in perpetuitate dicendi non saepe, atque haud scio an nunquam, in aliqua autem parte eluceat

Deterriti) Quia paulo ante est *deterruit*, et statim iterum *deterriti*, suspicor Ciceronem hic scripsisse *depulsi*, quod melius etiam responderet verbo *se removerunt*.

Non sunt) Quia saepe post *non solum* altera negatio, sequente *ne — quidem*, omittitur, hic quoque eam omittendam censuit Ernesti.

Ialysi) Tabulae Protogenis.

Coae Veneris) Ab Apelle pictae.

Simulacro Iovis Olympii) Nobilissimo Phidiae opere.

Doryphori statua) A Polycleto fabricata.

Ac tamen) Sic Gu. 2, 3 melius, quam ut vulgo *attamen*.

Qui se studio eloquentiae dediderunt) Gu. 2, *qui studio eloquentiae se dediderunt*.

Atque haud scio an nunquam) Sic ex consuetudine Latini sermonis cum Lambino legendum. Vulgo *an unquam*, et sic etiam Gu. 2, 3.

Eluceat) Ita Gu. 2, 3, ed. Omnib. Victor. rectius quam, ut Ernestius rescripsit, *elucet*. Est enim cum aliqua dubitatione dictum.

aliquando, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulcrum, quo non pulcrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimatur: quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum et mente complectimur. Itaque et Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulcriora. Nec vero ille artifex, quum faceret Iovis formam, aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Vt igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cuius ad cogitatam speciem imitando referuntur ea, quae sub oculos ipsa cadunt: sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus. Has rerum formas appellat *ideas* ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi

Densius — rarius) Haec non adverbia, sed adiectiva esse suspicatur Gesnerus in Thes. L. L. voc. *denso*.

* *Quo non pulcrius id sit etc.*) Methodum hic Platonicam ab Aristotelea diversam sequitur Tullius. Plato via sapientiae altissimas rerum causas investigat, ideas rerum perfectissimas mente exquirit, et ab universalibus, ut aiunt, ad singularia descendit. Aristotelea via scientiae proximas rerum causas inquirit, et a singularibus ad universalia progreditur. De perfecto oratore si disserendum sit Aristotelea more, videndum quid in singulis oratoribus sit eximium, et collatis singulorum virtutibus, expromenda generalis oratoris imago. At si dicendum sit more Platonico, perfectae eloquentiae species cogitatione comprehendenda, ad quam singulos oratores dirigamus. Perst.

Complectimur) Ed. Taheb. complectitur.

* *Appellat ideas*) Idea Platonica aliud nihil est, nisi res naturalis exemplum: ut enim prudens artifex ex imagine, quam animo informavit, opus dirigit et efficit, ita Deus, cuius infinita est providentia, ex specie, quae divinae menti insidet, omnia molitur. Haec porro species est idea, quae non gignitur, sed semper est, ac ratione et intelligentia continetur. Quo propius ad illam ideam accedit opus aliquod, eo perfectius censetur. Exempli gratia, pulcritudo in corporibus est magis expressa ideae similitudo. Eiusmodi rerum ideae votum hominum animis innatae sunt,

gravissimus auctor et magister, Plato; easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri: cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu. Quidquid est igitur, de quo ratione et via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum.

4. Ac video, hanc primam ingressionem meam non ex oratoriis disputationibus ductam, sed e media philosophia repetitam, et eam quidem cum antiquam, tum subobscuram, aut reprehensionis aliquid, aut certe admirationis habituram. Nam aut mirabuntur, quid haec pertineant ad ea, quae quaerimus; quibus satisfaciet res ipsa cognita, ut non sine causa alte repetita videatur: aut reprehendent, quod inusitatas vias indagemus, tritas relinquamus. Ego autem et me saepe nova videri dicere intelligo, quum pervetera dicam, sed inaudita plerisque; et fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicunque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse. Illa enim sunt cur-

ae adventitiae, et usu acquirendae, disceptaci Platonici. Vide Platonem in Parmenide, in Timaeo, lib. X de Rep etc. Pevst.

* *Ex oratoriis*) Ita scribendum fuit, praeeuntibus Strebaeo et Gronovio. Est enim i. q. *rhetoricis*. Vulg. *ex oratoris*.

* *E media philosophia*) Mediam philosophiam dicit illam secretiorem, quia secretiora sunt ea, quae rebus in mediis latent. *Antiquam*, accipe Platonicam. *Subobscuram*, quod idearum species non cadit in sensum, sed in mentem et cogitationem. Stroe.

Antiquam — subobscuram) Strebaeus videtur legisse: *antiqua — subobscura*, ut ad *philosophiam*, non ad *ingressionem* referatur. Melius autem fortasse fuerat *et eo* (i. q. ideirco) *quidem quum antiquam tum subobscuram*. Nempe ingressio a doctrina Platonis de ideis petita, ideo poterat et antiqua et subobscura videri.

* *Et fateor, me oratorem*) Hunc locum respexit auctor de causis corr. eloqu. c. 32, et Quintil. Inst. or. XII, 2, 23.

* *Non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse*) Quintil. l. l. *M. Tullius non tantum se debere scholis rhetorum quantum Academiae spatiis frequenter testatus est.*

* *Illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum*) Cic. Tusc. Qu. II, c. 3: *Itaque mihi semper Peripateticorum Academiaeque*,

ricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum impressa sunt vestigia: sed et huius et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator est, et adiutus. Omnis enim ubertas, et quasi silva dicendi ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas; quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt. Sic eloquentia haec forensis, spreta a philosophis et repudiata, multis quidem illa adiumentis magnisque caruit; sed tamen ornata verbis atque sententiis, iactationem habuit in populo, nec paucorum iudicium reprehensionemque pertimuit. Ita et doctis eloquentia popularis, et disertis elegans doctrina defuit.

5. Positum sit igitur in primis (quod post magis intelligetur) sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem: non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adiuvet, ut palaestra histrionem. Parva enim magnis saepe rectissime conferuntur. Nam nec latius, nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere. Siquidem etiam in Phaedro Platonis hoc Periclem praestitisse ceteris dicit

consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset, quid in unoquoque re verisimile esset, inveniri, sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio. Cf de Nat. deor. II, c. 67.

* *Et exagitatus*) v. c. 'n Platone in Gorgia.

Agrestioribus Musis) Plat. Theaet. cap. 26.

* *Ut palaestra histrionem*) Histriones sunt actores fabularum, qui mitti solebant ad palaestritas. Et id Quintilianus fieri suadet, ut exercitatione palaestrae membra decentius et concinnius moverent, aptiusque gestum componerent: cuius exactores severos Athenienses fuisse constat, atque Romanos, recepta celebritate et magnificentia ludorum scenicorum. Vt igitur in scena videntes histrionem prudentiores operam palaestrae dedere, intelligunt: ita qui dicentem audiunt oratorem, sentiunt quantum disciplina et eruditione profecerit. utque plus habet histrio quam palaestrita, sic summus orator, quam philosophus ille cui popularis eloquentia deest. Fayet.

Nam nec latius) *Nam neque latius* Guelf 2, 3.

* *In Phaedro Platonis*) c. 120, p. 326 ed, Heindorf Κινδυνεύει, ὦ ἀρι-

oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor; a quo censet, eum, quum alia praeclara quaedam, et magnifica didicisset, uberem et fecundum fuisse, gnarumque (quod est eloquentiae maximum), quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest; cuius ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. Nec vero sine philosophorum disciplina, genus et speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus; nec iudicare, quae vera, quae falsa sint; neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationi suppeditat copiam? de vita, de officiis, de virtute, de moribus, sine multa earum ipsarum rerum disciplina, aut dici, aut intelligi potest? Ad has tot, tantasque res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quae sola tum quidem tradebantur ab iis, qui dicendi numerabantur magistri. Quo fit, ut veram illam et absolutam eloquentiam nemo consequatur: quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est; et ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quaeritur. Itaque M. Antonius, cui vel primas eloquentiae patrum nostrorum tribuebat aetas, vir natura peracu-

ετε, εικοτως ὁ Περικλῆς παντων τελεωτατος εις την ῥητορικην γενεσθαι. Προσπεσων γὰρ, οἶμαι, τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ μετεωρολογιας ἐμπλησθεὶς και επι φυσιν νου τε και ανοιας αφικομενος, ὧν δὴ περι τον πολυν λόγον εποιειτο Αναξαγορας, εντεῦθεν εἵλκυσεν επι την τῶν λογων τέχνην το πρόσφορον αυτῇ.

Quum — didicisset, uberem et fecundum fuisse) Forsan legendum *quum — didicisse, tum uberem et fecundum fuisse.*

Magnam orationi suppeditat copiam) Vulg. rationi huic. *m. orationis r c* Sed ed. Ven. Med. Asc habent *oratoris*, unde colligere possis, scriptum fuisse oratori, quod ipsum h. l. solum aptum esset.

Sine multa earum ipsarum rerum disciplina) Ed. Omnib. *sine multarum rerum disciplina* Male Nam Cicero dicit de virtute, de moribus, nec dici nec intelligi posse, nisi quis de iis multa e philosophia didicerit.

tus et prudens, in eo libro, quem unum reliquit, *disertos* ait se vidisse multos, *eloquentem* omnino neminem. Insidebat videlicet in eius mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat. Vir autem acerrimo ingenio (sic enim fuit), multa et in se et in aliis desiderans, neminem plane, qui recte appellari eloquens posset, videbat. Quodsi ille nec se, nec L. Crassum eloquentem putavit, habuit profecto comprehensam animo quandam formam eloquentiae; cui quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid aut plura deerant, in eam formam non poterat includere. Investigemus hunc igitur, Brute, si possumus, quem nunquam vidit Antonius, aut qui omnino nullus unquam fuit; quem si imitari atque exprimere non possumus, quod idem ille vix Deo concessum esse dicebat, at qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere.

6. Tria sunt omnino genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt; peraeque autem (id quod volumus), perpauci in omnibus. Nam et grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt cum ampla et sententiarum gran-

* *Investigemus*) H. e. investigando reperiamus. additur enim, *si possumus*.

* *Imitari atque exprimere*) H. e. oratoris ideam suo exemplo referre.

* *Idem ille*) Antonius in eodem libro, quem unum reliquerat.

* *Tria sunt omnino genera dicendi*) Duo genera facit Brut. c. 55.

* *Tria sunt genera dicendi*) Haec est Graecorum doctrina, qui triplicem dicendi characterem statuunt, ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον, *uberem*, *gracilem*, *mediocrem*. Uberi dignitas est et amplitudo, gracili venustas et subtilitas, medius in confinio est, utriusque modi particeps. His singulis virtutibus vitia agnata sunt. Sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squallentes et ieiuni dicti pro gracilibus, incerti et ambigui pro mediocribus Gellius lib. VII, c. 14. Grandiloquus est Cicero in oratione pro Milone, tenuis et acutus quum dicit pro Caecina, temperatus in oratione pro lege Manilia. Pavet.

* *Id quod volumus*) Nempe perfectum oratorem peraeque in omnibus dicendi generibus excellere.

* *Grandiloqui ut ita dicam*) His verbis adiectis audaciam novi vocabuli *grandiloquus* mollire aut excusare cupit.

Sententiarum granditate) Vulgo: *sententiarum gravitate*. At quia statim sequitur *graves*, h. l. *granditate*

ditate et maiestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves, ad permovendos et convertendos animos instructi et parati; in quo ipso alii aspera, tristi, horrida oratione, neque perfecta, neque conclusa; alii laevi, et structa, et terminata: et contra tenues, acuti, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora, facientes, subtili quadam et pressa oratione limati. In eodemque genere alii callidi, sed impoliti, et consulto rudium similes et imperitorum; alii in eadem ieiunitate concinniores, id est, faceti, florentes etiam, et leviter ornati. Est autem quidam interiectus, inter hos medius, et quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, vicinus amborum, in neutro

scribendum erat Sic infra c. 9 non illum quidem amplum atque grandem.

* *Et structa*) Vulgo legitur *constructa*, quod Strebaeus explicat, verba digesta, quibus est acies ordine collocata Melius tamen, quod Ernestius dedit *structa* Significat enim aptam verborum constructionem, de qua agit cap 44 sqq *Terminata*, quod statim sequitur, refertur ad aetem verba finiendi vel compositione, vel genere verborum, in quibus ipsis numeris ... cap 49 sqq

* *Callidi*) H. e. in rebus ipsis excogitandis pendentes, bene dividentes, crebri quoque sententiis.

* *Imperitorum*) Nempe *imperiti* h. l. dicuntur ii, qui non sunt periti artis orationem exornandi.

Id est faceti) Facetiarum in hoc genere tenui infra quoque mentionem facit cap 26. Melius autem forsan fuerit omittere voculas *id est*, ut sic procedant verba: *alii in eadem ieiunitate concinniores, faceti, florentes etiam, et leviter ornati.* Si tamen genuinum sit *id est*, haec explicandi formula non ad verbum *faceti* solum, sed ad omnia quae sequuntur, referenda: ita ut *concinniores* non de concinnitate proprie sic dicta accipiatur, sed de omni orationis expolitione, quae salibus, floribus, ornamentisque levioribus censetur.

Nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum) Optimam hanc lectionem *fulmine*, quod recte et eleganter opposita acumini, tuetur Guelf. 1, 2. Male vulgo *flumine*. C. 70 de Demosthene *cuius non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur.*

Vicinus amborum) Mirum est, Camerario (quem multi deinde sequuti sunt) placere potuisse lectionem Nonii (v. *Cinnus*), ut *cinnus amborum*. Quia enim *cinnus* est *commistio plurium*, ut Nonius ipse interpretator, quasi κυκεών, quomodo medium genus dicendi Cicero potuisset cinnum generis tenuis et sublimis appellare, qui statim dicturus erat *utriusque particeps, vel utriusque, si verum quaerimus, potius expers.* Nonne ridiculum esset, si quis, qui mistum duxisset cinnum mellis et vini,

excellens, utriusque particeps, vel utriusque, si verum quaerimus, potius expers. Isque uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit, nihil afferens praeter facilitatem et aequabilitatem; aut addit aliquos, ut in corona, toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit.

7. Horum singulorum generum quicunque vim singuli consequuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt. Sed quaerendum est, satisne id, quod volumus, effecerint. Videmus enim fuisse quosdam, qui iidem ornate ac graviter, iidem versute et subtiliter dicerent. Atque utinam in latinis talis oratoris simulacrum reperire possemus! esset egregium non quaerere externa, domesticis esse contentos. Sed ego idem, qui in illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto, multum tribuerim latinis, vel ut hortarer alios, vel

dulcem adiiceret, mustum esse utriusque particeps, vel potius utriusque, mellis et vini, *expers?* Neque vero videmus, quibus ista lectio placeat, h. l. *oratorem* dici, non *orationem*, ut magis etiam absurdum esset oratorem cum cibum comparari. Optime sane igitur Schneiderus quoque nuper hanc lectionem prorsus repudiavit ap. ad Laugerum p. 52. Similitudo, qua Cicero hic utitur, ducta est a regionibus duabus dissitis, quae tertia quadam interiecta separantur. Quam qui incolunt, vicini sunt amborum, utriusque participes, seu potius utriusque expertes. Et sic orator medius nec tenuis est nec sublimis, sed inter utrumque interiectus et vicinus amborum. Denique lectionem *vicinus* confirmat Gellius, qui sine dubio hunc locum imitatus est Noct. Att. VII, 14 *Et in carmine et in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quae Graeci χαρακτῆρας vocant, nominaque eis faciunt ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. Nos, quem primum posuimus, uberem vocamus, secundum gracilem, tertium mediocrem. Uberi dignitas atque amplitudo est, gracili venustas et subtilitas, in confinio est utriusque modi particeps.*

In neutro excellens) Lambin. *neutro excellens*, melius fortasse.

* *Vt in corona, toros*) Volubile genus orationis et rotundum ut corona, suscipit ad ornamentum partes eminentiores, quasi toros, ne tanquam politum marmor, varietatis iucunditate careat. Strebaeus.

Horum singulorum generum quicumque vim singuli consequuti sunt) Vulgo erat *singulis consequuti sunt*, quod quum esset aperte vitiosum, non tamen ut Ernestio placebat, *singulis* delendum erat. In promtu enim erat corrigere *singuli*, ut fecimus. Sic de Orat. I, 2 *quam bene perdiu nulli*, vix autem singulis *aetatibus* singuli

quod amarem meos, recordor longe omnibus unum anteferre Demosthenem, qui vim accommodarit ad eam, quam sentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim. Hoc nec gravior exstitit quisquam, nec callidior, nec temperatior. Itaque nobis monendi sunt ii, quorum sermo imperitus increbuit, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Attice volunt dicere, ut mirentur hunc maxime, quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas. Quid enim sit Atticum, discant, eloquentiamque ipsius viribus, non imbecillitate sua, metiantur. Nunc enim tantum quisque laudat, quantum se posse sperat imitari. Sed tamen eos studio optimo, iudicio minus firmo praeditos, docere, quae sit propria laus Atticorum, non alienum puto.

8. Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit

tolerabiles oratores invenirentur et de Leg. II, cap. 12: *plures deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes sunt.*

* *Recordor longe omnibus unum anteferre Demosthenem*) Nempe in Bruto cap. 9.

Quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas) Guelf. 1, Ed. Omnib. Victor. *quo Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas*, quae lectio sic placuit Schneidero ep. ad Langerum p. 13, ut vulgatam etiam ineptam diceret. Atqui haec Ciceronis consilio aptissima est. Vt enim in Bruto cap. 85 de Demetrio Phalereo dicitur: *Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur*, sic h. l. de Demosthene, ne Athenas quidem ἀττικωτέρας illo fuisse, id est, Demosthenem Attici dicendi generis omnium optimum exemplar fuisse. Eodem modo dixit Plinius, sed magis ὑπερβολικῶς, Epp. IV, 3: *non ipsas Athenas tam Atticas dixerim.*

* *Quid enim sit Atticum, discant, eloquentiamque ipsius viribus, non imbecillitate sua, metiantur*) Sic Tusc. Qu. II, 1: *reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent, quemque sperandi sibi, eundem et bene dicendi finem proponerent, et quum obruerentur (a me) copia sententiarum atque verborum, ieiunitatem et famem se malle, quam ubertatem et copiam dicerent; unde erat exortum genus Atticorum, iis ipsis, quod id sequi se profitebantur, ignotum, qui iam conticuere, paene ab ipso foro irrisi.*

* *Docere, quae sit propria laus Atticorum, non alienum puto*) Cum toto loco, qui sequitur cap. 8, 9 de Attico dicendi genere, comparandus est Quintilian. de Inst. Or. XII, 10.

auditorum prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum qui audiunt, intuentur, ad eamque, et ed eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant. Itaque Caria, et Phrygia, et Mysia, quod minime politae, minimeque elegantes sunt, asciverunt aptum suis auribus opimum quoddam et tanquam adipale dictionis genus, quod eorum vicini (non ita lato interiecto mari) Rhodii nunquam probaverunt, Graeci multo minus, Athenienses vero funditus repudiaverunt: quorum semper fuit prudens sincerumque iudicium, nihil ut possent, nisi incorruptum, audire, et elegans. Eorum religioni quum serviret orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. Itaque hic, quem praestitisse diximus ceteris, in illa pro Ctesiphonte oratione longe optima, summissus a primo; deinde, dum de legibus disputat, pressus; post sensim incendens iudices, ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit audacius. Ac tamen in hoc ipso, diligenter examinante verborum

Et tanquam adipale dictionis genus) Sic Guelf 1, 2, Ed. Omnib idque cum Strebaeo recte probaverunt Ernestius et Schneiderus (I I p 43). Vulg lectionis *et tanquam adipatae* auctor est Nonius Marcellus

* *Prudens sincerumque iudicium*) *Prudentia* iudicii ad verum pulcrum intelligentiam, *sinceritas* ad puritatem ab omni contagio vitiositatis spectat.

* *Eorum religioni*) Religio hic est illa Atticorum in iudicando subtilitas et scrupulositas, qua omne, quod esset corruptum, et parum elegans in orationibus, eloquentia praesertim, fastidiebant. Itaque mox eorum aures *teretes et religiosas* appellat c. 9

Post sensim incendens iudices, ut vidit ardentes) Optime haec lectio *incendens*, quam tuentur Guelf 1, item Ox ♃ dudum misere cessit falsae *incedens*. Illam Schneiderus quoque l. l. defendit, ita tamen, ut commata post *incendens* posito, *iudices ut vidit ardentes*, coniungat. Nos optius interstinxisse nobis videamur. Incendii imago de oratione affectus concitante paulo post recurrit in verbis. *Facile est enim verbum ardens — notare idque restinctis animorum incendiis irridere* Item de Orat. II, 47 *Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae nisi admoto igni, ignem concipere possit; sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris* Cf Orat. c. 38.

omnium pondera, reprehendit Aeschines quaedam et exagitat, illudensque, dira, odiosa, intollerabilia esse dicit. Quin etiam quaerit ab ipso, quum quidem eum belluam appellet, utrum illa verba, an portenta sint: ut Aeschini ne Demosthenes quidem videatur Attice dicere. Facile est enim verbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare, idque restinctis iam animorum incendiis irridere. Itaque se purgans iocatur Demosthenes: negat, in eo positas esse fortunas Graeciae, hoc an illo verbo usus sit, huc an illuc manum porrexerit. Quonam igitur modo audiretur Mysus, aut Phryx Athenis, quum etiam Demosthenes exagitetur, ut putidus? Quum vero inclinata ululantique voce, more Asiatico, canere coepisset, quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri?

9. Ad Atticorum igitur aures teretes et religiosas

Reprehendit Aeschines) Locus est in orat. contra Ctesiph. cap. 53 (p. 555 ed. Reisk.), οὐ μέμνησθε αὐτοῦ τὰ μιαρὰ καὶ ἀπίθανα ῥήματα, ἃ πῶς ποθ' ὑμεῖς ὦ σιδήρειοι, ἐκαρτερεῖτε ἀκροώμενοι, ὅτ' ἔφη παρελθών· ἀμπελουργοῦσί τινες τὴν πόλιν ἀνατετμήκασί τινες τὰ κλήματα τοῦ δήμου — ὑποτέτμηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων — φορμορραφούμεθα ἐπὶ τὰ στενά — τινες πρῶτον (leg. e Toupii emendatione τῶν γλωττῶν) ὥσπερ τὰς βελόνας διείρουσι. ταῦτα δὲ τίνος ἐστιν, ὦ κίναδος, ῥήματα ἢ θαύματα,

Hoc an illo verbo usus sit, huc an illuc manum porrexerit) Vulgo: in hoc enim hoc an illuc manum porrexerit. Demosthenis autem verba haec sunt Orat. pro Ctesiph. p. 305, vol. I ed. Reisk. πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο, οὐχ ὁρᾷς, γέγονε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα, ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγώ, ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα, ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρήνεγκα.

Unde iam Strebaeus post Manutium emendavit *hoc an illud verbum dixerit, huc an illuc manum porrexerit.* Maluissemus Ambrosii verbis, ex eius commentar. in Lucam, lib. II, cap. 2, a Paulo Manutio Ernestioque laudatis, uti, qui ipsam Ciceronis scriptorem expressisse videtur: *hoc an illo verbo usus sit.*

* *Inclinata ululantique voce — canere coepisset*) Infra cap. 18. hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus paene canticum.

* *Atticorum igitur aures teretes*) Dixit hic Cicero *teretes aures*, sicut Horatius os rotundum: *Grais dedit ore rotundo Musa loqui.* Acron interpretatur os perfectum. Aures ergo teretes, perfectae, perpolitae, delicatae, quaequa sonis asperioribus facillime laeduntur. *Religiosas* vero, quas nihil corruptum, nihil foedum, nihil putidum admittunt contra legunt pura omnia, sancta, et incorrupta, ut

qui se accommodant, ii sunt existimandi Attici dicere. Quorum genera plura sunt, ii unum modo quale sit, suspicantur. Putant enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum Attice dicere. Errant, quod solum: quod Attice, non falluntur. Istorum enim iudicio si solum illud est Atticum, ne Pericles quidem dixit Attice, cui primae sine controversia deferebantur. Qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poëta, fulgurare, tonare, permiscere Graeciam dictus esset. Dicat igitur Attice venustissimus ille scriptor ac politissimus Lysias. Quis enim id possit negare? dum intelligamus, hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit, atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens aut ineptum. Ornate vero et graviter et copiose dicere, aut Atticorum sit, aut ne sit Aeschines, neve Demosthenes Atticus. Ecce autem aliqui se Thucydidios esse profitentur, novum quoddam imperitorum et inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur: non illum quidem amplum, atque grandem; subtilem et elegantem tamen, et qui in forensibus causis possit praeclare consistere. Thucydides

fieri solet in observatione caeremoniarum. Pevet.

* *Ii unum modo quale sit*) Sensus est: Attice dicentium plura sunt genera, sed Latini qui se dicere Attice putant, unum sibi genus qualecumque sit, fingunt. Id

* *Modo id eleganter enucleateque faciat*) *Eleganter* de prudenti sententiarum verborumque delectu, *enucleate* de diligenti et perspicua rerum expositione.

* *Errant quod solum, quod Attice, non falluntur*) Sic infra cap. 25 de subtili oratore: quem *non quod solum*, ceteroqui *recte quidem* vocant *Atticum*.

Fulgurare, tonare, permiscere Graeciam) Verba sunt Aristophanis Acharn v. 530 ἤστραπτεν, ἐβρόντα, συνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Hoc esse Atticum in Lysia) Eandem sententiam defendit Cic. in Bruto cap. 82, 83

Thucydidios esse profitentur) *Esse* delendum videtur Ernestio, nec enim in hac forma loquendi addi solere. Sane melius hic abfuerit, etsi non desunt alii loci, ubi item additur *esse*.

* *Thucydides autem*) Cf. cap. 12 (pag. 209, v. 7)

autem res gestas et bella narrat et proelia, graviter sane et probe: sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum et publicum. Ipsae illae conciones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur; quod est in oratione civili vitium vel maximum. Quae est autem in hominibus tanta perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur? An victus hominum, Atheniensium beneficio excoli potuit, oratio non potuit? quis porro unquam Graecorum rhetorum a Thucydide quidquam duxit? At laudatus est ab omnibus. Fateor; sed ita ut rerum explicator prudens, severus, gravis; non ut in iudiciis versaret causas, sed ut in historiis bella narraret. Itaque nunquam est numeratus orator. Nec vero, si historiam non scripsisset, nomen eius non exstaret, quum praesertim fuisset honoratus et nobilis. Huius tamen nemo neque verborum, neque sententiarum gravitatem imitatur: sed, quum mutila quaedam et hiantia loquuti sunt, quae vel sine magistro facere potuerunt, germa-

* *Ipsae illae conciones*) Orationes quas interposuit, ut et in Bruto c. 8.

* *Atheniensium beneficio*) Primos omnium Athenienses agriculturae rationem a Triptolemo edoctos fuisse, memoriae proditum est. Pavst.

* *Graecorum rhetorum*) Vocabulo rhetorum utitur, ubi de Graecis oratoribus loquitur, ne quis hic oratorum substituendum putet. Alias enim rhetores apud Ciceronem sunt artis rhetoricae magistri.

* *A Thucydide quidquam duxit*) Nempe negat quemquam oratorum graec. in causis civilibus et popularibus unquam Thucydidem imitatum fuisse. Non repugnat igitur, ut Strebaeus putabat, Demosthenem Thucydidis orationes edidicisse.

* *Rerum explicator prudens, severus, gravis*) In Bruto c. 83 de eodem Thucydide: *rerum gestarum pronuntiator sincerus et grandis etiam fuit.* Itaque h. l. quoque pro vulg. *severus* posui *sincerus*. Nam *severitas* iam est in *gravitate*.

* *Nomen eius non exstaret*) Sensus est: Nunquam Thucydides locum inter oratores habuit, celebris est tantum historici nomine: non continuo tamen, si historiam non scripsisset, oblivioni fuisset traditus, siquidem et nobilitate et honoribus Athenis inclaruit. Pavst.

Neque verborum, neque sententiarum gravitatem) In marg. ed. Gothofr. notatur, quosdam habere *neque verborum granditatem, neque sententiarum gravitatem*.

nos se putant esse Thucydidas. Nactus sum etiam, qui Xenophontis similem esse se cuperet: cuius sermo est ille quidem melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus.

10. Referamus igitur nos ad eum, quem volumus, inchoandum, et ea demum eloquentia informandum, quam in nullo cognovit Antonius. Magnum opus omnino et arduum, Brute, conamur: sed nihil difficile amanti puto. Amo autem, et semper amavi ingenium, studia, mores tuos. Incendor porro quotidie magis, non desiderio solum (quo quidem conficior), congressus nostros, consuetudinem victus, doctissimos sermones requirens tuos, sed etiam admirabilium incredibili fama virtutum, quae specie dispares, prudentia coniunguntur. Quid enim tam distans, quam a severitate comitas? Quis tamen unquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior? Quid tam difficile, quam in plurimorum controversiis diiudicandis ab omnibus diligi? Consequeris tamen, ut eos ipsos, quos contra statuas, aequos placatosque dimittas. Itaque efficis, ut, quum gratiae causa nihil facias, omnia tamen sint grata, quae facis. Ergo omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio; in qua frueris ipse te,

Referamus igitur nos) Sic Guelf. 1, 2, probante Heusingero Vulg. *referamus nos igitur*

Ea demum) Sic emendavit Ernestius. Vulg. *eadem*.

Sed etiam admirabilium incredibili fama virtutum) Vulgo inepte *sed etiam incredibilium admirabili fama virtutum*, quod cavillari aliquis ita potuisset, ut diceret *ergone Bruti virtutes adeo sunt incredibiles, ut etiam famam homines admirentur?* Immo virtutes Bruti dicuntur admirabiles tum propter magnitudinem, tum quia, quod mirum erat, specie dispares prudentia coniungebantur. Earum porro fama dicitur incredibilis, h. e. magna et pervagata. In Ed. Omnib. legitur: *incredibili fama virtutum admirabilium*, in ed. Tulich. *admirabili fama virtutum admirabilium*.

Omnibus terris) Lambin. melius *ex omnibus terris*.

* *Una Gallia communi non ardet incendio*) quam scil. provinciam tunc Brutus praeses regebat, ceteris provinciis aut bello Caesaris Africano, aut praesidum avaritia afflictis.

quum in Italiae luce cognosceris, versarisque in optimorum civium vel flore, vel robore. Iam quantum illud est, quod in maximis occupationibus nunquam intermittis studia doctrinae? semper aut ipse scribis aliquid, aut me vocas ad scribendum? Itaque hoc sum aggressus statim Catone absoluto: quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti, et illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas esse duxissem: sed testificor, me a te rogatum, et recusantem, haec scribere esse ausum. Volo enim mihi tecum commune esse crimen, ut, si sustinere tantam quaestionem non potuero, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. In quo tamen iudicii nostri errorem laus tibi dati muneris compensabit.

11. Sed in omni re difficillimum est, formam (qui χαρακτὴρ graece dicitur) exponere optimi, quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum: Pacuvio,

* *Quum in Italiae luce cognosceris*) Etiamsi abes ab Italia, tamen omnibus bonus notus es, et quasi ab amplissimo theatro spectaris.

* *Versarisque in optimorum civium vel flore, vel robore*) Quid hoc sit, intelligitur e Cic. Philipp. III, cap. 5 *Nec vero de virtute, constantia et gravitate provinciae Galliae taceri potest. Est enim ille flos Italiae, illud firmamentum imperii populi Romani, illud ornamentum dignitatis.*

* *In maximis occupationibus*) Adeo studiis literarum deditum fuisse Brutum scribit Plutarchus, ut in castris daret operam legendis libris, et paulo ante Pharsalicam pugnam, aliis de eventu pugnae sollicitis, ipse Polybii epitomen componeret. Patav.

* *Catone absoluto*) Laudatione Catonis Uticensis, qui, ne veniret in potestatem Caesaris, ipse sibi manus attulerat, cui Caesar Anticatonem suum opposuit. Hunc scripsit ann. V. C. 707, statim post mortem Catonis, quae incidit in aprilem eiusdem anni. Orator igitur scriptus est aestate h. a. exeunte. Cf. ep. ad Att. XII, 4, 5, et 6.

* *In quo tamen*) Si culpatur iudicium meum, quod opus aggressus sim, cui efficiendo non eram idoneus; laudabitur quidem voluntas dandi tibi muneris. Ascen.

Qui χαρακτὴρ graece dicitur) Vulgo *quae χαρακτὴρ*. Sed exquisitius est pronomen relativum sequentis vocabuli generi aptatum, et ed. Talich.

inquit alius; omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus; multa apud alterum negligentius. Fac alium Attio. Varia enim sunt iudicia, ut in Graecis; nec facilis explicatio, quae forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita, et opaca; contra alios nitida, laeta, collustrata delectant. Quid est, quo praescriptum aliquod aut formulam exprimas, quum in suo quodque genere praestet, et genera plura sint? Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus: existimavique, in omnibus rebus esse aliquid optimum, etiamsi lateret; idque ab eo posse, qui eius rei gnarus esset, indicari.

12. Sed quoniam plura sunt orationum genera, eaque diversa, neque in unam formam cadunt omnia: laudationum, scriptionum, et historiarum, et talium

Lambin sic habet qui χαρακτῆρ.

Alios — delectant) Sic cum Fr Gryph Lambin et P. Manutio edidi. Ed. Ven. Med. habet *alius — delectatur*. Sed ita illa *horrida* etc. non sunt pluralia, quibus Cicero alibi in eadem re utitur. *Delectat* est ab Ald et Iuol. quod multo minus probandum Ernest.

Quid est, quo) Lambin. *quid est, quod* Ceterum haec verba, *quid est — exprimas*, non cum Ernestio sic interpretanda « quo argumento et qua ratione cogas non unum verbum praescriptum sequi, quum plura genera probabilia sint » Strebaeum quoque a vero verborum sensu aberravit. Cicero iam huius capitis initio professus erat, in omnis re difficillimum esse *formam exponere optimi*. Itaque nunc ait Quomodo igitur bonae formae optimi *praescriptum aut formulam* exprimas h. e. legem et normam Sic infra c. 23 *cuiusque generis nota et formula*.

* *Praescriptum aut formulam*) Scil. optimi, quod mt ex initio capitis repetendum — *Praescriptum* proprie vocantur literarum characteres prima scripti, quos ludi magister pueris imitandos proponit Pavat.

* *Quum in suo quodque genere praestet*) I e. quum id, quod excellere videtur, in suo quodque genere excellat. Sic enim nisi suppleatur dictum, sensus postularet *quum in suo quodque genere placeat*

* *Scriptionum*) Strebaeus recte intelligit scripta vel philosophica, in quibus non sit seriunum sed acutum dicendi genus, vel sophistica ad delectationem composita, ut de rebus Herculis, de Icaromenippo, χρείας et id genus alia Lambinus vero placent, quod etiam Lallem. imitatus est *laudationum, munerum — et talium scriptionum, qualem —*

Et historiarum) Hoc Lambino defendum videbatur Infra vero etiam historiarum scriptores ab oratoribus

suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum, multique alii, qui sunt nominati sophistae, reliquarumque rerum formam, quae absunt ab forensi contentione, eiusque totius generis, quod graece ἐπιδεικτικὸν nominatur, quia, quasi ad inspiciendum, delectationis causa comparatum est, non complectar hoc tempore. Non quo negligenda sit. Est enim illa quasi nutrix eius oratoris, quem informare volumus, et de quo molimur aliquid exquisitius dicere. Ab hac et verborum copia alitur, et eorum constructio et numerus liberiore quadam fruitur licentia. Datur etiam venia concinnitati sententiarum; et arguti certique et circumscripti verborum ambitus conceduntur: de industriaque, non ex insidiis, sed aperte ac palam, elaboratur, ut verba verbis quasi demensa et paria respondeant; ut crebro conferantur pugnantia, comparenturque contraria; et ut pariter extrema terminentur, eundemque referant in cadendo sonum: quae in veritate causarum et rarius

segregat. Si tamen codd. omitterent, comprehendi h l historia posset sub verbis *reliquarum rerum*

* *Panegyricum*) In quo elaborando decem aut etiam quindecim annos Isocratem consumpsisse tradunt. Oratio ex suasione et laudatione mixta, cuius prima parte laudes Atheniensium persequitur, altera eosdem ad bellum regi Persarum inferendum impellit. Pavet.

Reliquarumque rerum formam) Non placet *rerum*: malimque vel *reliquarumque generum*, vel *reliquarum* simpliciter, ut referatur ad *orationum*.

Quia quasi) Hanc lectionem assumsi ex ed. Tulich Vulg *quod quasi*. Quintil. III, 5, 13 » Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non tam demonstrationis vim habere, quam ostentationis videtur ». In partitt. oratt. Cicero hoc genus *exornationem* vocat, in quo delectationem sibi proponat orator.

Non complectar hoc tempore, non quo negligenda est) Cn. 1, 2, *non complector*. Inde ab his verbis linguncula sequitur degressio de genere epidictico Redit ad propositum extremo hoc capite his verbis *Verum haec ludorum atque pompae* etc.

* *Est enim illa quasi nutrix eius oratoris*) Itaque c. 12 extr. ait *Sed quod educata huius nutrimentis eloquentia ipsa se postea colorat et roborat*.

* *Et arguti — conceduntur*) Verborum ambitus (h e periodi) *arguti*, bene sonantes, *certique*, non fluctuantes, non soluti, et *circumscripti*, finibus iustis inclusi ac terminati

* *In veritate causarum*) I. e. in ne-

multo facimus, et certe occultius. In Panathenaico autem Isocrates ea studio se consectatum fatetur; non enim ad iudiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserat. Haec tractasse Thrasymachum Chalcedonium primum, et Leontinum ferunt Gorgiam; Theodorum inde Byzantium, multosque alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phaedro Socrates: quorum satis arguta multa, sed ut modo primumque nascentia

ris causis, (non declamandi causa fictis) iudicialibus, et civilibus.

* *Panathenaico*) Isocratis oratione sic appellata, vel quod habita fuerit Panathenaeis solemnibus feriis, vel quod Atheniensium omnia egregie facta, eorumque laudes ab ultima origine repetit. Eam orationem scripsit annos natus nonaginta quatuor, et in exordio fatetur Isocrates iuniorum se rhetorum flosculos studiosius conquisivisse. Prust.

In Panathenaico) Cap. 1. νεώτερος μὲν ὢν — — περὶ ἐκείνους (λόγους) ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι συμβουλεύοντας, καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων, καὶ παρισώσεων, καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν.

Studeo se consectatum) Vulgo *studiose consectatum*. Rescripsi *studio se*, ne abesset pronomen personale, et ut exprimeretur id quod antea dicebatur *de industria*. Ceterum Ernestius *consputum* revocavit ex edd. Ven. Med. Gu. 2 habet *consectatum*, in eoque consentiunt edd. plurimae; quo Cicero in hac re saepius utitur, estque h. l. aptius et planius.

Theodorum inde Byzantium, multosque alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phaedro Socrates) Ad verbum si ergo Plato Theodorum tantum λογοδαίδαλον appellat Phaedr. cap. 112, p. 316 ed. Heindorf. (Stephan. p. 266 E.) his verbis: καὶ πίστωσιν οἶμαι, καὶ ἐπιπίστωσιν λέγειν τόνγε βέλτιστον λογοδαίδαλον Βυζάντιον ἄνδρα, ubi recte negat Heindorfius ex hoc Ciceronis loco, qui pluralem ponit, de lectione λογοδαιδάλων in λογοδαίδαλον mutanda decerni posse. Attamen non iniuria ceteros quinque λογοδαιδάλους illic appellatos Cicero dicit, quia, quum Theodorus βέλτιστος λογοδαίδαλος nominaretur, ceteros Plato hoc ordine et nomine haud excludebat. — Λογοδαίδαλοι, id est, artificiosi sermonis fabricatores.

* *Versiculorum similia quaedam*) Lambinus mavult *versicolorum similia quaedam*. At *versicolor* de elocutione nimis ornata, non de nimis numerorum, ἀντιθέτων, ὁμοιοτελεύτων affectatione ponitur. Ita Quintilian lib. VIII, procem. 20: *Similiter illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat, quam illo verborum habitu vestiuntur.* Scite igitur idem X, 1, 33 negat *versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere.* Itaque *versiculorum similia* sunt numeri nimis vincti, et versuum quam solutae orationis similiores. Versus autem in oratione fugiendos saepe Cicero pluri-

minuta, et versiculorum similia quaedam, nimiumque depicta. Quo magis sunt Herodotus, Thucydidesque mirabiles: quorum aetas quum in eorum tempora, quos nominavi, incidisset, longissime tamen ipsi a talibus deliciis, vel potius ineptiis abfuerunt. Alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit: alter incitatior fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum: primisque ab his (ut ait Theophrastus) historia commota est, ut auderet uberius, quam superiores, et ornatius dicere. Horum aetati successit Isocrates, qui praeter ceteros eiusdem generis laudatur semper a nobis; nonnunquam, Brute, leniter et erudite repugnante te. Sed cedas mihi fortasse, si, quid in eo laudem, cognoveris. Nam quum concisus ei Thrasymachus minutis numeris videretur, et Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam verba

bus locis monet. Ita de Orat. III, cap. 47 vetat, oratorem plane 10 versuum, aut *similitudinem versuum* incidere.

Nimiumque depicta) Malim, *nimiumque picta*, ut Brut. c. 85. Lysias nihil esse *pictus* dicitur. Sed haud scio an aliud verbum requirendum sit, quod nimiam illam τῶν λογοδαιδάλων curam et diligentiam circa illa in numero oratorio, quas deinde vocat, delicias vel potius ineptias pressius significet. In quo nisi me coniectura fallit, optime nihil est quam *nimiumque astricta*. Hoc enim vocabulo Cicero saepius utitur, ubi numeros in oratione nimis ad versuum similitudinem accedentes designare vult. Sic de Orat. III, 48 assentitur Theophrasto, qui putabat, orationem non *astricte* sed remissius numerosam esse oportere. Aptum etiam esset *nimiumque devincta*. Si tamen *picta* verum est, Cicero abusum pigmentorum illorum notare voluit, quae etiam si abessent a versu, tamen si nimis crebra adhiberentur, redolerent pueriles quasdam ineptias. Hoc sensu illa pigmenta cum *fuco puerili* componit de Orat. II, 45.

Leniter et erudite) Sic Gu. 1, 2; *lenter et erudite* Ed. Omnib. Victor. Camera.

Sed cedas mihi) *Cedas* bene Ernestius substituit vulgato *credas*, quod servant etiam Gu. 1, 2, illud enim melius respondet praecedenti verbo *repugnante te*.

* *Nam quum concisus ei Thrasymachus minutis numeris videretur*) Nimirum concisum genus dicendi ponitur in vitio. Itaque cap. 69 prohibetur, ne orator minutos numeros sequens concidat delumbetque sententias.

vinxisse; Theodorus autem praefractior, nec satis (ut ita dicam) rotundus: primus instituit dilatare verbis, et mollioribus numeris explere sententias. In quo quum doceret eos, qui partim in dicendo, partim in scribendo principes exstiterunt, domus eius officina habita eloquentiae est. Itaque ut ego, quum a nostro Catone laudabar, vel reprehendi me a ceteris facile patiebar; sic Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Est enim (ut scis) quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates: « Adolescens etiam nunc, o Phaedre, Isocrates est: sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Maiore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur. Praeterea ad virtutem maior indoles: ut minime mirum futurum sit, si, quum aetate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui unquam orationes attigerunt; aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu maiora concupiscat. Inest enim natura philosophia in huius viri mente quaedam ». Haec

Vinxisse) Edd. Omnib. Victor. Camerar. *iunxisse*.

Theodorus autem) Ante Ernestium hic erat in edd. *Thucydides*. Nonnus in v. rotunditas habet *Theodectes*. Neutri autem hic locus erat. *Theodorus* vero, quod Ernestius voluit, est tertius ex tribus antea nominatis.

* *Praefractior*) I. e. oratione utens confragosa, parum concinna, salebrosa.

* *Vel reprehendi*) H. e. non solum non laudari, sed etiam reprehendi.

* *Quum a nostro Catone laudabar*) Cato laudes quanti fecerit, ipse Cato in epistola ad eum scripta fatetur, Famil. XV, ep. 6.

Quasi in extrema pagina Phaedri) C. 146 edit. Heindorf. (p. 279 edit. Steph.) Νέος ἔτι, ὦ Φαῖδρε, Ἰσοκράτης· ὃ μέντοι μαντεύομαι κατ' αὐτοῦ, λέγειν ἐθέλω. — Τὸ ποῖον δή; — Δοκεῖ μοι ἀμείνων, ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι δὲ ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι, ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν προϊούσης τῆς ἡλικίας, εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων· ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δέ τις αὐ-

de adolescente Socrates auguratur. At ea de seniore scribit Plato, et scribit aequalis, et quidem exagitator omnium rhetorum hunc miratur unum. Me autem, qui Isocratem non diligunt, una cum Socrate et cum Platone errare patiantur. Dulce igitur orationis genus, et solutum, et effluens, sententiis argutum, verbis sonans, est illud ἐπιδεικτικὸν, quod diximus, proprium sophistarum, pompae, quam pugnae aptius, gymnasiis et palaestrae dicatum, spretum et pulsum foro. Sed quod

τοῦ ἄγει ὁρμὴ θειοτέρα· φύσει γάρ, ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ.

* *Ea de seniore scribit Plato*) Nempe quum Socrates ista de Isocrate diceebat, hic adolescens erat; at quo tempore Plato Phaedrum suum scribebat, ille iam senior erat. Ceterum ex h. l. de tempore, quo scriptus sit Platonis Phaedrus nihil definiri potest, quia senior etiam arguebat eatu moerem, non continuo senem aut senectuti propiorem.

* *Exagitator omnium rhetorum*) Vocabulum *rhetorum* h. l. de istis eloquentiae magistris potius, quos in Phaedro potissimum eidet Plato, quam generatim de oratoribus accipiendum. Quamquam enim oratores quoque a Platone aliisque philosophis exagitatos esse supra cap. 4 dixerat, h. l. tamen de artis rhetoricae doctoribus, etsi iidem quoque dicere solebant, agitur.

* *Et solutum*) Hoc verbum hic alio sensu ponitur, quam intra cap. 19 de oratione philosophica, quam negat esse *numeris vinctam, sed solutam liberius*. Hic vero intelligitur genus dicendi remissum et voluptati indulgens.

Et effluens) Gu. 2, *affluens* Vulgatum designat genus dicendi copiosum, imo saepius redondans. Sic de Orat II, 38: *genus sermonis non liquidum, non fusum ac profluens*.

Est illud ἐπιδεικτικὸν) Sic rescripsi pro vulg. *est in illo epidictico genere* Non enim arbitror, Ciceronem scripsisse *genus orationis est — in illo epidictico genere*.

Quod diximus, proprium sophistarum) Sic interpunxi, melius opinor, quam ut vulgo: *quod diximus proprium sophistarum*. Nondum enim Cicero supra dixerat, hoc genus esse sophistarum proprium.

* *Pompae quam pugnae aptius*) i. e. delectationi potius quam ad veritatis causarum forensium inserviens. Nos eadem metaphora diceremus: *schicklicher für die Parade als für's Gefecht*. Itaque statim extr. hoc capite: *Verum haec ludorum atque pompae*.

* *Gymnasiis et palaestrae dicatum*) Haec Strebaeus tropice dictum accepit, ut proxime antecedentia. Sunt autem hic propie usurpata, quia Sophistae in gymnasiis declamare solebant. Itaque gymnasiis opponitur *forum*, ubi vero causae agebantur. De Orat I, cap. 18 oratio philosophorum nitida quidem et laeta, sed *palaestrae magis et olei*, quam civilis turbae ac fori dicitur.

educata huius nutrimentis eloquentia, ipsa se postea colorat et roborat, non alienum fuit de oratoris quasi incunabulis dicere. Verum haec ludorum atque pompae: nos autem in aciem dimicationemque descendamus.

13. Quoniam tria videnda sunt oratori, quid dicat, et quo quidque loco, et quomodo: dicendum omnino est, quid sit optimum in singulis, sed aliquanto secus, atque in tradenda arte dici solet. Nulla praecepta ponemus (neque enim id suscepimus); sed excellentia eloquentiae speciem et formam adumbrabimus: nec, quibus rebus ea paretur, exponemus; sed qualis nobis esse videatur. Ac duo breviter prima. Sunt enim non tam insignia ad maximam laudem, quam necessaria, et tamen cum multis paene communia. Nam et invenire quid, et iudicare, quo quidque loco dicas, magna illa quidem sunt, et tanquam animi instar in corpore: sed propria magis prudentiae, quam eloquentiae. Qua tamen in causa est vacua prudentia? Noverit igitur hic

* *Eloquentia, ipsa se postea colorat et roborat*) *Colorare* se dicitur eloquentia forensis, quum propria sibi ornamenta sciscit; *roborare* autem, quum argumenta sumit ad persuadendum idonea, et motibus animorum excitandis flectere iudices et incendere discit.

* *Nos autem in aciem*) H. e. nunc iam, quomodo orator proprie sic dictus in causis forensibus ac civilibus versetur, ostendamus. Eandem metaphoram pluribus verbis expressit de Orat. I, c. 34. Vulgo *nos autem iam in aciem*. Abest autem *iam* in Gu. 1, 2, et recte quidem abest.

Nam et invenire, quid, et iudicare, quo quidque loco dicas) Vulgo: *nam in invenire et iudicare, quid dicas*. At enim Cicero dixerat: *Ac duo breviter prima*. Necessarium igitur erat, ut h. l. primum *inventionem*, deinde *dispositionem* memoraret. Idem confirmatur Quintiliani Inst. Orat. VIII, prooem. 14, ubi: *Et M. Tullius*, inquit, *inventionem quidem ac dispositionem prudentis hominis putat, eloquentiam oratoris*. Ipse Cicero infra similiter c. 16: *quum autem, quid, et quo loco dicat, invenerit*.

* *Qua tamen in causa est vacua prudentia*) Phil. Melanchthon coniecit: *quae tamen quae in causa est vacua prudentia*. Fr. Gryphius: *qua enim in causa est vacua prudentia*. Lambin. *quae tamen causa vacua est prudentia*. Vulgaris lectio ac defendi potest. Cicero paulo ante dixerat inventionem ac dispositionem oratori cum multis paene communia, addideratque, ea magis prudentiae oratoris esse quam eloquentiae, ut igitur illud quod ante

quidem orator, quem summum esse volumus, argumentorum et actionum locos. Nam quoniam, quidquid est, quod in controversia aut in contentione versetur, in eo, aut sitne, aut quid sit, aut quale sit, quaeritur: sitne, signis; quid sit, definitionibus; quale sit, recti pravique partibus: quibus ut uti possit orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam; latius enim de genere, quam de parte disceptare licet; ut, quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse.

14. Haec igitur quaestio, a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta, appel-

dixerat, confirmarat, sic fiunt *quae tamen in causa vacua est prudentia?* h. e. quia prudentia opus sit non magis oratori, quam imperatoribus, artificibus, philosophis etc. eaque nullo in negotio vacua sit et otiosa, ideo recte dictum esse, illa oratori cum multis communia esse.

* *Actionum locos*) Rescripsi *actionum* pro vulg. *rationum*, id quod nihil aliud esset, quam *argumentorum*. *Actiones* autem h. l. sunt illa diversa controversiarum genera, sive constitutiones, quarum locos exponit Cicero de Inventione lib. II.

* *Nam quoniam, quidquid est*) Quintilianus Inst. Or. III, 6, 43 «A plurimis tres sunt facti generales status, quibus et Cicero in Oratore utitur, et omnia, quae aut in controversiam aut in contentionem veniunt, contineri putat *sitne? quid sit? quale sit?* quorum nomina apertiora sunt, quam ut docenda sint.» Nempe nominantur *coniecturales*, *definitiva*, *generalis*, de Inv. lib. II. Cf. Partitt. orr. c. 30 sqq.

Quod in controversia aut in contentione versetur) Haec non duo genera sunt, sed unum idemque. Et apud Nizolium inveni lectionem *quod in controversia et contentione versetur*; verius fortasse. Certe *aut* h. l. explicativum est non disiunctivum. Itaque apud Quintilianum legendum: *quae in controversiam aut in contentionem veniunt.* Eodem modo apud Cic. de Orat II, 72 *nulla enim fere res potest in dicendi disceptationem aut controversiam vocari.*

Recti pravique partibus) Hic Ernestius verbum deesse putabat, ut *docetur*, *demonstratur*, *cognoscitur*. Immo potius ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum *quaeritur* ex antecedentibus.

Quibus ut uti possit) Haec est apodosis periodi, non parenthesis, *quibus* enim alibi quoque pro *his* positum incipit apodosin. In Gu. 2 male omissum *quibus*.

Ad universi generis orationem traducta) Placet Purgoldi emendatio: *ad universi generis rationem*, quae lectio est apud Nizolium. Non tamen negare ausim, *ad universi generis orationem* eodem modo dici posse, ut

latur *thesis.* In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utramque partem ut ornatius et uberius dici posset, exercuit: idemque *locos* (sic enim appellat), quasi argumentorum notas, tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio. Facile igitur hic noster (non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum et perfectissimum quaerimus), quoniam loci certi traduntur, percurret omnes. Nec vero utetur imprudenter hac copia, sed idonea exquiret, et seliget. Non enim semper, nec in omnibus causis, ex iisdem eadem argumentorum momenta sunt. Iudicium igitur adhibebit; nec

universi generis disputationem. Ceterum respexit h. l. Quintilian III, 5, 15. Idem vero argumentum tractatur de Or. lib. III, cap. 30.

Appellatur thesis) Malim graece appellatur θέσις. Sic alibi; ut Topic. c. 21.

* *Sed ad copiam rhetorum*) H. e. Aristoteles adolescentes ad copiosum dicendi genus, quo uti in foro deberent oratores, exercuit.

* *Idemque locos (sic enim appellat)*) Nempe graece Aristoteles dixit τόπους, quod Cicero vertit *locos*, graeco verbo nusquam adhibito.

Aut rabulam de foro) Hunc locum affert Nonius v. *Rabula.*

Percurret omnes) Post haec verba in edd. adduntur ista: *utetur aptis, generatim dicet, ex quo emanant etiam qui communes appellantur loci.* Nempe sic correxerat Lipsius Var. Lect. lib. II, c. 7. Vulgo enim ita legebantur: *utetur aptis generatim; dicet ex quo emanant etiam, qui appellantur communes loci.* At nisi me omnia fallunt, haec verba ex margine in textum illata grammaticum quendam potius, quam Ciceronem auctorem habeat. Cur enim Cicero hic diceret *utetur aptis*, qui paulo post dicturus erat, *nec vero utetur imprudenter hac copia, sed idonea exquiret ac seliget.* Cur idem nunc adderet *generatim dicet*, qui iam antea dixerat, oratorem a propriis personis et temporibus controversiam revocare. Denique *generatim dicere* nihil aliud est, quam locis communibus uti, ut inepte dicatur, ex ratione generatim dicendi emanare locos communes. Nam communes loci sunt, qui de universa re tractantur de Orat. III, 27. Ceterum in Gu. 1, 2 est *dicet—emanent.* In ed. Oxonib. *ut quoniam l. c. traduntur percurrat hic, utatur aptis generatim dicat ex quo emanent etiam* etc.

Sed idonea exquiret ac seliget) Ita recepimus pro vulg. *sed omnia expendet ac seliget.* Nam expendendi officium deinde memoratur suo loco. Nec recte poterat dici *omnia seliget*, sed *idonea* tantum. Eodem modo dicitur de Offic. II, 18: *in del gendis*

inveniet solum quid dicat, sed etiam expendet. Nihil est enim feracius ingeniis, iis praesertim, quae disciplinis exculta sunt. Sed ut segetes fecundae et uberes non solum fruges, verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus: sic interdum ex illis locis, aut levia quaedam, aut causis aliena, aut non utilia gignuntur; quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. Alioqui quonam modo ille in bonis haerebit et habitabit suis? aut molliet dura, aut occultabit, quae dilui non poterunt, atque omnino opprimet, si licebit, aut abducet animos? aut aliud afferet, quod oppositum probabilius sit, quam illud, quod obstabit?

15. Iam vero ea, quae invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus. Vestibula nimirum honesta, aditusque ad causam faciet illustres: quumque animos prima aggressione occupaverit, infirmabit excludetque contraria; de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leviora. Atque in primis duabus dicendi partibus qualis esset, summatim breviterque descripsimus. Sed, ut ante dictum est, in his partibus (etsi graves atque magnae sunt) minus et artis est, et laboris.

16. Quum autem, quid, et quo loco dicat, invenerit, illud est longe maximum, videre, quonam modo.

idoneus iudicum et diligentiam adhibere.

Nihil enim est) Verba transposui, iubente Schutzio V. C. Ed. 1.

Ab oratoris) Gu. 1, *ab actoris*.

Delectus magnus adhibebitur. Alioqui) Ernestius « sic interpunxi nunc, inquit, ut fecit iam Fr. Gryph. quum in vulgg. *alioqui* adhaereat praecedentibus. Ibi quum stare non posset, quidam delevere, ut Ms. Vitb. edd. Med. Ald. Lips. Victor. Sed si deleatur, huic malo. » Etiam in Gu. 1, 2 omissum *alioqui*.

Quam illud, quod obstabit) Nihil opus est, quod Ernestio visum, obstet, vel obstabat rescribere.

Inculcabitque leviora) Idem praecipit de Orat. II, c. 77.

* *Sed, ut ante dictum est, in his partibus — minus et artis est, et laboris*) Hoc quidem iisdem verbis non dictum, sed tamen cap. 13 in eandem fere sententiam. *Sunt enim non tam insignes ad maximam laudem, quam necessaria.*

Scitum est enim, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Charmadam autem quodam etiam modo dicere. Quod si in philosophia tantum interest, quemadmodum dicas, ubi res spectatur, non verba penduntur: quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio? Quod quidem ego, Brute, ex tuis literis sentiebam, non te id scitari, qualem ego in inveniendo et in collocando summum esse oratorem vellem; sed id mihi quaerere videbare, quod genus ipsius orationis optimum iudicarem. Rem difficilem, dii immortales! atque omnium difficillimam. Nam cum est oratio mollis et tenera, et ita flexibilis, ut sequatur, quocunque torqueas: tum et naturae variae, et voluntates multum inter se distantia effecerunt genera dicendi. Flumen aliis verborum, volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Distincta alios et interpuncta intervalla, morae, respirationesque delectant. Quid potest esse tam diversum? tamen est in utroque aliquid

Scitum est enim, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Charmadam autem quodam etiam modo dicere) Vix credibile est, neminem adhuc offensum fuisse ineptissima lectione. *Clitomachum eadem dicere, Charmadam autem eadem etiam modo dicere.* Id enim nihil aliud esset, quam utrumque, Clitomachum et Charmadam, eadem et eodem modo dicere. Ex quo consequeretur, nihil prorsus inter utrumque interfuisse. Et cur Cicero hoc dictum, quo nihil esset vulgarius et obsoletius, *scitum* appellaret? Nullum igitur dubium est, quin Cicero scripserit, ut edidimus *Charmadam autem quodam etiam modo dicere.* Sic Brut. 40 *ut dicantur a me quodam modo.* Et de Orat. III, 10, *Ergo haec et agenda sunt ab oratore, et dicenda quodam modo.* Vt igitur nostri dicerent: *Clitomachus sage zwar eben dasselbe, Charmadas aber wisse es auch mit einer gewissen manier zu sagen*, sic Carneades aiebat Clitomachum eadem dicere, Charmadam autem quodam etiam modo dicere.

Interpuncta intervalla) Haec verba sic deinceps posita et copulata non placent. Itaque vel legendum *distincta alios intervalla, morae, respirationesque delectant*, (ut *interpuncta* ex interpretamento vocabuli *distincta* in textum venerit) vel, ut est apud Nizolium et Victor. *distincta alios et interpuncta, intervalla, morae, respirationesque delectant.*

excellens. Elaborant alii in lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi. Ecce aliqui duritatem et severitatem quamdam verbis, et orationis quasi moestitiam sequuntur; quodque paulo ante diximus, ut alii graves, alii tenues, alii temperati vellent videri: quot orationum genera divisimus, totidem oratorum reperiuntur.

17. Et quoniam coepi iam cumulatius hoc munus augere, quam a te postulatum est (tibi enim tantum de orationis genere quaerenti respondi etiam breviter de inveniendo et collocando); ne nunc quidem solum de orationis modo dicam, sed etiam de actionis: ita praetermissa pars nulla erit. Quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quae communis est multarum artium. Quo modo autem dicatur, id est in duobus, in agendo, et in eloquendo. Est enim actio quasi corporis quaedam eloquentia, quum constet e voce atque motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce commoventur. Itaque ille perfectus, quem iamdudum nostra indicat oratio, utcunque se affectum videri, et animum audientis mo-

Elaborant alii in lenitate) Gu. 2, 3, Victor. Camerar. *elaborant alii lenitate.*

Quodque paulo ante diximus) Vulgo *quodque paulo ante diximus*, deinde autem *quot orationum genera esse diximus.* Nos vero transponendum censuimus utrumque verbum *quodque paulo ante diximus*, nempe cap. 6 init. — *quot orationum genera divisimus.* In Gu. 1, 2 est *quodque paulo ante diximus* — deinde Gu. 3 *quot oratorum genera esse diximus.*

Ut alii — vellent videri) Dictum pro *alius — velle videri.* Et hoc exemplum annumerandum est iis, quae collegit Gesnerus in thes. L. L. particulae *ut* adhibitae; ubi accusativus cum infinitivo locum haberet.

Tibi enim tantum de orationis genere quaerenti respondi etiam breviter de inveniendo et collocando) Haec parenthesis glossatore, quam Cicerone dignior videtur.

Quum constet e voce atque motu) Ernestius putabat legendum, *quae constet*, quia hic esset definitio, non ratio. Atqui hoc ipsum negamus. Cicero definire hic noluit actionem, sed rationem potius reddidit, cur ea recte possit appellari corporis eloquentia.

veri volet, ita certum vocis admovebit sonum: de quo plura dicerem, si hoc praecipiendi tempus esset, aut si tu hoc quaereres: dicerem etiam de gestu, cum quo iunctus est vultus. Quibus omnibus, dici vix potest, quantum intersit, quemadmodum utatur orator. Nam et infantes, actionis dignitate, eloquentiae saepe fructum tulerunt; et diserti, deformitate agendi, multi infantes putati sunt, ut iam non sine causa Demosthenes tribuerit et primas, et secundas, et tertias actioni. Si enim eloquentia nulla sine hac, haec autem sine eloquentia, tanta est; certe plurimum in dicendo potest.

18. Volet igitur ille, qui eloquentiae principatum petet, et contenta voce, atrociter dicere; et summissa, leniter; et inclinata, videri gravis; et flexa, miserabilis. Mira est enim quaedam natura vocis: cuius quidem e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit, et tam suavis varietas perfecta in cantibus. Est autem in dicendo etiam quidam cantus obscurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus, paene canticum;

* *Nam et infantes*) Actionem plurimum valere probant eventus. Nam et *infantes*, id est, infacundi viri, rudesque dicendi, ut Cn. Lentulus, actionis dignitate, bona et decora pronunciatione, eloquentiae fructum et gloriam tulerunt. *Et diserti*, quibus e diverso opponuntur infantes, deformitate agendi, hoc est, indecora et foeda pronuntiatione, a multis infantes et indiserti putati sunt: cuiusmodi L. Cottam dicit Cicero fuisse. Strau.

* *Et contenta voce*) H. e. vehementius intenta, (quod musici nostri in cantibus *più forte* appellant) id aptum est atrociter dicenti, h. e. iram, invidiam, indignationem concitanti. De ea re conf. auct. ad Herenn. III, cap. 13, 14.

Et flexa, miserabilis) Vulgo *inflexa, miserabilis*. At *inflexa vox* opponitur statim voci gravi (*dem Bass*) et acutae (*dem Sopran*), atque nobis *die Mittelstimme*. *Flexa vox* autem est ea, quam auctor ad Herenn. III, 14 significat, quum dicit in conquestionibus utendum esse voce depressa, inclinato sono, crebris intervallis, longis spatiis, magnis commutationibus. Quintilianus XI, 3, 170, illam vocis figuram in misericordia commovenda *flexum vocis* appellat, et *flebilem suavitatem*; et paulo post, *illa flexa et circumducta*.

Non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus, paene canticum) Ernestio videbatur legendum *non hic e Phrygia et Caria rhetorum* (scilic.

sed ille, quem significat Demosthenes, et Aeschines, quum alter alteri obiicit vocis flexiones; et huic plura etiam Demosthenes, illumque saepe dicit voce dulci et clara fuisse. In quo illud etiam notandum mihi videtur ad studium persequendae suavitatis in vocibus. Ipsa enim natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra tertiam: quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria. Ac vocis quidem bonitas optanda est; non est enim in nobis; sed tractatio, atque usus in nobis. Ergo ille princeps variabit et mutabit; omnes sonorum, tum intendens, tum remittens, persequetur gradus; idemque motu sic utetur, nihil ut desit, aut supersit in gestu. Status erectus et celsus: rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata, eaque rara: nulla mollitia cervi-

cantus), *quorum epilogus paene cantum*. Si sic esset in bonis Mss. Codd. non aspernerem; sine libris ita corrigere haud necessarium Quintilianus XI, 3, 58 hunc locum respiciens: « Nam Cicero, inquit, illos ex Lycia et Caria rhetores *paene cantare in epilogis* dixit. »

Et huic plura etiam Demosthenes, illumque saepe dicit voce dulci et clara fuisse) Vulgo *dicit plura etiam* etc. Gurlf. 2, *dicit etiam plura*. Lambinus repetiit *obiicit*. Ernestius *dicit* delendum, et *obiicit* intelligendum censuit. Nos *et huic* scribere maluimus, scil. Aeschini. Id concinnius respondet verbis, *alter alteri obiicit*. Ceterum in Demosthenis oratione pro Ctesiphonte nullus est locus, quem Cicero hic respicere potuerit, praeter istum, iam a Strebaeo excitatum c. 97 ἐπ' ἐμοὶ τὸ τοιοῦτο παρὰ ῥήτωρ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας, ὥσπερ πνεῦμα, ἐφάνη, καὶ πεφωνασκηκώς, καὶ συνειλοχὼς ῥήματα καὶ λόγους συνείρει τούτους σαφῶς καὶ ἀπνευστί, nisi velis referre ad hoc trahere, quae sequuntur ἀλλ' ἐπαρεῖς τὴν φωνήν, καὶ γεγηθὼς, καὶ λαρυγγίζων. Quidquid sit, Cicero hic sententiam potius quam verba Demosthenis reddidit.

Nihil ut desit, aut supersit in gestu) Vulg. *nihil ut supersit in gestu*. At cur Cicero h. l. tantum id quod nimium est in gestu tangeret, et *nihil ut desit* omitteret monere? Quintilian. IX, 4, 184 plenius: *si quidquam superest aut deest*.

Rarus incessus, nec ita longus) Quintilian XI, 3, 126 *Conveniens etiam ambulatio quaedam, propter immodicas laudationum moras* (h. e. quum clamores plaudentium oratorem morantur) *quamquam Cicero rarum incessum neque ita longum probat*.

Excursio moderata, eaque rara) Quintil. ibid. *Procursio opportuna, brevis, moderata, rara*.

cum, nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens. trunco magis toto se ipse moderans, et virili laterum flexione, brachii proiectione in contentionibus, contractione in remissis. Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem, tum venustatem? in quo quum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna moderatio. Nam ut imago est animi vultus, sic indices oculi: quorum et hilaritatia, et vicissim tristitiae modum res ipsae, de quibus agetur, temperabunt.

19. Sed jam illius perfecti oratoris et summae eloquentiae species exprimenda est: quem hoc uno excellere, cetera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inventor, aut compositor, aut actor, haec complexos est omnia, sed et graece ab eloquendo ῥήτωρ, et latine *eloquens* dictus est. Ceterarum enim rerum, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat: dicendi autem, id est eloquendi, maxima vis soli huic conceditur. Quamquam enim et philosophi quidam ornate loqueti sunt (si quidem et Theophrastus

Nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens trunco magis toto se ipse moderans, et virili laterum flexione) Quia participium moderans ad oratorem referendum, ob vicioism verborum articulus cadens aptius esset. *trunco magis toto se ipse moderans virili utetur laterum flexione* etc. Vulgatam tamen lectionem Quintilianus tuetur XI, 3, 122. « *Facit etiam aliquid et totius corporis motus adeo ut Cicero plus illo agi quam manibus quis putet* (quod tamen e Ciceronis verbis exire haud videtur). *Ita enim dicit in Oratore nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens; trunco magis toto se ipse moderans et virili laterum flexione* ».

Tum oculorum est quaedam) Sic ed Ornrib Victor recte. Vulgo *tum oculorum quaedam*.

Quem hoc uno excellere) Vulg additur *id est oratione*, quod nec Victor Pusanus legisse videtur, et vel propterea glossematis suspicionem movet, quod Cicero h. l. etymon *eloquentis*, non *oratoris*, explicat, ct, si quid etumnodi addere voluisset, certe *id est eloquentia*, *non id est oratione* scripsisset. Itaque haec verba e texto eieci In Guelf. 1 est *qui sunt in oratione*.

divinitate loquendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit, et Xenophontis voce Musas quasi loquutas ferunt; et lunge omnium, quicunque scripserunt, aut loquuti sunt, exstitit et suavitate et gravitate princeps Plato); tamen horum oratio neque nervos, neque aculeos oratorios ac forensee habet. Loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quam incitare. Sic de rebus placatis, ac minime turbulentis, docendi causa, non capiendi, loquuntur; ut in eo ipso, quod delectationem aliquam diceodo aucupeotur, plus nonnullis, quam necesse sit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, secernere. Mollis est enim oratio philosophorum, et umbratilis, nec seotentiis, nec verbis instructa popularibus, nec vincta nu-

° *Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit*) Cic. de Orat III.35, sic de eadem (ut videtur) re loquitur. *Aristoteles, quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret ... mutavit repente totam formam prope disciplinae suae ... Itaque ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit.* Et in Tuscul. I, 4: *Aristoteles ... quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit adolescentes docere*. Ex his duobus locis mihi videtur hic legendum esse: *Aristotelem Isocrates ipsum lacessivit*. PEARC.

Exstitit et suavitate et gravitate princeps Plato) Vulgo pessima omissione: *exstitit et gravitate princeps Plato*. Nizolius quidem legit: *extitit et copia dicendi et gravitate*. Lambin. *et ubertate et gravitate*. Praestat autem quod Gruterus e Mss. eruit *et suavitate et gravitate*. Cf de Divin. I, 36.

† *Neque nervos*) Hoc non est ab soluto capiendum, sed, ut sequens *aculeos*, cum *oratorios ac forenses* conjungendum. *Nervi forenses* de vi persuadendi motibus numerorum excitata roborata. *aculei forenses* de ira, indignatione, invidia in adversarios concitata.

Sic de) Abest Gualf. 1. Idem paulo post omittit *loquuntur*; quibus vestigiis deprehendere liceat hanc lectionem forsan veriorem *Loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quam incitare, de rebus placatis, ac minime turbulentis, docendi causa, non capiendi*.

Nec vincta) Ed. Omnib. nec *juncta*. Et ante Ernestium adidarunt omnes, quos vidi. Ille autem: « *vincta*, inquit, edidi pro vulgato *juncta*, quia est proprium in ea re et perpetuum Ciceronis verbum, quod et accurate verbo *solutae* opponitur. Verba quidem dicuntur *unga*, ut mox cap seq, Sed non *numerus*, verum collocandis, ut ne ultima et prima aspere con-

meris, sed soluta liberius. Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Itaque sermo potius, quam oratio, dicitur. Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est.

Sophistarum, de quibus supra dixi, magis distinguenda similitudo videtur, qui omnes eosdem volunt flores, quos adhibet orator in causis, persequi. Sed hoc differunt, quod, quum sit his propositum non perturbare animos, sed placare potius, nec tam persuadere, quam delectare, et apertius id faciunt, quam nos, et crebrius: concinnas magis sententias exquirunt, quam probabiles: a re saepe discedunt, intexunt fabulas, verba audacius transferunt, eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum: paria paribus referunt,

---

curant, aut fiat hiatus etc. Numeris metrui vincitur oratio, sicut apud poetas maxime, sic et aliquo modo apud oratores. Post et c. 53 clare sunt vincula numerorum. In hac tanta evidentia necesse fuit recipere vincta, etsi nullis libris auctoribus Vincta et iuncta saepe, ut vel alibi, permutantur in edd. pp. Sic supra c. 13 in arte quadam vincisse verba ed. Med. habet iuncisse. » Hactenus ille, recte quidem et intelligenter. Ecce autem accedit Guelf. 1 auctoritas, in quo legitur uincta.

* *Nihil iratum*) Id est, quod iram concitet audienti: nihil invidum, quod invidiam moveat: nihil atrox, quod exaggeret facinus: nihil mirabile, quod audienti afferat stuporem: nihil astutum, quod capiat fallatque disceptatorem: sed est casta atque popularium opinionum corruptela, custos veritatis illius naturalis, virgo incorrupta quodam modo, simplex oratio, integerrima virtutis indagatrix. Intellige orationem Platonis, Xenophontis, Theophrasti, et optimorum, non istorum qui se vocant philosophos, quum sint tamen infantissimi. Oratio eloquentis invidet, atrociter adauget, admirationem inducit, astutiam tradit, se commiscet populari contagione, ut ad sanitatem revocet: audax irrumpit, et tanquam virago et Amazonum fortissima aditum rumpit, quaeritque victoriam. STREB.

Dicitur) Guelf. 1, *docetur*.

Verba audacius transferunt) Vulgo: verba *apertius transferunt*, quod primum ideo incommodum est, quia translationes semper apertae sunt, nec alia ulla potest apertior esse; deinde quia paulo ante iam positum erat, et proprio quidem in loco, *apertius*. Et in cap. 59. *Nam et transferunt verba, quum crebrius, tum etiam audacius.*

adversa contrariis, saepissimeque similiter extrema definiunt.

20. Huic generi historia finitima est, in qua et narratur ornate, et regio saepe aut pugna describitur; interponuntur etiam conciones et hortationes: sed in his tracta quaedam et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio.

Ab his non multo secus, quam a poetis, haec eloquentia, quam quaerimus, sevocanda est. Nam etiam poetae quaestionem attulerunt, quidnam esset illud, quo ipsi differrent ab oratoribus. Numero maxime videbantur antea, et versu. nunc apud oratores iam ipse numerus increbruit. Quidquid est enim, quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiamsi abest a versu (nam id quidem orationis est vitium), numerus vocatur, qui graece ῥυθμὸς dicitur. Itaque video visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatius feratur, et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poema putandum, quam comicorum poetarum; apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. Nec tamen id est poetae maximum; etsi est

* *Similiter extrema definiunt*) Pro finiunt, describunturque ὁμοιοτέλευτα, quae infra c. 52 *similiter desinentia* dicuntur.

* *Poetae quaestionem*) Id est, ut dubitaremus efficerunt, quidnam esset illud, quo ipsi differrent ab oratoribus. Numero maxime videbantur antea, et versu, hunc quum Homerus, Hesiodus, Euripides, aliique veteres scripserunt ante tempora Thrasymachi et Isocratis, qui primi numeros invenerunt. Vt autem cetera, sic etiam numerus poeticus ab oratorio differt. In illo certi atque numerati pedes. In hoc pedes quidem sunt, sed neque certi, neque numerati. In illo certa spatia, certi ordines, certique fines: oratorio numero neque certa spatia, neque certi ordines, neque certi fines, sed ad unicam mensuram longis et brevibus ad finem usque decurrit. STRAB.

Nunc apud oratores iam ipse numerus increbruit) Non satis apparet, quam vim hic habeat *ipse*, malim: *nunc apud oratores etiam numerus increbruit*, vel *nunc apud oratores iam ipsos numerus increbruit*.

eo laudabilior, quod virtutes oratoris persequitur, quum verso sit adstrictior. Ego autem etiamsi quorumdam grandis et ornata vox est poëtarum, tamen in iis cum licentiam statuo maiorem esse, quam in nobis, faciendorum iungendorumque verborum, tum etiam nonnulli aurium voluptati vocibus magis, quam rebus inserviunt. Nec vero, si quid est unum inter eos simile, propterea ceterarum rerum dissimilitudo intelligi non potest: sed id nec dubium est, et, si quid habet quaestionis, hoc tamen ipsum ad id, quod propositum est, non est necessarium. Seiunctus igitur orator a philosophorum eloquentia, a sophistarum, ab historicorum, a poëtarum, explicandus est nobis, qualis futurus sit.

21. Erit igitur eloquens (hunc enim, auctore Antonio, quaerimus) is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare, necessitatis est: delectare, suavitatis: flectere, victoriae. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest

Tamen in iis) Sic adidi pro vulg. *in ea*. Nam quia sequitur *tum* — *inserviunt*, verba *licentiam statuo maiorem esse* malim referantur ad *in iis*, scil. poetis, quam ad *in ea*, scil. voce poetarum.

Tum etiam nonnulli aurium voluptati vocibus magis, quam rebus inserviunt) Inepte vulgo *tum etiam nonnullorum voluptati*. Cur enim poëtae *nonnullis* tantum auditoribus aut lectoribus inserviant? Itaque sic, ut feci, corrigendum erat. Sunt nimirum quidam poetae, non omnes, qui magis ad studium vocibus, h. e. verbis bene sonantibus, et versibus placendi, quam rebus et phantasmatibus. Lambinus dedit: *tum etiam auditorum voluptati*.

Nec vero, si quid est unum inter eos simile) Glossatoris emblema, *id autem est indicium electaeque verborum*, quod nimis patienter adhuc toleratum fuerat, eliminavi.

* *Nec vero si quid est*) Unum inter eos simile est, indicium, electioque verborum, quod utrique, ut audimus, electis verbis, compositis, modificatis, numeroque comprehensis utuntur. Quod accipe dictum de elocutione: alioqui multa sunt inter eos similia, multaque dissimilia, tum in inventione, tum in collocatione. Sed id nihil habet quaestionis, id est, controversiae: at si quid habet, ad id quod propositum est, non est necessarium quoniam de elocutione, non de inventione, et dispositione proposita quaestio est. STREB.

Explicandus) Ernestius corrigit *explicandum*.

plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi. Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo: in quo uno vis omnis oratoris est. Magni igitur iudicii, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille, et quasi temperator huius tripartitae varietatis. Nam et iudicabit, quid cuique opus sit; et poterit, quocunque modo postulabit causa, dicere. Sed est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum, sapientia. Vt enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam, quid deceat, videre. Πρέπον appellant hoc Graeci: nos dicamus sane *decorum*. De quo et praeclare multa praecipiuntur, et res est cognitione dignissima. Huius ignoratione non modo in vita, sed saepissime et in poëmatis, et in oratione peccatur. Est autem, quid deceat, oratori videndum non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum · semperque in omni parte orationis, ut vitae, quid deceat, est considerandum; quod et in re, de qua agitur, positum est, et in personis et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt. Itaque hunc locum, longe et late patentem, philosophi solent in officiis tractare (non quum de recto ipso disputant; nam id quidem unum est), grammatici in poëtis, rhetores

* *Quid cuique opus est*) I. e. quid cuique causae utile sit.

De quo et praeclare multa praecipiuntur) Ita Strebaeus, melius vulgato: *de quo praeclare et multa praecipiuntur*.

Non quum de recto ipso disputant; nam id quidem unum est) Parum abest, quin mihi persuadeam, haec ab interpolatore quodam adiecta esse.

Rhetores in omni et genere et parte causarum) Pessime hic scribitur vulgo: *eloquentes in omni et genere et p. c.* Quo autem sensu dici posset, *eloquentes*, h. e. *oratores*, in omni genere et parte causae locum de decoro tractare? Nam verbum *tractare* h. l. de theoretica disputatione poni manifestum est ex antecedentibus Sic c. 12 *haec tractasse Thrasymachum re-*

in omni et genere et parte causarum. Quam enim indecorum est, de stillicidiis quum apud unum iudicem diras, amplissimis verbis et locis uti communibus; de maiestate populi Romani summisse et subtiliter? Hic genere toto. At persona alii peccant, aut sua, aut iudicum, aut etiam adversariorum; nec re solum, sed saepe verbo. Etsi enim sine re nulla vis verbi est, tamen eadem res saepe aut probatur, aut reiicitur, alio atque alio elata verbo. In omnibusque rebus videndum est, quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis.

22. Magnus esset locus hic, Brute, quod te non fugit, et magnum volumen aliud desiderat: sed ad id, quod agitur, illud satis. Quum hoc decere (quod semper usurpamus in omnibus dictis et factis, minimis et maximis), quum hoc, inquam, decere dicamus, illud non decere, et id usquequaque quantum sit, appareat; in alioque ponatur, aliudque totum sit, utrum *decere*, an *oportere* dicas; (oportere enim, perfectionem declarat officii, quo et semper utendum est, et omnibus: decere, quasi aptum esse, consentaneumque tempori et personae; quod cum in factis saepissime, tum in dictis valet, in vultu denique, et gestu, et incessu; contraque item dedecere: quod si poeta fugit, ut maximum

ferunt Itaque certissimum est, h. l. *pro eloquenter* scribendum esse *rhetores*, h. e. magistri eloquentiae, qui locum de decoro explicabant in omni genere et parte causarum.

Etsi enim sine) Particulam *enim*, quae vulgo abest, neutiquam commode abesse potest, praeeunte Lambino inserui.

Magnus esset) Sic etiam Guelf. 1, et recte defenditur *esset* ab Heusingero, hoc sensu: *magnus esset hic locus, nisi aliud ageremus*. Itaque nihil opus erat *esset* in *est* mutare, quod fecit Ernestius.

Quum hoc, inquam, decere dicamus, illud non decere, et id usquequaque, quantum sit, appareat) Lambinus delenda censuit verba: *dicamus illud non decere, et id*.

vitium, qui peccat etiam, quum probam orationem affingit improbo, stultove sapientis; si denique pictor ille vidit, quum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, moestior Vlysses, moereret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari; si denique histrio, quid deceat, quaerit: quid faciendum oratori putemus?) sed, quum hoc tantum sit, quid in causis, earumque quasi membris faciat, orator viderit; illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas, alias alia forma dicendi esse tractandas.

23. Sequitur, ut cuiusqua generis nota quaeratur, et formula. Magnum opus, et arduum, ut saepe iam diximus: sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus; nunc quidem iam, quocunque feremur, danda nimirum vela sunt.

Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam vocant Atticum. Summissus est, et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus, quam opinione, differens. Itaque eum qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut, etiamsi illis maximis viribus careat, sit (ut ita dicam) integra valetudine. Primum igitur eum tanquam a vinculis numerorum eximamus.

Si denique pictor) Ernestius etb si deinde pictor, quia sequitur si denique histrio.

* *Pictor ille*) Timanthes pictor ingeniosissimus, cuius est tabella Iphigeniae stantis ad aras et perituree De qua Plinius lib XXXV, c. 10 Pavst.

Immolanda Iphigenia) Ernestius conj. in immolanda Iphigenia.

* *Etsi enim non plurimi sanguinis est*) Haec verba referuntur ad illa nam orationis illa subtilitas, ne quis forte haec putet de ipso oratore praedicari Sic c. 27: *hoc in genere nervorum vel minimum, sanguinis autem est vel plurimum*

Sunt enim quidam (ut scis) oratori numeri, de quibus mox agemus, observandi ratione quadam, sed alio in genere orationis, in hoc omnino relinquendi. Solutum quiddam sit, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. Verba etiam verbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis. Sed erit videndum de reliquis, quum haec duo ei liberiora fuerint, circuitus, conglutinatioque verborum. Illa enim ipsa contracta et minuta non negligenter tractanda sunt; sed quaedam etiam negligentia est diligens. Nam ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat: sic haec subtilis oratio etiam incomta delectabit. Fit enim quiddam in utroque, quo sit venustius, sed non ut appareat. Tum removebitur omnis insignis ornatus,

* *Solutum quiddam sit*) Idem quod paulo post non ingratam negligentiam vocat, h. l. potissimum de neglectu numerorum in articulis, membris, et periodis orationis.

* *Coagmentare*) Quod postea conglutinationem verborum dicit, qua studiose vocalium hiatus vitantur.

* *Illa enim ipsa contracta et minuta*) Sic appellat brevia illa et angusta κόμματα et κῶλα, quae in genere tenui usurpantur, multum illa quidem a circuitu verborum grandiore et latiore discrepantia, neque tamen omnis artis expertia. Ernestius opinabatur, *contracta* dici ea, in quibus esset *hiatus*, falso; nam *distrahere vocales* est hiatum facere. Nusquam *contrahere* sic ponitur. *Contracta* sunt brevia, sic Brut. c. 44 *ambitus verborum contractus et brevis*.

Quas id ipsum deceat) *Quas* recte dedere Ald. et Iunt., quum in edd. pr. esset *quos*, quod in Mss. repertum placuit Grutero. Male Litera ultima adhaesit a sequente verbo. Si *quos* verum esset, sensus praecedentis non esset perfectus, legendumque foret *laudatur*, aut simile quid. Ms. Vitemb. habet *quas*. Ern.

Delectabit) Ita rescripsi pro vulg. *delectat*. Est enim praecipientis, ut paulo post *removebitur*.

* *In utroque*) Scilicet ut in muliere, quae dicitur inornata, sic in hac subtili oratione.

* *Tum removebitur*) In pulcherrima hac allegoria *margaritae* denotant illustria illa sententiarum lumina, quae in tenue dicendi genus non cadunt, et quorum exempla cap. 25 afferuntur. Acutus enim ille orator »non faciet rempublicam loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec

quasi margaritarum; ne calamistri quidem adhibebuntur. Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur; elegantia modo, et munditia remanebit. Sermo purus erit, et latinus; dilucide planeque dicetur; quid deceat, circumspicietur.

24. Vnum aderit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud, suave et affluens; acutae crebraeque sententiae ponentur, et nescio unde ex abdito erutae, atque in hoc oratore dominabuntur. Verecundus erit usus oratoriae quasi supellectilis. Supellex est enim quodammodo nostra, quae est in ornamentis, alia rerum, alia verborum. Ornatus autem verborum, duplex: unus simplicium, alter collocatorum. Simplicium probatur in propriis usitatisque verbis, quod aut optime sonat, aut rem maxime explanat: in alienis, aut translatum, et sumtum aliunde, ut mutuo; aut factum ab ipso et novum;

acervatim multa frequentans una complexione devinciet.» *Calamistri* significant quaesitas illas venustates, quas iisdem dicit eidem oratori fugiendas, ut paria paribus relata, et similiter conclusa, eodemque pacto cadentia etc. *Fucati* denique *candores et ruboris medicamenta* sunt, quae dicuntur dulcis orationis vitia, significatur affectata verborum concinnitas et id genus alia.

Ornatum illud, suave et affluens) Vocabulum *ornatum* an hic genuinum sit, valde dubito. Nam de ornamentis deinde dicit, ubi de usu oratoriae supellectilis in genere tenui agit. Hoc autem loco legendum videtur *solutum, suave et affluens*, ut c. 13 occurrebat *dulce orationis genus et solutum et effluens*.

* *Ornatus autem verborum duplex, unus simplicium, alter collocatorum, Simplicium probatur in propriis usitatisque verbis, quod aut optime sonat, aut rem maxime explanat*) Vulgo male *simplex probatur in propriis* etc. quasi Cicero ornatum simplicem dixerit, quum tamen de ornatu simplicium verborum agat. Ergo sic erat, ut fecimus, corrigendum. Sensus est simplicium verborum, si spectes propria et usitata verba, probatur illud, quod vel optimo sono, vel dilucida rei explanatione commendatur. Lambinus dederat *sonant — explanant*.

Aut translatum, et sumtum aliunde, ut mutuo) Sic Lambinus correxit vulg. *aut translatum aut factum aliunde, ut mutuo*. Ernestius item dedit *sumtum*, quasi id primus reperisset: hactenus bene; nisi quod *aut sumtum* scripsit; quum hic non sit locus particulae disiunctivae.

Aut factum ab ipso et novum) Sic

aut priscum et inusitatum. Sed etiam inusitata, ac prisca sunt in propriis, nisi quod raro utimur. Collocata autem verba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat, manente sententia. Nam sententiarum ornamenta, quae permaneant, etiamsi verba mutaveris, sunt illa quidem permulta, sed, quae emineant, pauciora. Ergo ille tenuis orator, modo sit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus, et parcus in priscis, reliquisque ornamentis et verborum et sententiarum demissior. translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum: siquidem est eorum, *gemmare vites*, *lascivire agros*, *laetas esse segetes*, *luxuriosa frumenta*. Nihil horum partum audacter, sed aut simile est illi, unde transferas: aut, si res suum nullum habet nomen, docendi causa sumtum, non ludendi, videtur. Hoc ornamento liberius paulo, quam ceteris, utetur hic summissus. nec tam licenter tamen, quam si genere dicendi uteretur amplissimo.

25. Itaque illud indecorum (quod quale sit, ex decoro debet intelligi) hic quoque apparet, quum ver-

necessario scribendum erat, non, ut vulgo editur, *aut factum ab ipso aut novum*. Tria enim sunt verborum alienorum genera: translata, nova, prisca. Singula haec Cicero binis verbis exprimit; itaque ut dicit *translatum ET sumtum aliunde*, ac deinde *aut priscum ET inusitatum*, sic h. l. esse debet *aut factum ab ipso ET novum*.

Lascivire agros) Hanc lectionem ed. Venet. auctoribus Ernestio et Schneidero praetuli vulgatae *sitire agros*. Nam ut Ernestius monuit, *sitire agros* esset poeticum, quum *lasciva* de agris, pecoribus etiam vulgo diceretur.

Nihil horum partum audacter) Sic emendavi, quod adhuc sine sensu legebatur in edd. *Nihil horum parum audacter*.

Sed aut simile est illi, unde transferas: aut, si res suum nullum habet nomen, docendi causa sumtum, non ludendi videtur) Si Cicero hic de primis illorum metaphorarum inventoribus loquatur, scribendum est: *unde transferrent, aut, si res suum nullum haberet nomen*. Lectio nau recepta stare potest, si alii, qui iisdem me-

bum aliquod altius transfertur, idque in oratione humili ponitur, quod idem in alta deceret. Illam autem concinnitatem, quae verborum collocationem illuminat his luminibus, quae Graeci, quasi aliquos gestus orationis, σχήματα appellant (quod idem verbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur), adhibet quidem hic subtilis (quam, nisi quod solum, ceteroquin recte quidam vocant Atticum), sed paulo parcius. Nam, sicut in epularum apparatu, a magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet; eliget, quibus utatur. Non sunt enim peraeque apta huius ipsius oratoris, de quo loquor, parsimoniae. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata, et similiter conclusa,

taphoris utuntur post primos inventores, minuuntur.

Quod idem in alta deceret) Vulgo *quod idem in alio deceret*. At alta hic significantius *humili* opponitur. Sic infra c. 57, *humilis oratio et abiecta* componitur cum *alta et exaggerata*.

Nam, sicut) Ed. Med. Ald. Iunt. al. habent *nam, et ut in epularum apparatu*. Nec hoc male, inquit Ernestius. Immo pessime. Nam necessario scribi debet *sicut*. Sententia haec est: *Nam, sicut in epularum apparatu hospes a magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem* (qui non vilia quaevis apponat, sed selecta) *videri volet*, *ita orator ille parcius adhibebit orationis lumina, sed tamen eliget quibus utatur*.

Non sunt enim peraeque apta huius ipsius oratoris, de quo loquimur, parsimoniae) Misere turbabatur connexio sententiarum lectione vulgari: *sunt enim pleraeque aptae huius* etc. Ac generis quidem vitium facile correxit Lambinus legendo: *sunt enim pleraeque apta*. Sed hac medela non sustulit gravius perturbati sensus vitium. Quum enim Cicero dixisset, oratorem tenuem istis ornamentis uti quidem, sed paulo parcius, et electurum quibus utatur: nullo modo quadraret, si adiiceret: *sunt enim pleraeque apta huius oratoris parsimoniae*. Immo causa eligendi quibus utatur, hac sententia potius continetur, *non sunt enim peraeque apta huius oratoris parsimoniae*. Itaque ea quae sequuntur, optime cohaerent. *Nam illa — huic acuto fugienda sunt*. Librarii, qui primum invexerant lectionem *sunt enim pleraeque*, decepti sunt loco, qui paulo post sequitur, ubi auctor: *sed pleraque*, inquit, *ex illis convenient etiam huic tenuitati*. Huius vero alia ratio est. Nam postquam excluserat Cicero ex regione generis dicendi tenuis ea sententiarum lumina, quae nimis essent illustria, subiicit, pleraque tamen ex illis sententiarum luminibus etiam huic tenuitati convenire.

* *Paria paribus relata*) Παρισον

eodemque pacto cadentia; et immutatione literae quasi quaesitae venustates; ne elaborata concinnitas, et quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. Itemque si quae verborum iterationes contentionem aliquam, et clamorem requirent, erunt ab hac summissione orationis alienae, ceteris promiscue poterit uti; continuationem verborum modo relaxet, et dividat, utaturque verbis quam usitatissimis, translationibus quam mollissimis: etiam illa sententiarum lumina assumat, quae non erunt vehementer illustria. Non faciet rempublicam loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. Valentiorum haec laterum sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut exspectanda, aut postulanda. Erit enim ut voce, sic etiam oratione suppressior. Sed pleraque ex illis convenient etiam huic tenuitati: quamquam iisdem ornamentis utetur horridius. Talem enim inducimus. Accedet actio non

Graeci dicunt quum membrum unum alteri prope ex aequo respondet. Cuiusmodi est illud Ciceronis ad Quint. Fratr lib II, ep 11 *Te vero ut me appelles, et interpelles, et obloquare, et colloquare velim* Pruyt

* *Similiter conclusa*) Quum voces simili sono clauduntur, et in illis versiculis ab Hadriano imperatore moriente, ut refert Spartianus, compositis *Animula, vagula, blandula, Hospes, comesque corporis, Quae nunc abibis in loca Pallidula, rigida, nudula, Nec, ut soles, dabis iocos* Id.

* *Immutatione literae*) Quale est illud Ovidii de Arte Am I, 244 *Et Venus in vinis, ignis in igne fuit* Id.

Quasi quaesitae venustates) Lambinus delet *quasi*, quod non displicet. Ac fortasse transponendum est ante verbum *aucupium*, et legatur et *quoddam quasi aucupium delectationis*.

* *Iterationes*) Qualis est haec I Catilinaria num 4 *Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam* Pruyt.

Continuationem verborum modo relaxet et dividat) I. e. interponat membra periodis et breviores faciat Ern.

Translationibus quam mollissimis, etiam illa sententiarum lumina assumat) Malim, puncto post *mollissimis* posito, scribi *Etiam illa sententiarum lumina assumet*. Et *assumet* quidem iam Lambino placuit.

* *Actio non tragica, nec scenae*) Ubi scena tragoediae opponitur, comoedia significatur, aut mimus Sic de Orat III, 27, *scenica venustas* pro *comica*.

tragica, nec scenae, sed modica iactatione corporis, vultu tamen multa conficiens; non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronuntient.

26. Huic generi orationis aspergentur etiam sales, qui in dicendo nimium quantum valent: quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Vtetur utroque, sed altero in narrando aliquid venuste, altero in iaciendo, remittendoque ridiculo: cuius genera plura sunt: sed nunc aliud agimus. Illud admonemus tamen, ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimia frequenti, ne scurrile sit; nec subobsceno, ne mimicum; nec petulanti, ne improbum; nec in calamitatem, ne inhumanum; nec in facinus, ne odii locum risus occupet; neque aut sua persona, aut iudicum, aut tempore alienum. Haec enim ad illud indecorum referuntur. Vitabit etiam quaesita, nec ex tempore ficta, sed domo allata: quae plerumque sunt frigida. Parcet et amicitiis, et dignitatibus: vitabit insanabiles contumelias: tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modo. Quibus exceptis sic utetur sale et facetiis, ut ego ex istis novis Atticis talem cognoverim neminem, quum id certe sit vel

Modica iactatione corporis) Ex oppositione *vultu tamen multa conficiens*, intelligitur *modica* hic esse nominativum, et actionis, non iactationis, ἄνδρας.

* *Altero in iaciendo remittendoque ridiculo*) Quintil. VI, 3, 42. *In narrando autem Cicero consistere facetias putat, dicacitatem in iaciendo.* Scripsi autem *remittendo*, quum vulgo sit *mittendoque*. In quo frigida esset ταυτολογία. Nam *mittere ridiculum* et *iacere* prorsus eadem sunt. *Remittere* autem *ridiculum* est i. q. cavillationi salse respondere; metaphora a pilae lusu sumta, ubi dicitur *remittere pilam*. Senec. de Benef. II, 132. Quintilianus idem vocavit *repercutere* Instit. orat. VI, 3, 45. *Sed auctor est illa atque velocior in urbanitate brevitas. Cuius quidem duplex est forma, dicendi ac respondendi. Sed ratio communis in parte,* (ubi *in parte* more Quintiliani dicitur pro *partim*, etsi Spaldingius V. Cl. nuper recepit *communis in partem*) *nihil enim in lacessendo dici potest, quod non etiam in repercutiendo, at propria quaedam sunt respondentium.*

maxime Atticum. Hanc ego iudico formam summissi oratoris; sed magni tamen, et germani Attici: quoniam, quidquid est salsum, aut salubre in oratione, id proprium Atticorum est: e quibus tamen non omnes faceti, Lysias satis, et Hyperides; Demades praeter ceteros fertur; Demosthenes minus habetur; quo quidem mihi nihil videtur urbanius: sed non tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc maioris artis.

27. Vberius est aliud, aliquantoque robustius, quam hoc humile, de quo dictum est; summissius autem, quam illud, de quo iam dicetur, amplissimum. Hoc in genere, nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum;

* *Summissi oratoris, sed magni tamen*) Ne quis hunc oratorem contemnendum putet, quia summisse ait et in tenui genere elaboret, additur *sed magni tamen*. Sic infra cap 28. *Qui in illo subtili et acuto elaboravit, ut callide arguteque diceret, nec quidquam altius cogitaret, uno hoc perfecto, magnus orator est, et non maximus.*

Proprium) Ms. Ox. ψ, *proprie.*

Est autem illud acrioris ingenii, hoc maioris artis) Mirum est, h. l. Gothofredo adeo obscurum visum esse, ut eum vel corruptum vel transponendum iudicaret. Dicacitatem est Cicero acrioris ingenii esse, quia in iaciendo remittendoque ridiculo celeritate opus est, facetias autem in narrando maioris artis esse, quia narrationis venustas certis legibus continetur.

Hoc in genere nervorum vel minimum, sanguinis autem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum, quam autem illud ornatum copiosumque summissius) Vulgo ista sic leguntur: *Hoc in genere nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum.* (Lambin. *suavitatis haud scio an plurimum*). *Est enim plenius, quam hoc enucleatum; quam autem illud ornatum copiosumque summissius.* Quibus in verbis primum nos offendit *suavitatis*, quod si ferimus, inanis exsistit eiusdem sententiae repetitio, quia mox sequitur: *plurimumque est in hac orationis forma suavitatis.* Nec satis bene opponitur *suavitas nervis*. Itaque rescripsi *sanguinis autem est vel plurimum*, quod ad copiam spectat in genere medio quam in tenui maiorem et uberiorem. Nam de genere tenui dictum erat, *id non plurimi sanguinis esse*, cap 23. Porro quum dicitur, medium genus esse *plenius*, quam hoc enucleatum, eo ipso exponitur, quid significet, in eo sanguinis vel plurimum esse. Tandem pro *summissius* edidi *remissius*. Quod enim in medio genere dictum erat esse *nervorum vel minimum*, id nunc exponitur sic, ut *remissius esse* perhi-

quam autem illud ornatum, copiosumque, summissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est, in hac orationis forma, suavitatis. In qua multi floruerunt apud Graecos; sed Phalereus Demetrius meo iudicio praestitit ceteris; cuius oratio cum sedate placideque labitur, tum illustrant eam, quasi stellae quaedam, translata verba, atque immutata. Translata ea dico, ut saepe iam, quae per similitudinem ab alia re, aut suavitatis aut inopiae causa, transferuntur. Immutata, in quibus pro verbo proprio subicitur aliud, quod idem significet, sumtum ex re aliqua consequenti. Quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, quum dixit Ennius *arcem et urbem orbas*: alio modo, si pro patria arcem dixisset: et *horridam*

beatur, quam genus amplissimum. Nervosa enim oratio et acris et vehemens, quae scilicet in foro saepe est utendum. Hinc *nervi forenses*; quibus opponitur oratio brevis, mollis et remissior.

* *Illud ornatum*) Nempe genus amplissimum κατ' ἐξοχὴν dicitur ornatum, non quod cetera ornamenta omnia desint, sed quia hoc est omnium ornatissimum. Cf cap. 28 init.

Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt) Aut Cicero parum constans sibi fuit, aut scripsit: *huic fere omnia dicendi ornamenta conveniunt*. Infra enim de hoc genere medio: *in idem*, inquit, *verborum lumina cadunt omnia, multa etiam sententiarum*.

Immutata) Ita erat scribendum, non ut vulgo, *mutata*. Nam verba per metonymiam aut hypallagen posita semper Cicero *immutata* vel *summutata*, nunquam simpliciter *mutata* vocat, ipsumque hunc tropum *immutationem*. Sic paulo post: *immutationes nusquam crebriores*; et de Orat. III, 43, metonymia dicitur tra-

ductio atque immutatio.

In quibus pro verbo proprio proprium subicitur aliud) Vulgo *in quibus pro verbo proprio subicitur aliud*. In Guelf. 3 *proprio* abest. Quod edidimus firmatur loco simili de Orat. III, 42, ubi in metonymia dicitur ornandi causa verbum *proprium proprio* commutari.

* *Alio modo transtulit*) Alia est translatio, quum sumit Ennius urbem pro Capitolio, alia, si sumeret *arcem* pro patria. Primus translationis modus refertur ad synecdochen, qua genus ponitur pro specie. Alter ad metaphoram, quae propter similitudinem res una substituitur alteri: ut enim arx et defendit et defendi debet, sic patria cives tuetur, eamque singuli debent tueri. Damus fortasse plusculum coniecturae, sed quid aliud in evolvendis veterum fragmentis expectes? PRUST.

Quum dixit Ennius arce et urbe orba sum) Ita Lambin. Vulg *quum dixit Ennius arcem et urbem orbas*.

Pro patria arcem) Sic metonymia

Africam terribili tremere tumultu quum dicit, pro Afris immutat Africam. Hanc ὑπαλλαγὴν rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis: μετωνυμίαν Grammatici vocant, quod nomina transferuntur. Aristoteles autem translationi haec ipsa subiungit, et abusionem, quam κατάχρησιν vocant: ut, quum *minutum* dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet. Iam quum fluxerunt plures continuae translationes, alia plane fit oratio. Itaque hanc Graeci appellant ἀλληγορίαν, nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat. Haec frequentat Phalereus maxime, suntque dulcissima: et quamquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores. In idem genus orationis (loquor enim de illa modica ac temperata), verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum; latae eruditaeque disputationes ab eodem

fecisset. Lambin *pro patria arcem et urbem*, non male. Ernestius frustra negabat, *si pro patria arcem dixisset* intelligi posse; pronusque erat ad rationem Gruteri amplectendam, qui ductu Mss. Pall. correxerat *si patriam cadere dixisset*.

Immutat) Ms. ap. Gruterum *immutate*, quod ei placet. Placeret et mihi, si verbum esset, unde hoc adverbium penderet. Ex

ὑπαλλαγὴν — μετωνυμίαν) Graecis potius literis haec scribenda duxi, quam, ut vulgo, latinis, *hypallagen — metonymiam*. Sic enim solet Cicero, praesertim ubi explicat aut definit res graecis nominibus appellatas. Et Quintilianus VIII, 6, 23 *Nec procul ab hoc genere discedit μετωνυμία, quae est nominis pro nomine positio, cuius vis est pro eo, quod dicitur, causam propter quam dicitur, ponere*, *sed, ut ait Cicero*, ὑπαλλαγὴν *rhetores dicunt*.

Et abutimur verbis propinquis) Quint. VIII, 6, 35 «Discernendumque est hoc totum a translatione genus, quod *abusio* est, ubi nomen defuit; *transsumtio* (*sic legendum*) ubi aliud fuit. Nam poetae solent abusive etiam in his rebus, quibus nomina sua sunt, *vicinis* potius uti, quod rarum in prosa est».

Itaque hanc Graeci appellant ἀλληγορίαν) Vulgo *itaque genus hoc Graeci* u. n. Sed hoc est incommodum, quia sequitur *genere melius ille*. Quis credat Ciceronem scripsisse *hoc genus genere melius appellant Aristoteles*. Ut igitur antea scripsit *hanc* ὑπαλλαγὴν *rhetores — vocant*; sic h. l. *hanc Graeci appellant* ἀλληγορίαν.

explicabuntur, et loci communes sine contentione dicentur. Quid multa? e philosophorum scholis tales fere evadunt: et, nisi coram erit comparatus ille fortior, per se hic, quem dico, probabitur. Est autem quoddam etiam insigne, et florens orationis, pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum, sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit.

28. Tertius est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus, in quo profecto vis maxima est. Hic est enim, cuius ornatum dicendi, et copiam admiratae gentes eloquentiam in civitatibus plurimum valere passae sunt: sed hanc eloquentiam, quae cursu magno, sonituque ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent. Huius eloquentiae est tractare animos, huius omni modo permovere. Haec modo perfringit, modo irrepit in sensus; inserit novas opiniones, evellit insitas. Sed multum interest inter hoc dicendi genus et superiora. Qui in illo subtili et acuto elaboravit, ut callide arguteque diceret, nec quidquam altius cogitaret; uno hoc perfecto, magnus orator est, si non maximus, minimeque in lubrico versa-

Explicabuntur — dicentur) Ita Gu. 3 probante Heusingero. Sunt enim praecipientis. Vulgo *explicantur — dicuntur*. In ed. Olivet *explicantur — durantur*.

Evadunt) Gu. 3, *evadent*.

Est enim quoddam etiam insigne et florens orationis, pictum et expolitum genus) Heusingero videbatur legendum, *est autem quoddam etiam insigne, et florens orationis pictae et expolitae genus*, in quo tamen autem mihi minime placet. Nam particula *enim* ia tionem significat, cur antea dixerit *e philosophorum scholis tales FERE evadunt*; ac non potius *tales* simpliciter. Quia autem e sophistarum fontibus aliud genus dicendi, idem tamen medium, in forum defluxisse dicturus erat, h. l. ait *est enim quoddam etiam* etc.

Illigantur) Ed. Omnib. *alligantur*.

* *In ea, de qua loquor, mediocritate consedit*) h. e. in genere orationis medio.

bitur, et, si semel constiterit, unquam cadet. Medius ille autem, quem modicum et temperatum voco, si modo suum illud satis instruxerit, non extimescet ancipites dicendi incertosque casus: etiam, si quando minus succedet, ut saepe fit, magnum tamen periculum non adibit. Alte enim cadere non potest. At vero hic noster, quem principem ponimus, gravis, acer, ardens, si ad hoc unum est natus, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studuit uni, nec suam copiam illis duobus generibus temperavit; maxime est contemnendus. Ille enim summissus, quod acute et veteratorie dicit, sapiens iam; medius, suavis; hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, vix satis sanus videri solet. Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere, praesertim quum causae partim totae sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandae; si is non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur.

29. Tenemus igitur, Brute, quem quaerimus; sed animo. Nam manu si prehendissem, ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. Sed inventus profecto est ille eloquens, quem nunquam vidit Antonius. Quis est igitur is? Complectar brevi, disseram pluribus. Is enim est eloquens, qui et humilia subtiliter, et magna graviter, et mediocria temperate

Extimescet — Ita Gu 3, bene. Vulg. *extimescit*

Studuit) Vulg *studet*. Praeteritum ascivi e Gu. 3.

Nec suam copiam illis duobus generibus temperavit) Vulgo *n. s. c. cum illis d. g. temperavit*. At in Gu. 3 melius abest *cum*.

Si is) Ernestius praefert *si as*

Non praeparatis auribus) Malim *n. p. auditoribus*, quod melius responderet verbis *apud sanos* et *inter sobrios*.

Et magna graviter) Gu 3, *et alta graviter*, quod non solum aptius opponitur praecedenti *humilia*, sed etiam variandae orationis causa praeferendum, quum paulo post occurrat *parva summisse* — *magna graviter dicere*.

potest dicere. Nemo is, inquies, unquam fuit. Ne fuerit. Ego enim, quid desiderem, non, quid viderim, disputo; redeoque ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam, et speciem, quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Non enim eloquentem quaero, neque quidquam mortale et caducum, sed illud ipsum, cuius qui sit compos, sit eloquens; quod nihil est aliud, nisi eloquentia ipsa, quam nullis, nisi mentis oculis videre possumus. Is erit igitur eloquens (ut idem illud iteremus), qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere. Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit. Res involutas definiendo explicavimus: ius civile laudavimus: verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius. Temperata oratione ornandi cupiam persequuti sumus. Ius omne retinendae maiestatis Rabirii causa continebatur. Ergo in omni genere amplificationis exarsimus.

30. At haec interdum temperanda, et varianda sunt. Quod igitur in accusationis quinque libris non reperitur genus? quod in Aviti? quod in Cornelii? quod in plurimis nostris defensionibus? quae exempla selegissem, nisi vel nota esse arbitrarer, vel ipsi possent legere, qui

* *De qua dixeram*) De hoc usu plusquamperfecti cf Heusingeri praefationem ad Cic. de officiis. Respicit autem Cicero id quod dixerat supra c. 3. Vtrumque autem locum Quintilianus respexit, et imitatus est I, 10, 4.

* *Non enim eloquentem quaero*) Post *eloquentem* nisi addiderit Cicero, certe intelligi voluit *qui vixerit*. Nempe paulo ante dicebatur: *Tenemus — quem quaerimus*, et *inventus profecto ille est eloquens*. Haec dicuntur de idea eloquentis. Quum autem h. l. dicitur: *non enim eloquentem quaero*, significat eum, quem videre potuerit, qui vixerit.

In accusationis quinque libris) In Gu. 3 est *VII libris*, ut *septem* quoque in Ed. Omnib. Sed verum est *quinque*. Tot enim sunt libri actionis secundae in Verrem. Sic infra c. 49 ex his citatur *liber quartus accusationis*. Item Quintil. XI, 2.

Vel ipsi possent legere) Hanc lectionem eruit e vestigiis scripturae cod. Guelf 3, ubi est *vel opus possent legere*. Illa enim lectio proxior et significantior est quam vulgata *vel possi eligere*. Nempe hoc dicit Cice-

quaererent. Nulla est enim ullo in genere laus, cuius in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio. Si non assequimur: at, quid deceat, videmus. Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus: in quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes; qui quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas; ita sunt avidae et capaces; et semper aliquid immensum infinitumque desiderant. Sed tamen, quoniam et hunc tu oratorem cum eius studiosissimo Pammene, quum esses Athenis, totum diligentissime cognovisti; neque eum dimittis e manibus, et tamen nostra etiam lectitas: vides profecto, illum multa perficere, nos multa conari; illum posse, nos velle, quocunque modo causa postulet, dicere. Sed ille magnus: nam et successit ipse magnis, et maximos oratores habuit aequales. Nos magnum fecissemus, si quidem potuissemus, quo contendimus, pervenire, in ea urbe, in qua (ut ait Antonius) auditus eloquens nemo erat. Atqui, si Antonio Crassus eloquens visus non est, aut sibi ipse; nunquam Cotta visus esset, nunquam Sulpicius, nunquam Hortensius. Nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpicius, nou multa graviter Hortensius. Superiores magis ad omne genus apti, Crassum dico et Antonium. Ieiunas igitur huius multiplicis, et aequabiliter in omnia genera fusae orationis aures civitatis accepimus; easque nos primi, quicunque eramus, et quantulumcunque dicebamus, ad huius generis

ro quae exempla selegissem ex orationibus meis nisi vel nota arbitrarer, vel *ipsi possent orationes legere*, qui eiusmodi exempla *quaererent*

Nullo in genere laus) Vulgo additur *oratibus*, quod in Gu. 3 elegantius omittitur

Si non assequimur) Ita cod. Gud. Vulgo *non assequamur*

Ad huius generis audiendi Vulgo

audiendi incredibilia studia convertimus. Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quae nequaquam satis deferbuisse post aliquanto sentire coepimus: *Quid enim tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant: ita iactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant*; et quae sequuntur. Sunt enim omnia, sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et expectatione, laudata. Ab hac indole iam illa matura: *Vxor generi, noverca filii, filiae pellex*. Nec vero hic erat unus ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus. Ipsa enim illa pro Roscio iuvenilis redundantia, multa habet attenuata, quaedam etiam paulo hilariora; ut pro Avito, pro Cornelio, compluresque aliae. Nemo enim orator tam multa, ne in graeco quidem otio, scripsit, quam multa sunt nostra; eaque hanc ipsam habent, quam probo, varietatem.

males od *huius generis dicendi audiendi*. Abest autem *dicendi* Gu. 3.

* *Quantis illa clamoribus*) plaudentium scilicet.

De supplicio parricidarum) Haec verba absunt a codd Gu 3, et aliquot Gruterianis. Non tamen ideo damnaverim, quia his omissis aures ostenduntur similiter cadentibus clausulis *convertimus, diximus, coepimus*.

Terram non tangant) Hanc lectionem restituit Ernestius ex ed. Ald. Iunt. Gryph. Eandem Gruterus attulit e Mss. Pall. et Path. Alias, *terra non tangat*.

* *Laudata*) Sic Gu. 3. Laudata atque melius vulgato *laudati*. Sensus enim est: eam omnia illa tum homines, non ob ipsam rem et maturitatem, sed quoniam adolescentis erant, spei et expectationis causa laudabant.

* *Vxor generi, noverca filii, filiae pellex*) Verba sunt ex oratione pro Cluentio c. 70, de Sassia Cluentii matre, quae generum suum Melinum quem pellexiaset, ei, divortio cum filia facto, nupserat. Is deinde Cluentium veneno tollere decrevit, ac de veneficio accusatus damnatusque in exsilio periit. Quinto anno post eius damnationem, Sassia filium de veneficio accusavit.

* *Nec vero hic erat unus ardor in nobis*) Sic illa collocantur in Gu. 3. Vulgo: *nec vero hic unus erat ardor in nobis*.

31. An ego Homero, Ennio, reliquis poëtis, et maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnunquam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent: ipse nunquam ab illa acerrima contentione discederem? Sed quid poetas divino ingenio profero? Histriones eos vidimus, quibus nihil posset in suo genere esse praestantius, qui non solum in dissimillimis personis satisfaciebant, quum tamen in suis versarentur, sed et comoedum in tragoediis, et tragoedum in comoediis admodum placere vidimus. Ego non elaborem? Me quum dico, te, Brute, dico. Nam in me quidem iam pridem effectum est, quod futurum fuit. Tu autem eodem modo omnes causas ages? aut aliquod causarum genus repudiabis? aut in iisdem causis perpetuum eundem spiritum sine ulla commutatione obtinebis? Demosthenes quidem, cuius nuper inter imagines tuas, ac tuorum (quod eum, credo, amares) quum ad te in Tusculanum venissem, imaginem ex aere vidi, nihil Lysiae subtilitate cedit, nihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil lenitate Aeschini, et splendore verborum. Multae sunt eius totae orationes subtiles, ut contra Leptinem; multae totae graves, ut quaedam Philippicae; multae variae, ut contra Aeschinem, falsae legationis, ut contra eundem pro causa Ctesiphontis. Iam illud medium quoties vult, arripit, et a gravissimo descendens, eo potissimum delabitur.

Quum tamen in suis versarentur) Numerum commedi in comoediis, tragoedi in tragoediis.

Me quum dico) Sic Gu. 3 ordine verborum concinniore. Vulg. *quum dico me*

Aut in iisdem causis) Gu 3, *aut eisdem causis.*

Perpetuum eundem spiritum) Ita sensus causa rescripsi. Vulg. *perpetuum et eundem spiritum.*

Multae totae graves) Victor. *multae et totae graves.*

* *A gravissimo descendens*) Vulg. *discedens* Illud h. l. metaphoram constantia postulat. Eodem modo q-

clamores tamen tum movet, et tum in dicendo plurimum efficit, quum gravitatis locis utitur. Sed ab hoc parumper abeamus; quandoquidem de genere, non de homine quaerimus: rei potius, id est, eloquentiae vim et naturam explicemus. Illud tamen, quod iam ante diximus, meminerimus, nil nos praecipiendi causa dicturos; atque ita potius acturos, ut existimatores videamur loqui, non magistri. In quo tamen longius saepe progredimur, quod videmus, non te haec solum esse lecturum, qui ea multo, quam nos, qui quasi docere videamur, habeas notiora: sed hunc librum, etiamsi minus nostra commendatione, tuo tamen nomine divulgari necesse est.

32. Esse igitur perfecte eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quae sit eius propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam eius, atque finitimam, dialecticorum scientiam assumere. Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio; nec idem loqui, quod dicere: attamen utrumque in disserendo est; ut disputandi ratio, et loquendi, dialecticorum sit; oratorum autem, dicendi et ornandi. Zeno quidem ille,

scendere et *delabi* opponuntur Partit. or. c. 12.

* *Vt existimatores videamur loqui, non magistri*) infra c. 33 *iudicem esse me, non doctorem volo.*

In quo tamen longius saepe progredimur) Vulgo abest *saepe*, quod addidimus e Gu. 3

Non eam solum) In Gu. 3, *non eam tm*, i. e. *tantum*, et hoc quidem praeferendum, quia paulo ante iam posuerat Cicero *non solum*.

Nec idem loqui) Vulgo additur *esse*, elegantius in Gu. 3 suppressum

Attamen utrumque in disserendo est, ut disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit) Ita correxi quod vulgo sic legebatur: *Attamen utrumque in disserendo est. Disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit.* Emendatio nostra confirmatur simili verborum forma, quae paulo post occurrit *Aristoteles — dixit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae. Vt hoc videlicet differant inter se* etc. Lambini ratio minus convenit, qui transpositione usus locum sic constituit: *quamquam enim aliud videatur esse oratio, aliud disputatio, nec idem loqui esse, quod dicere, et quamquam disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit, oratorum autem dicendi et ornandi, attamen utrumque in disserendo est.*

a quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam quum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam aiebat eiusmodi esse: quum autem diduxerat, et manum dilataverat, palmae illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque ante hunc Aristoteles principio Artis Rhetoricae dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae: ut hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic summo, omnem, quae ad dicendum trahi possit, loquendi rationem esse notam: quae quidem res (quod te his artibus eruditum minime fallit) duplicem habet docendi viam. Nam et ipse Aristoteles tradidit praecepta plurima disserendi, et postea, qui dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Ergo eum censeo, qui eloquentiae laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem; sed vel illa antiqua, vel hac Chrysippi disciplina institutus noverit primum vim, naturam, genera verborum, et simplicium, et copulatorum; deinde quot modis quidque dicatur; qua ratione, verum falsumne sit, iudicetur; quid efficiatur e quoque; quid cuique consequens sit, quidve contrarium; quomque ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi, expla-

Dilataverat) Gu 3, *dilatarat*, melius ad verandum sanum, quia praecedit *diduxerat*.

Atque ante hunc) Ita Gu 3, bene. Vulgo *atque etiam ante hunc*

* *Haec ratio dicendi*) i. e. haec ratio, quae est in dicendo, s. haec ars eloquentiae forensis

Quae ad dicendum trahi possit) Hoc revocavimus editionum plurimarum auctoritate. Male Ernestius ex edit. Venet. *quae ad dicendum trahi possit*.

* *Duplicem habet docendi viam*) Alteram ab Aristotele, alteram a recentioribus dialecticis, Chrysippo potissimum institutam.

Institutus noverit) Ita Gu 3 communius, ut arbitror, vulgari ratione, *institutum. Noverit*. Idem Heusingero placebat

Quid cuique consequens sit, quidve contrarium) Hoc recepi e Gu 3. Adhuc edebatur *quid cui consequens sit, quidque contrarium*

* *Quomodo quidque eorum dividi*)

narique oporteat. Haec tenenda sunt oratori: saepe enim occurrunt. Sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.

33. Et quoniam in omnibus, quae ratione docentur et via, primum constituendum est, quid quidque sit (nisi enim inter eos, qui disceptant, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest): explicanda est saepe verbis mens nostra de quaque re, atque involuta rei notitia definiendo aperienda est: siquidem definitio est oratio, quae, quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime. Tum, ut scis, explicato genere cuiusque rei, videndum est, quae sint eius generis sive formae, sive partes, ut in eas tribuatur omnis oratio. Erit igitur haec facultas in eo, quem volumus esse eloquentem, ut definire rem possit, neque id faciat tam presse et anguste, quam in illis eruditissimis disputationibus fieri solet, sed tum explanatius, tum etiam uberius, et ad commune iudicium popularemque intelligentiam accommodatius. Idemque etiam, quum res postulabit, genus universum in species certas, ut nulla neque praetermittatur, neque redundet, partietur ac dividet. Quando autem id faciat, aut quomodo, nihil ad hoc

Nempe *ambigua dividere* est i. q. distinguere, ut de Legg. I, 16.

Disceptant) Recte sic Gu. 3. Vulg. *disceptant*.

Atque involuta rei notitia) Sic Gu. 3. Vulgo | *atque involutae rei notitia*. Etsi autem Cicero alibi etiam *res involutas* dicit, h. l. tamen eidem verbo, cui adhaeret *aperienda est*, tribui debet *involuta*. Similis forma loquendi est Tusc. dispp. IV, 24: *Quae enim istarum definitionum non aperit notionem nostram, quam habemus omnes de fortitudine tectam atque involutam.*

* *Eius generis sive formae*) Genera cuiusque suae sunt partes. Logici species, formas appellant rhetores. Exempli gratia, virtus est genus, cui subsunt partes iustitia, prudentia, fortitudo, et temperantia. Pavr.

Sed tum explanatius) Ita Gu. 3. Vulgo *sed quum explanatius*.

* *Quando autem id faciat, aut quomodo*) In edd. est *quando autem aut quomodo id faciat*. Nos ordinem verborum, quem servat Gu. 3 praetulimus.

tempus; quoniam (ut supra dixi) iudicem esse me, non doctorem volo. Nec vero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiae notos et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de more, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus, aut malis, nihil de virtutibus, aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate; nihil de perturbationibus animi, et erroribus, quae saepe cadunt in causas, sed ieiunius aguntur; nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici et explicari potest.

34. De materia loquor orationis etiam nunc, non ipso de genere dicendi. Volo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogitet, quibus verbis quidque dicat, aut quomodo. Quem etiam, quo grandior sit, et quodammodo excelsior (ut de Pericle dixi supra), ne physicorum quidem esse ignarum volo. Omnia profecto, quum se a caelestibus rebus referet ad humanas, excelsius, magnificentiosque et dicet, et sentiet. Quum illa divina cognoverit, nolo ignoret ne haec quidem humana. Ius

Iudicem esse me) Sic Gu. 3. Vulgo: *iudicem me esse*.

Nihil de more) Hanc lectionem a Gu. 3 recepimus pro vulg. *nihil de morte*. Illam Heusingerus quoque probavit, iussitque conferri de Part. or. cap. 9, Topic. c. 7. At ibi non agitur de partibus philosophiae. Lectioni *de morte* favere videntur Cic. de Orat. I, 15, obs. *sin quae res inciderit*, *neque*, *in qua de natura*, *de vitiis hominum*, *de cupiditatibus*, *de modo*, *de continentia*, *de dolore*, *de morte dicendum sit* — *cum Sex. Pompeio erudito homine in philosophia communicavit*. Verumtamen lectio *de more* hoc nostro loco non solum exquisitior, sed aptior etiam debet videri. Nam cur inter verba *de religione* et *de pietate* interponeretur *de morte?* Mortis enim locus potius fuisset post verba *nihil de dolore*. *De religione*, *de more* autem sic interpretanda sunt. *Religio* notat caeremonias in rebus sacris a maioribus institutas, *mos* autem instituta maiorum in rebus profanis et civilibus. De utroque autem philosophos quoque disputare nullum dubium est.

* *Sed ieiunius aguntur*) scil. ab oratoribus philosophiae ignaris.

Ut de Pericle dixi supra) Cap. 4.

Quum illa) Sic Gu. 3 Vulg. *quumque illa*.

civile teneat, quo egent causae forenses quotidie. Quid est enim turpius, quam legitimarum et civilium controversiarum patrocinia suscipere, quum sis legum et civilis iuris ignarus? Cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis; sed et imperiosorum populorum, et regum illustrium: quem laborem nobis Attici nostri levavit labor; qui conservatis notatisque temporibus, nihil quum illustre praetermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit. Nescire autem, quid ante, quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est aetas hominis, nisi ea memoria rerum gestarum cum superioribus contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert, et fidem.

35. Sic igitur instructus veniet ad causas: quarum habebit genera primum ipsa cognita. Erit enim ei perspectum, nihil ambigi posse, in quo non aut res controversiam faciat, aut verba. Res, aut de vero, aut de recto, aut de nomine. Verba, aut de ambi-

Sed etiam) Gu. 3, bene. Valg. *sed et*. Particula copulativa autem Cicero pro *etiam* non utitur. — Aptior huic loco mihi visa est lectio vulgata, eamque retinui. Ed. Taur.

Nescire autem, quod antea) Gu. 3, *nescire enim, quid ante*.

Nisi ea memoria rerum gestarum cum superioribus contexitur) Ita Gu. 3 optime, nisi quod servat *rerum nostrarum* et post *superioribus* addit *aetate*. Vulgo: *nisi memoria rerum nostrarum cum superiorum aetate contexitur*. Quae in lectione primum incommodum est *memoria rerum nostrarum*, nam harum rerum, quibus ipsi interfuimus, memoria aetas hominis extendi non potest. Deinde ambiguum est, *memoria* nominativus an ablativus sit. Quod secus est, si cum Gu. 3 legatur *nisi ea* (scil. aetas nostra) *memoria rerum* etc. unde statim lectori patefit, *memoria* ablativo casu positum esse. Iam autem *nostrarum* necessario mutandum est in *gestarum*; inde sensus exoritur pulcherrimus et verissimus. Historia nimirum, i. e. memoria rerum gestarum, aetas nostra cum superioribus (scil. aetatibus) contexitur. Sic infra c. 55, *eadem superiorque aetas*. In Victor. est *nisi cum memoria rerum veterum cum superiorum aetate contexitur*.

guo, aut de contrario. Nam si quando aliud in sententia videtur esse, aliud in verbis, genus est quoddam ambigui, quod ex praeterito verbo fieri solet: in quo, quod est ambiguorum proprium, res duas significari videmus. Quum tam pauca sint genera causarum, etiam argumentorum praecepta pauca sunt. Traditi sunt, e quibus ea ducantur, duplices loci: uni e rebus ipsis, alteri assumti. Tractatio igitur rerum efficit admirabilem orationem. Nam ipsae quidem res in perfacili cognitione versontur. Quid enim iam sequitur, quod quidem artis sit, nisi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret se ad discendum? rem breviter exponere, et probabiliter, et aperte, ut quid agatur, intelligi possit? sua confirmare? adversaria evertere? eaque efficere non perturbate, sed singulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod sit consequens iis, quae sumentur ad quamque rem confirmandam? post omnia peroratione animos inflammantem, restinguentemve concludere?

36. Has partes quemadmodum tractet singulas, difficile dictu est hoc loco; nec enim semper tractantur uno modo. Quoniam autem non, quem doceam,

Facit admirabilem orationem) Ita Gu. 3 Vulgo *f. admirabiliorem orationem*. Hic autem positivus gradus plus dicit quam comparativus. Idem c. 38 occurrit, *duo restant - quae admirabilem orationem faciant*.

Aut paret se ad discendum) Sic Gu. 3, Ed. Omnib. Victor. Lambin. quam lectionem Ernestius perperam mutavit in *ut paret se ad discendum*. Nimirum tria sunt ex arte rhetorica veterum, quae praestare debet exordium orationis, ut benevolum, ut attentum, ut docilem faciat auditorem. Primum h. l. verbis *aut concilietur auditor*, alterum his, *aut erigatur*, tertium illis *aut paret se ad discendum*, exprimitur.

Post omnia peroratione animos inflammantem, restinguentemve concludere) Vulgo *post omnia perorationem inflammantem, restinguentemve concludere*. In quo primum absurdum est, *perorationem concludere*, quod perinde est ac si diceretur *conclusionem concludere*. Deinde *inflammantem* subiecto caret. Quare *animos* inserui. Quo modo dicuntur de Or. I, 14. *sensus animorum atque motus vel inflammare, vel exstingui*; et ibid. cap. 51, negatur, oratorem posse eorum mentes, qui audirent, aut

quaero, sed quem probem; probabo primum eum, qui, quid deceat, videbit. Haec enim sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum, personarumque moderator. Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcunque decebit, poterit accommodare orationem. Quod quum statuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet; nec satura ieiune, nec grandia minute, nec item contra, sed erit rebus ipsis par et aequalis oratio. Principia verecunda, non elatis intensa verbis, sed acuta sententiis, vel ad offensionem adversarii, vel ad commendationem sui. Narrationes credibiles, nec historico, sed prope quotidiano sermone explicatae dilucide. Dein si tenuea causae, tum etiam argumentandi tenue filum et in docendo, et in refellendo; id quod ita tenebitur, ut, quanta ad rem, tanta ad orationem fiat accessio. Quum vero causa ea inciderit, in qua vis eloquentiae possit exprimi: tum se latius fundet orator, tum reget et flectet animos, et sic afficiet, ut volet, id est, ut causae natura, et ratio temporis postulabit.

57. Sed erit duplex eius ornatus ille admirabilis,

inflammare dicendo aut inflammatas restinguere, nisi philosophiam perceperit. SCHUTZ. - - Multa quidem optime Criticus noster, sed vereor, ut viris doctis probet medelam, quam hunc loco afferre conatur. At fortasse oblitus est corrigere participia *inflammantem restinguentemve* quae ad perorationem referri procul dubio videntur; et tum sententia recte procederet. TYP. TAYR.

Videbit) Gu. 3, *viderit*.

Qui ad id quodcunque) Ed. Omnib. *qui ad quodcunque*.

Non elatis intensa verbis) Sic Gu. 3. Ed. Omnib. Victor. Vulgo male; *non elatis incensa verbis*. Nihil autem, quod est elatum, incenditur. *Intensa* etiam agnoscit Nizolius, qui recte exp. *inflata*, *tumida*.

* *Nec historico*) i. e. sermone, quo utuntur ii scriptores, qui numerum in historia sonum, exquisitiusque dicendi genus sequuntur.

Id quod ita) Sic Guelf. 3. Vulgo, *idque ita*.

Sed erit duplex eius ornatus ille) Vulgo *sed erit duplex omnis eius ornatus ille*. Guelf. 3 *sed erit duplex omnis eius conatus ille*. Ego vero delevi voc. *omnis*, quod hic supervacaneum

propter quem escendit in tantum honorem eloquentia. Nam quum omnis pars orationis esse debet laudabilis, sic ut verbum nullum, nisi aut grave, aut elegans excidat; tum sunt maxime luminosae, et quasi actuosae partes duae: quarum alteram in universi generis quaestione pono, quam (ut supra dixi) Graeci appellant θέσιν; alteram in augendis, amplificandisque rebus, quae ab eisdem αὔξησις est nominata. Quae etsi aequabiliter toto corpore orationis fusa esse debet, tamen in communibus locis maxime excellet: qui communes appellati, quod videntur multarum iidem esse causarum, sed proprii singularum esse debebunt. At vero illa pars orationis, quae est de genere universo, totas causas saepe continet. Quidquid est enim illud, in quo quasi certamen est controversiae, quod graece κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quaestionem, atque ut de universo genere dicatur: nisi quum de vero ambigetur; quod quaeri coniectura solet. Dicetur autem non Peripateticorum more (est enim illorum exercitatio elegans iam inde ab Aristotele constituta), sed aliquanto nervosius: et ita de re communia dicentur, ut et pro reis multa leniter dicantur, et in adversarios aspere. Augendis vero rebus, et contra abiiciendis, nihil est quod non perficere possit oratio: quod et inter media argumenta faciendum est, quotiescunque dabitur vel amplificandi, vel minuendi locus, et paene infinite in perorando.

enim est et temere ex versiculo vicino huc aberravit.

Escendit) E vestigio scripturae Gu. 3, in qua est *descendit*. Vulg. *ascendit*.

Quarum alteram in universi generis quaestione pono) Gu. 3 *quarum alteram universi generis quaestionem pono*.

Quod videntur) Guelf. 3 *eo quod videntur*.

Atque ut de universo) Vulgo abest ut, quod inserui auctoritate Gu. 3

* *De vero*) i. e. de veritate facti alicuius.

38. Duo restant, quae bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant: quorum alterum est, quod Graeci ἠθικὸν vocant, ad naturam, et ad mores, et ad omnem vitae consuetudinem accommodatum; alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, iucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum; hoc, vehemens, incensum, incitatum, quo causae eripiuntur; quod quum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos, mediocres, aut multo etiam minus; sed magno semper usi impetu, saepe adversarios de statu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in senatu accusatus obmutuit. Nobis privata in causa magna et gravi quum coepisset Curio pater respondere, subito assedit, quum sibi veneniis ereptam memoriam diceret. Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiamsi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. In quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. Quae qualiacunque in me sunt; me enim ipsum poenitet, quanta sint: sed apparent in orationibus: etsi carent libri spiritu illo, propter quem maiora eadem illa quum aguntur, quam quum leguntur, videri solent. Nec vero miseratione solum mens iudicum permovenda est (qua nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus; ut alia in

Duo restant) Vulg. *duo sunt*. At quum iam superiore capite duo nominasset, quae admirabilem eloquentiam facerent, non poterat hic quasi de integro incipere *duo sunt*. Vestigia lectionis *duo restant* latere videntur in Gu. 3, ubi est *duas res sunt enim qua bene*.

Ad naturam) Sic Gu. 3. Vulg *ad naturas*.

* *Pro familiari reo*) Verr.

* *Me ipsum poenitet, quanta sint*) Formula modeste de se loquentis.

causa, excitato reo nobili, sublato etiam filio parvo, plangore et lamentatione complerimus forum); sed est faciendum etiam, ut irascatur iudex, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, satietate afficiatur, speret, metuat, laetetur, doleat: qua in varietate, duriorum, Accusatio suppeditabit exempla; mitiorum, defensiones meae. Nullo enim modo animus audientis aut incitari, aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit. Dicerem perfectum, si ita iudicarem, nec in veritate crimen arrogantiae extimescerem. Sed (ut supra dixi) nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam. Nec unquam is, qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perveniret oratio. Vterer exemplis domesticis, nisi ea legisses: uterer alienis, vel latinis, si ulla reperirem, vel graecis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea iudiciorum. Nihil Antonii, nihil Cottae, nihil Sulpicii. Dicebat melius, quam scripsit, Hortensius. Verum haec vis, quam quaerimus, quanta sit, suspicemur, quoniam exemplum non habemus; aut, si exempla sequimur, a Demosthene sumamus, et quidem perpetuae dictionis, ex eo loco, unde, in Ctesiphontis iudicio, de suis factis, consiliis, meritis in rempublicam aggressus est dicere. Ea profecto oratio in eam formam, quae est insita in mentibus nostris, in-

* *Excitato nobili reo*) i. e. reo, qui assederat, surgere iusso et in conspectum producto.

Sed est faciendum etiam) Sic Gu. 3. Vulgo, *sed etiam est faciendum.*

* *Sublato etiam filio parvo*) Quod praestitit, quum pro P. Sylla perorarет (cap. 31): *Hic vos orat, iudices, parvus, ut se aliquando, si non integra fortuna, at afflicta patri suo gratulari sinatis* etc.

* *Vt irascatur iudex — laetetur, doleat*) Comparandus est locus similis in Bruto cap. 50.

Satietate afficiatur) Gu. 3, *taedeat.*

Duriorum) scil. παθημάτων.

* *Accusatio*) i. e. actio in Verrem libris quinque comprehensa.

Extimescerem) Gu. 3, *pertimescerem.*

cludi potest sic, ut maior eloquentia non requiratur.

39. Sed iam forma ipsa restat, et character ille qui dicitur; qui qualis esse debeat, ex iis, quae supra dicta sunt, intelligi potest. Nam et singulorum verborum, et collocatorum lumina attigimus; quibus sic abundabit, ut verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut grave exeat: ex omnique genere frequentissimae translationes erunt, quod eae propter similitudinem transferunt animos, et referunt, ac movent huc et illuc: qui motus cogitationis, celeriter agitatus, per se ipse delectat. Et reliqua, ex collocatione verborum quae sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornamentum orationi. Sunt enim similia illis, quae in amplo ornatu scenae, aut fori appellantur insignia; non quod sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum, quae sunt orationis lumina, et quodammodo insignia; quum aut duplicantur iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio, aut in idem coniicitur, aut utrumque, aut adiungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur; aut quum similiter vel cadunt verba, vel desinunt; aut quum sunt contrariis relata contraria;

Includi potest sic) Ita Gu. 3. Vulgo *includi sic potest.*

Non requiratur) Gu. 3, *ne requiratur quidem.*

Ex iis) Ita rescripsi pro vulg *ex quis.* In Guelf. 3 est, *ex his.*

Et reliqua) Totum hunc locum usque ad verba, *eluceat oportet eloquentiae magnitudo*, cap 40 extr. exscripsit Quintil. IX, 1, 37 sqq. Cf. eundem IX, 3, 90. Praeterea comparandus Cicero de Orat III, 53 sqq.

Magnum afferunt ornamentum) Sic Gu 3, bene. Vulg *ornatum.* Sed statim hoc vocabulum recurrit.

Non quod sola ornent, sed quod) Gu 3 *non quia sola ornant, sed quia*

Aut utrumque) scil *fit.* Male vulgo, *aut in utrumque*, et sic Gu 2.

Non in eadem sententia) Lambin. *non in eandem sententiam*

Aut quum sunt contrariis) Ita Gu. 3, bene. Vulgo, *aut multis modis contrariis.*

aut quum gradatim sursum versus reditur; aut quum, demtis coniunctionibus, dissolute plura dicuntur; aut quum aliquid praetereuntes, cur id faciamus, ostendimus; aut quum corrigimus nosmetipsos, quasi reprehendentes; aut si est aliqua exclamatio vel admirationis, vel conquestionis; aut quum eiusdem nominis casus saepius commutatur.

40. Sed sententiarum ornamenta maiora sunt: quibus quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt qui putent, idcirco eius eloquentiam maxime esse laudabilem. Et vero nullus fere ab eo locus sine quadam conformatione sententiae dicitur: nec aliud quidquam est, dicere, nisi omnes, aut certe plerasque aliqua specie illuminare sententias: quas quum tu optime, Brute, teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantum notetur modus.

Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verset saepe multis modis eandem et unam rem, et haereat in eadem commoreturque sententia; saepe etiam ut extenuet aliquid; saepe ut irrideat; ut declinet a proposito, deflectatque sententiam; ut proponat, quid dicturus sit;

Quum corrigimus nosmet ipsos) Recte sic Quintilian. Gu. 3, Victor. Pisan. Vulg. *nosmet ipsi*.

Sed sententiarum) Quintil. omittit *sed*.

Sunt qui putent) Ed. Omnib. *sunt qui putant*.

Et vero) Quintil. *Enimvero*.

Nec aliud quidquam est) Gu. 3, *nec quidquam est aliud*.

Nisi omnes) Ed. Venet. *nisi aut omnes*.

Tantum notetur modus) Vulgo editur *tantum notetur locus*. At Cicero nusquam notat in sequentibus locum, quo adhibendae sint, sed tantum breviter modos illuminandi sententias recenset. Apud Quintilian. et Gu. 3 est, *tantummodo notetur locus*. Unde suspicor, olim scriptum fuisse *tantum notetur modus*, ex quo sensim factum sit *tantum modus notetur*, deinde *tantummodo notetur*, denique his verbis ab alio adiectum *locus*.

Ut verset — commoreturque sententia) Rivius ita legendum censebat: *ut verset saepe multis modis eadem, et una in re haereat, in eademque commoretur sententia*. Et sic fere in Ed. Omnib. nisi quod habet *unam in rem et in eandem e sententiam*.

ut, quum transegerit iam aliquid, definiat; ut se ipse revocet; ut, quod dixit, iteret; ut argumentum rationn concludat; ut interrogando urgeat; ut rursus ad interrogata sibi ipse respondeat; ut contra, ac dicat, accipi et sentiri velit; ut addubitet, quid potius, aut quomodo dicat; ut dividat in partes; ut aliquid relinquat ac negligat; ut ante praemuniat; ut in eo ipso, in quo reprehendatur, culpam in adversarium conferat; ut saepe cum iis, qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario quasi deliberet; ut hominum mores sermonesque describat; ut muta quaedam loquentia inducat; ut ab eo, quod agitur, avertat animos; ut saepe in hilaritatem risumve convertat; ut ante occupet, quod videat opponi; ut comparet similitudines; ut utatur exemplis; ut aliud alii tribuens dispertiat; ut interpellatorem coërceat; ut aliquid reticere se dicat; ut denuntiet, quid caveant; ut liberius quid audeat; ut irascatur etiam, ut obiurget aliquando, ut deprecetur, ut supplicet, ut medeatur, ut a proposito declinet aliquantulum, ut optet, ut exsecratur, ut fiat iis, apud quos dicet, familiaris. Atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequetur: brevitatem, si res petet; saepe etiam rem dicendo subiiciet oculis; saepe supra feret, quam fieri possit; significatio saepe erit maior, quam oratio; saepe hilaritas, saepe vitae naturarumque imitatio,

Ut rursus ad interrogata sibi ipse respondeat) Vulg. *ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat.* In Gu. 3 *ut rursus ad interrogata respondeat*, unde superfluum illud *quasi* delevi.

Ut hominum mores sermonesque) Ita ex Quintiliano recepi pro vulg. *sermones moresque.* Est enim ordo ille verborum concinnior.

Quod videat opponi) Gu. 3, *quod putat opponi.*

Ut a proposito declinet aliquantulum) Haec verba hic non suo loco posita esse videntur, interrumpunt enim varias quae hic enumerantur affectuum commotiones. Sunt tamen eodem loco posita apud Quintilian. I l. eandemque figuram eodem loco posuit Cicero de Orat. III, 52

Sequetur) Sic Gu. 3, recte Vulg. *sequatur.*

Hoc in genere (nam quasi silvam vides) omnis eluceat oportet eloquentiae magnitudo.

41. Sed haec, nisi collocata, et quasi structa, et nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, aspirare non possunt. De quo quum mihi deinceps viderem esse dicendum, etsi movebant me iam illa, quae supra dixeram, tamen iis, quae sequuntur, perturbabar magis. Occurrebat enim, posse reperiri non invidos solum, quibus referta sunt omnia, sed fautores etiam mearum laudum, qui non censerent eius viri esse, de cuius meritis tanta senatus iudicia fecisset, comprobante populo Romano, quanta de nullo, de artificio dicendi literis tam multa mandare. Quibus si nihil aliud responderem, nisi, me M. Bruto negare roganti noluisse, iusta esset excusatio, quum et amicissimo et praestantissimo viro, et recta et honesta petenti, satisfacere voluissem. Sed si profiterer (quod utinam possem!) me studiosis dicendi praecepta, et quasi vias, quae ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandem id iustus rerum aestimator reprehenderet? Nam quis unquam dubitavit, quin in republica nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis pacatisque rebus; secundas, iuris scientia? quum in altera, gratiae, gloriae, praesidii plurimum esset; in altera, persecutionum, cautionumque praeceptio; quae quidem ipsa auxilium ab eloquentia saepe peteret, ea vero repugnante vix suas regiones finesque defenderet. Cur igitur ius civile docere semper pulcrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus; ad dicendum si quis acuat, aut adiuvet in eo iuventutem, vituperetur? Nam si vitiosum est dicere ornate, pellatur omnino e civitate eloquentia. Sin ea non modo eos ornat, penes quos est, sed etiam

Viderem) Gu. 3, *videretur*. *Me iam illa*) Sic Gu. 3. Vulgo *iam me illa*.

universam rempublicam; cur aut discere turpe est, quod scire honestum: aut, quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum docere?

42. At alterum factitatum, alterum novum. Fateor: sed utriusque rei causa est. Alteros enim respondentes audire sat erat, ut ii, qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsum seponerent; sed eodem tempore et discentibus satisfacerent, et consulentibus. Alteri, quum domesticum tempus in cognoscendis componendisque causis, forense in agendis, reliquum in se ipsis reficiendis omne consumerent; quem habebant instituendi aut docendi locum? Atque haud scio, an plerique nostrorum oratorum ingenio plus valuerint, quam doctrina. Itaque illi dicere melius, quam praecipere; nos contra fortasse possumus.

At dignitatem docere non habet. Certe, si quasi in ludo. Sed si monendo, si cohortando, si percontando, si communicando, si interdum etiam una legendo, audiendo; nescio, docendo etiam aliquid aliquando si possis meliores facere, cur nolis? An quibus verbis sacrorum alienatio fiat, docere honestum est, quibus ipsa sacra retineri defendique possint, non honestum est?

At ius profitentur etiam, qui nesciunt; eloquentia autem, illi ipsi, qui consequuti sunt, tamen se valere dissimulant, propterea quod prudentia hominibus grata est, lingua suspecta. Num igitur aut latere eloquentia potest; aut id, quod dissimulat, effugit; aut est peri-

At alterum factitatum) Delevi est, quod h. l. et versu superiore post *honestum* vulgo additur, melius in Gu 3 omissum.

Nullum sibi ad eam rem tempus ipsum seponerent) Vulgo, *ipsi seponerent*. Sed vis pronominis non in persona oratoris est, sed in tempore ad eam rem seposito. Gu. 3, *tempus seponerent*.

Nos contra fortasse possumus) Gu. 3 *nos contra fortasse possumus ad dignitatem melius docere. Nos habet* etc. unde colligas fortasse Ciceronem scripsisse *nos contra fortasse possumus docere melius*. Vulgatum tamen

culum, ne quis putet in magna arte et gloriosa, turpe esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestissimum discere? Ac fortasse ceteri tectiores: ego semper didicisse prae me tuli. Qui enim possem, quum et afuissem domo adolescens, et horum studiorum causa maria transissem, et doctissimis hominibus referta domus esset, et aliquae fortasse inessent in sermone nostro doctrinarum notae, quumque vulgo scripta nostra legerentur, dissimulare me didicisse? Quis erat, cui probarem, nisi parum fortasse profeceram?

43. Quod quum ita sit, tamen ea, quae supra dicta sunt, plus in disputando, quam ea, de quibus dicendum est, dignitatis habuerunt. De verbis enim componendis, et de syllabis propemodum dinumerandis et dimetiendis loquemur: quae etiamsi sunt, sicuti mihi videntur, necessaria, tamen fiunt magnificentius, quam docentur. Nam omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat; radices stirpesque non item: sed esse illa sine his non potest. Me autem, sive pervagatissimus ille versus, qui vetat

> Artem pudere proloqui, quam factites,

dissimulare non sinit, quin delecter; sive tuum studium

honestate se tuetur. Vt cap. 36, nos item contra.

* *Ego semper didicisse prae me tuli.*) Vt in exordio orationis pro Archia poeta.

Qui enim possem — dissimulare) Ita emendavi (auctoritate duorum codd. Guelff. in quibus est: *quid — dissimulare*) quod in edd. legitur: *quid enim possem — dissimularem.*

Quum et afuissem domo adolescens) Hoc recepi e Gu. 3. In edd. plerisque est: *quum et abfuissem adolescens.*

Quis erat, cui probarem, nisi parum fortasse profeceram) Arcavi lectionem a Strebaeo probatam. In plerisque est *quid erat, cur probarem, nisi quod parum fortasse profeceram.* Heusingerus conj. *quid erat, cur optarem.*

Fiunt magnificentius, quam docentur) Post haec verba in edd. sequuntur ista: *Est id omnino verum, sed proprie in hoc dicitur*, in quibus quum grammatici notam deprehendere mihi visus sim, e texto Ciceronis circumscripsi.

Quin delecter) Edd. Ven. Med.

hoc a me volumen expressit: tamen eis, quos aliquid reprehensuros suspicabar, respondendum fuit. Quodsi ea, quae dixi, non ita essent, quis tamen se tam durum agrestemque praeberet, qui hanc mihi non daret veniam, ut, quum meae forenses artes et actiones publicae concidissent, non me aut desidiae, quod facere non possum, aut moestitiae, cui resisto, potius, quam literis, dederem? quae quidem me antea in iudicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi; nec vero talibus modo rebus, quales hic liber continet, sed multo etiam gravioribus et maioribus: quae si erunt perfectae, profecto forensibus nostris etiam domesticae literae respondebunt. Sed ad institutam disputationem revertamur.

44. Collocabuntur igitur verba, aut ut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis, eaque sint quam suavissimis vocibus; aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum; aut ut comprehensio numerose et apte cadat. Atque illud primum videamus, quale sit, quod vel maxime desiderat diligentiam, ut fiat quasi structura quaedam, nec tamen fiat

Lips. *qui delectet*, unde Ernestius coniecit, *qui delectet*. Si quid mutandum est, malim, *id*, *quo delector*.

Eis, quos aliquid reprehensuros suspicabar, respondendum fuit) In Gu. 3 est: *eis, quos reprehensuros aliquid suspicabar*, r. f. Fortasse autem aliquid e glossa accessit.

Nunc oblectant domi; nec vero talibus modo rebus) Ita est interpungendum, non puncti signo post *domi*; nam post *rebus* intelligitur ex antecedentibus *oblectant*.

Profecto forensibus nostris etiam domesticae literae respondebunt) Gu. 3. *profecto maximis rebus forensibus nostris et externis inclusae et domesticae literae respondebunt*. Vulgo. *forensibus nostris rebus et domesticae literae respondebunt*.

Extrema cum primis) Legendum, ut opinor, *extrema cum sequentibus primis*, ut paulo post, *ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus*, *aut hiulcas voces efficiat*, *aut asperas*. Ita Quintil. Instit. Or. IX, 4, 33. *quae commissa inter se verba duobus ex ultima prioris ac prima sequentis syllaba deforme aliquod nomen efficiant*.

Atque illud primum — nec tamen fiat operose) Gothofr. *atque illud pri-*

operose; nam esset cum infinitus, tum puerilis labor: quod apud Lucilium scite exagitat in Albucio Scaevola:

> Quam lepide lexeis compostae! ut tesserulae omnes
> Endo pavimento, atque emblemate vermiculato.

Nolo haec tam minuta constructio appareat: sed tamen stilus exercitatus inveniet facile hanc viam componendi. Nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus, aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. Quamvis enim suaves, gravesque sententiae, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendunt aures; quarum est iudicium superbissimum. Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere. *** In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas literas

num videamus, quod vel maxime desiderat diligentiam (est enim quasi structura quaedam) nec id tamen fiet operose

Inveniet facile hanc viam) Scripsi *inveniet*, pro vulg. *efficiet*, quod est ab h. l. alienum et librario debetur, qui dum ista scribebat, oculis inciderat in *efficiat*, quod paulo post occurrit. Pro *hanc viam* in Gu. 3 est *formulam*, scil. ex interpretamento.

Inconditis verbis) Gu 3, *inconditę posita verbis*, quod haud scio an praeferendum sit. Nam h. l. non de verbis per se inconditis agitur, sed de eo, quod aures offendat ex concursu verborum vel hiulco vel aspero.

* *Qui vocales nolit coniungere*) i. e. qui nolit hiatus vitare, ut iam Victor Pisanus recte explicavit. Contrarium est *voces distrahere*. Edd. pr. habent *quia*; quod falsum esse, et cum Aldo, Iunta aliisque legendum *qui*, hunc demonstravit Ernestium. Ceterum nemo adhuc observavit, post illa verba quaedam intercidisse. Quum enim Cicero dixisset: *quod quidem Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere*, necessario inferri debuit *At Graeci facilius ferunt hiatus*, vel aliud quid in eandem sententiam. Sic enim demum cohaerent ea quae sequuntur. Postea init. cap. 35 hac formula, *Sed Graeci viderint*, ab hac degressione redit ad Latinos.

* *Qui vocales nolit coniungere*) Id valet quoties vocales concurrunt, quasi de duabus unam facere, et, ut paulo post dicit, *contrahere*; ubi idem praecipit, cuius contrarium est *distrahere*. *Nobis*, inquit, *ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur*. Est igitur hic *coniungere* et *contrahere*, Graecis συναλείφειν, a quo est συναλοιφή, quod Eustathius κρᾶσιν et συναίρεσιν recte interpretatus est, *distrahere* autem

tanto opere fugerit; etsi idem magister eius Isocrates fecerat. At non Thucydides: ne ille quidem, haud paulo maior scriptor, Plato; nec solum in his sermonibus, qui dialogi dicuntur, ubi etiam de industria faciendum id fuit, sed in populari oratione, qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sint in proeliis interfecti: quae sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit. In ea est crebra ista vocum concursio, quam magna ex parte, ut vitiosam, fugit Demosthenes.

45. Sed Graeci viderint: nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis: indicant omnes poetae, praeter eos, qui ut versum facerent, saepe hiabant; ut Naevius:

Vos, qui accolitis Histrum, atque Algidam.

Et ibidem:

Quam nunquam vobis Grai, atque Barbari.

At Ennius semel:

Scipio invicte. — —

Et quidem nos:

Hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti.

διαιρεῖν, et συγκρούειν et διασπᾶν. Virtusque rei luculentum exemplum est apud Demetrium in aureolo libro illo περὶ ἑρμηνείας, ubi διαιρεθέντα δὲ καὶ συγκρουσθέντα, inquit, εὐφωνότερα, ὡς τε, πάντα μὲν τὰ νέα καὶ καλά ἐστιν. εἰ δὲ συναλείψας εἴποις, καλὰ ἐστὶν

Etsi idem magister eius Isocrates fecerat) Sic Gu 3, hinc Vulg. etsi ut magister eius Isocrates.

* *Ista vocum concursio*) i. e. vocalium, sicut paulo post voces distrahere, pro hiare in vocalibus.

Vos, qui accolitis Histrum, atque Algidam) Ita hunc versiculum legit Strebaeus. Alii *Vos, qui accolitis Histrum fluvium atque Algidam.* Fortasse autem scripserat Naevius *Vos, qui accolitis Histrum, fluvium algidum*

At Ennius semel) Gu. 3, at Ennius saepe.

* *Et quidem nos*) Nempe in Arateis.

* *Hoc motu radiantis*) h. e. solis.

Hoc idem nostri saepius non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent. Sed quid ego vocales? sine vocalibus saepe brevitatis causa contrahebant, ut ita dicerent, *multi' modis*, *vas' argenteis*, *palmi' et crinibus*, *tecti' fractis*. Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? nam ut duellum, *bellum*, et duis, *bis*: sic Duellium, eum, qui Poenos classe devicit, *Bellum* nominaverunt, quum superiores appellati essent semper *Duellii*. Quin etiam verba saepe contrahuntur, non usus causa, sed aurium. Quomodo enim vester Axilla, *Ala* factus est, nisi fuga literae vastioris? quam literam etiam e *maxillis*, et *taxillis*, et *vexillo*, et *paxillo*, consuetudo elegans latini sermonis evellit. Libenter etiam, copulando verba, iungebant, ut *sodes*, pro *si audes*: *sis*, pro *si vis*. Iam in uno, *capsis*, tria verba sunt: *ain'* pro *aisne*: *nequire*, pro *non quire*: *malle*, pro *magis velle*: *nolle*, pro *non velle*. *Dein* etiam saepe, et *exin*, pro *deinde* et *exinde* dicimus. *** Quid illud? non olet unde sit, quod dicitur, *cum illis*? cum

Palmi' et crinibus) Lambinus frustra correxit *passi et crinibus*, quamquam Ernestius hanc emendationem certissimam dicit, quia requiratur scilicet adiectivum. At *palmi' et crinibus* versio Latina est locutionis Euripideae χερσὶ καὶ κόμαισι, in Phoenissis v. 323 sqq. ubi Iocasta filium Polynicem excipiens ait:

Τί φῶ σε, πῶς ἅπαντα
Καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι
Πολυέλικτον ἁδονὰν
Ἐκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο
Περιχορεύουσα τέρψιν
Παλαιᾶν λάβω χαρμονᾶν,

Illa ipsius verba χερσὶ καὶ κόμαισι Accius, qui Phoenissas Latinum fecerat, vertit *palmi' et crinibus*.

Semper Duellii) Abest *semper* Gu. 3, et scribitur *essent appellati*.

* *E maxillis, et taxillis, et vexillo, et paxillo — evellit*) Pro quibus scil. *malae*, *tali*, *vela*, *palus* dicuntur.

* *Iam in uno, capsis, tria verba sunt*) Erravit Cicero, quum *capsis* pro *cape si vis* usurpatum crederit. Nihil enim aliud erat quam antiqua forma perfecti conj. pro *ceperis*. Vidit Quintilian. I, 5, 66.

Pro non quire) Ennium adhuc *non quire* dixisse, notavit Victorius Var. Lect. XVI, 8.

* *Dein etiam saepe, et exin — dicimus*) Nempe ad vitandum hiatum, ut post *deinde* et *exinde* vocalis sequeretur.

* *Quid illud? non olet — atque nobiscum*) Miror, neminem in hoc loco haesisse. Quum enim toto hoc capite agatur de vitando vocalium concursu,

autem *nobis* non diciter, sed *nobiscum*? quia si ita diceretur, obscenius concurrerent literae, ut etiam modo, nisi *autem* interposuissem, concurrissent. Ex eo est *mecum*, et *tecum*, non *cum me*, et *cum te*, ut esset simile illis *vobiscum*, atque *nobiscum*.

46. Atque etiam a quibusdam sero iam emendatur antiquitas, qui haec reprehendunt. Nam pro *deûm atque hominum fidem*, *deorum* aiunt. Id, credo, illi nesciebant; an dabat hanc licentiam consuetudo? Itaque idem poeta, qui inusitatius contraxerat:

—— Patris mei meûm factûm pudet,

pro *meorum factorum*, et

Texitur: exitiûm examen rapit, ——

pro *exitiorum*, non dicit, *liberûm*, ut plerique loquimur, quum, *cupidos liberûm*, aut *in liberûm loco* dicimus: sed, ut isti volunt:

——— nec luum
Vnquam in gremium extollas liberorum ex te genus.

Et idem:

Namque Aesculapi liberorum ——

quomodo Cicero repente devenerit ad exemplum, in quo concursus literarum obscoenitatis causa vitatur. Aptiorem locum hoc invenisset in Ciceronis epistola illa festiva ad Paetum IX, 22. Eum videtur in eodem argumento respexisse Quintilianus VIII, 3, 48. Aut igitur totum exemplum aliunde huc translatum est, aut post verba *exinde dicimus* quaedam verba interciderunt, quae transitum facerent ad hanc degressionem.

Id, credo, illi nesciebant) Sic inscripsi pro vulg. *ita credo*, *hoc illi nesciebant*. Sed in hac forma sermone loquendi *credo* simpliciter interponitur, ut infra cap. 50, *illa nobis ut, credo, repetenda*. Ceterum h. l. respexit Quintilian. Inst. or. I, 6, 18.

* *Nec tuum unquam — ex te genus*) Hic Ennii versiculus vulgo Medeae ascribitur, quasi expressus sit ex Euripidis Med. v. 804. Fieri tamen potest, ut ex eius Thyeste excerptus sit, et execrationis in fratrem Atreum partem constituerit.

Namque Aesculapi liberorum) Ennianí versiculi hemistichium, cum ceteris, quibuscum contextus erat, a Cicerone Tusc. disp. II, 17 laudatis. Qua ex fabula excerptus sit, incertum est, forsan ex Iliona.

At ille alter in Chryse, non solum,

Cives, antiqui amici, maiorum meûm

quod erat usitatum: sed durius etiam,

Consilium socii, augurium, atque extûm interpretes.

Idemque pergit:

Postquam prodigium horriferum, portentûm pavos.

quae non sane sunt in omnibus neutris usitata. Nec enim dixerim tam libenter, *armûm iudicium*, etsi est apud eundem,

Nihilne ad te de iudicio armûm accidit?

quam *armorum*. Iam (ut censoriae tabulae loquuntur) *fabrum*, et *procum* audeo dicere, non *fabrorum*, et *procorum*. Planeque, *duorum virorum iudicium*, aut, *trium virorum capitalium*, aut *decem virorum litibus iudicandis*, dico nunquam. Atqui dixit Accius:

Video sepulcra dua duorum corporum.

Idemque,

— — mulier una duûm virûm.

Quid verum sit, intelligo: sed alias ita loquor, ut concessum est, ut hoc, vel *Proh deûm* dico, vel *Proh deorum*: alias, ut necesse est, quum *trium virûm*, non *virorum*: quum *sestertium nummûm*, non *nummorum*: quod in his consuetudo varia non est.

At ille alter in Chryse) Sic Gu. 3. Versiculi, qui sequuntur, e Pacuvii Chryse deprompti.

Consilium socii) Gu. 3, *consilium senum*. Metri causa rectius omittitur *socii*, et *consilium* nominativo casu cum *maiorum meorum* construitur.

Nihilne ad te de iudicio armum accidit?) Ex Pacuvii tragoedia, *armorum iudicium*.

* *Censoriae tabulae*) Commentarii et literae censorum, in quas referunt civium nomina, et singulorum censum. Sunt et censoriae tabulae, quibus ignominiosi notantur, in quas a censoribus subscriptum est. Strab.

47. Quid, quod sic loqui, *nosse*, *iudicasse*, vetant: *novisse* iubent, et *iudicavisse*? quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate. Itaque utrumque Terentius:

> Eho, tu cognatum tuum non noras? — —

Post idem:

> Stiphonem, inquam, noveras?

Siet, plenum est; *sit*, imminutum: licet utare utroque. Ergo ibidem:

> Quam cara sintque, post carendo intelligunt,
> Quamque attinendi magni dominatus sient.

Nec vero reprehenderim,

> — — — Scripsere alii rem;

etsi *scripserunt* esse verius sentio: sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. *Idem campus habet*, inquit Ennius: et, *In templis isdem*, probavit. At *isdem* erat verius, sed tamen opimius. Male sonabat *iisdem*. Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret. Et *pomeridianas quadrigas*, quam *post-*

* *Quid verum sit*) h. e quid analogiae grammaticae respondeat.

Eho, tu cognatum tuum non noras) Terent. Phorm. III, 2, 35, ubi in edd. legitur: *eho, tu sobrinum tuum non noras.*

Ergo ibidem) Non apud Terentium, sed uno eodemque loco apud alium poetam.

Etsi scripserunt esse verius sentio) Vulgo, *et scripserunt e. v. s. Etsi* debetur Spaldingii arumenti, ad Quintil.

* *At isdem erat verius, sed tamen opimius; male sonabat iisdem*) Vulgo corrupte: *at eisdem erat verius, nec tamen eisdem opimius.* Cicero hoc dicit, pro nominativo *idem campus* verius fuisse *isdem campus*, sed tamen *isdem* opimius fuisse, quia duae consonantes *s* d coirent in *isdem*. Sic dicuntur *opimae syllabae* apud Quintilian. IX, 4, 36 Strebaeus legendum putabat: *Idem campus habet*, inquit *Ennius*, et *in templis isdem. Probavit isdem, at erat verius, nec tamen opimius eisdem.* Ita vero Cicero oblitus esset afferre rationem, cur Ennius *idem campus*, non *isdem campus* dixisset, ac tantum secundae locutionis *isdem templis* pro *iisdem* postea causam explicuisset.

meridianas, libentius dixerim: et *mehercule*, quam *mehercules*. *Non scire* quidem barbarum iam videtur: *nescire* dulcius. Ipsum *meridiem*, cur non *medidiem*? credo, quod erat insuavius. Vna praepositio est, ABS, quae nunc tantum in accepti tabulis manet; ne his quidem omnium: in reliquo sermone mutata est. Nam *amovit* dicimus, et *abegit*, et *abstulit*, ut iam nescias, *a* ne verum sit, an *ab*, an *abs*. Quid si etiam *abfugit* turpe

Ipsum meridiem) Ernestio commodum haud videbatur *ipsum*; quaerebatque, an forsan fuisset *item*. At hoc minus etiam aptum esset, quia praecedit *barbarum iam videtur*. Sed pronomen ipsum adiecitur vocabulo *meridiem*, quia paulo ante de adiectivo *pomeridianas* loquutus erat. Iam igitur poterat dicere: ipsum illud vocabulum *meridiem*, a quo defluxit compositum *pomeridianus*, cur non *medidiem* potius?

* *Cur non medidiem? credo, quod erat insuavius*) scilicet ob repetitam syllabam DI.

Vna praepositio est, ABS, *quae nunc tantum in accepti tabulis manet*) Si vulgatam lectionem sequimur, eaque *nunc tantum in accepti tabulis manet*, non intelligitur, cur Cicero dixerit *una*. Strebaeus quidem h. l. ad sensum recte sic circumscribit: « Ex tribus praepositionibus ABS, AB, A una vera et antiqua incorruptaque est ABS, duae reliquae AB et A detractis literis inde factae sunt nannque invenerunt frequentiorem. » At sic, ut fieri solet in paraphrasibus, plus est in sententia interpretis, quam in verbis Ciceronis. Incommodum sustulisse mihi videor, *ea quae in quae* mutando; correctioni favet Gu. 3, in quo abest *ea*.

In accepti tabulis) «Id est, iis commentariis, quae Regesta vocant, ubi accepta et expensa memoriae causa notari solent; ut. accepi abs Quintio sestertium duo millia, abs T. Roscio tria millia. ABS tamen apud Terentium reperies (Adelph II, 3, 1): *Abs quivis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas*. Et alibi (Andr. III, 5, 3): *Ego dudum nonnihil veritus sum, Dave, abs te*. Hinc grammatici praecipiunt, ABS praepositionem dari oportere verbis incipientibus ab iis literis, quae primae sunt in Quolibet et Tito. Cicero de lingua sui temporis, non autem priorum loquutus est. Sed et ipse dixit ABS lib. de Divinat. II, nec semel dixit, imitatus veteres. » Hactenus Strebaeus. Ego vero vix puto Ciceronem absolute scripsisse, *quae nunc tantum in tabulis accepti manet*; sed credo inter *nunc* et *tantum* excidisse *fere*.

Abs verum sit, an ab an abs) Vulgo *abne verum sit an abs*. At quia tria verba nominata erant, *amovit*, *abegit*, *abstulit*, quorum primum est cum A, alterum cum AB, tertium cum ABS compositum, manca foret sententia: *ut iam nescias* etc. nisi sic, ut fecimus, compleretur. Et lectionis a nobis correctae vestigia manent in cod. Gu. 3, ceteroquin corrupto: *an ne verum sit ut aut ab abs*. In edit. Omnib. *ne ne verum sit ne abs*. *Verum* autem h. l. significat id, quod

visum est; et *abfer* noluerunt, *aufugit* et *aufer* maluerunt? quae praepositio, praeter haec duo verba, nullo alio in verbo reperitur. *Noti* erant, et *navi*, et *nari*, quibus quum IN praeponi oporteret, dulcius visum est, *ignoti*, *ignavi*, *ignari* dicere, quam ut veritas postulabat. *Ex usu* dicunt, et *e republica*, quod in altero vocalis excipiebat, in altero esset asperitas, nisi literam sustulisses; ut *exegit*, *edixit*, *extulit*, *edidit*; at in *effecit* adiuncti verbi prima litera praepositionem commutavit; ut in *suffugit*, *summutavit*, *sustulit*.

48, Quid in verbis iunctis? quam scite *insipientem*,

usui pristino et etymologiae convenit.

Aufugit et aufer maluerunt?) Vulgo male omissum *aufugit*, quod necessario inserendum erat, quia sequitur *quae praepositio* (AB) *praeter haec duo verba nullo alio in verbo reperitur*. Cf Quintil. I, 5, 69.

Ut exegit, edixit, extulit, edidit. at in effecit *adiuncti verbi prima litera praepositionem commutavit*; ut in suffugit etc.) Haec adhuc multipliciter corrupta legebantur in edd. Et proxime quidem etiam apud Ernestium sic: *exegit*, *edixit*, *effecit*, *extulit*, *edidit*, *adiuncti verbi primam literam praepositio commutavit*; *ut suffugit* etc. Hic primum *effecit* alieno loco positum, nam illa quatuor verba *exegit*, *edixit*, *extulit*, *edidit*, confirmare debent id, quod Cicero modo ante dixerat. *Ex usu dicunt*, *et e republica*, *quod in altero vocalis excipiebat*, *in altero esset asperitas*, *nisi literam sustulisses*. Sic igitur *exegit* dicitur et *extulit*, servato EX, ut in *ex usu*; contra *edixit* et *edidit*, ut in *e republica*, litera X, ne fiat aspera compositio, sublata. Verbum *effecit* autem exemplum est eius, quae sequitur, animadversionis, in quibusdam verbis accidisse, ut prima verbi litera praepositionem commutaret. (Sic enim legendum esse, non, ut vulgo, *adiuncti verbi primam literam praepositio commutavit*, et sensus manifesto evincit, et iam Ernestius monuit.) Sic igitur in *effecit* prima verbi adiuncti litera praepositionem EX in EF commutavit; ut in *suffugit*, *summutavit*, *sustulit* factum.

Quid in verbis iunctis) Ernestius sine causa hic haesit, An vero, inquit, exempla praecedentia *exegit* etc *suffugit* etc. non sunt *iuncta* i. e. composita? Vero, sed Cicero antea de mutatione loquutus erat, quam praepositio verbis adiuncta dulcioris soni causa pateretur. Nunc accedit ad exempla vocalium in ipsis verbis iunctis mutatarum. Itaque nihil est hic interpolatum Si quid mutandum esset, adiicerem *ipsa* post verba *quid in*.

Quam scite. insipientem) Quid in hac mutatione scitum sit, difficile est dicere. Vereor, ne Ciceroni illocerit usus loquendi pervicacia, ut in ea suavitatem quaereret, quae nulla est. Ac in *mediehem* Ciceroni insuavius videbatur ob syllabam eandem bis repetitam, quidni insuavius sit eu-

non *insapientem? iniquum*, non *inaequum? tricipitem*, non *tricapitem? concisum*, non *concaesum*? Ex quo quidam *pertisum* etiam volunt: quod eadem consuetudo non probavit. Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodam instituto? *Inclytus* dicimus brevi prima litera, *insanus* producta: *inhumanus* brevi, *infelix* longa. Et, ne multis, quibus in verbis eae primae literae sunt, quae in *sapiente*, atque *felice*, producte dicitur IN; in ceteris omnibus, breviter. Itemque *composuit*, *consuevit*, *concrepuit*, *confecit*. Consule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. Quaere, cur? ita se dicent iuvari. Voluptati autem aurium morigerari debet oratio. Quin ego ipse, quum scirem ita maiores loquutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Cartaginem* dicerem; aliquando, idque sero,

ribus *insapientem*, quod tamen usus probavit, quam *insapientem?*

Inclytus) Apud Gellium, qui h. l. tractat Noct. Att. II, 17 est *indotus*. Idem in Gu. 3, et Ed. Lips. occurrit.

Producte dicitur IN) Necessario erat adiiciendum IN; quod vulgo omissum sensum obscurat, quia nescit lector, quid *producte* dicatur. In Gu. 3 quidem est *producte dicuntur*; hoc autem referretur ad primas literas in sapiente atque felice, quae relatio esset inepta.

Itemque composuit, consuevit, concrepuit, confecit) Nempe hic praepositio CON producte dicebatur, in *cōnsuevit*, *cōnfecit*; sed autem ei breviter in *cŏmposuit*, *cŏncrepuit*.

* *Consule veritatem*) Id est h. l. ἀναλογίαν grammaticam, seu ἔτυμον verborum.

* *Refer ad aures, probabunt*) Non continuo, quia sic sit suavius; sed quia scilicet omnibus quae sunt insolita, et quae abhorrent a consuetudine, offendimur.

* *Nusquam nisi in vocali*) Huc pertinent quae Fabius lib. I, cap. 5, tradit de aspiratione: *Parcissime ea veteres usi, etiam in vocalibus, quum aedos, ircosque dicebant. Diu deinde servatum ne consonantibus aspirarentur, ut in* Graccis et triumpis. *Erupit brevi tempore nimius usus, ut choronae, chenturiones, praecones adhuc quibusdam inscriptionibus maneant. Qua de re Catulli nobile epigramma est: Chommoda dicebat, si quando commoda vellet Dicere, et hinsidias Arrius insidias* etc. PAVET.

* *Aliquando, idque sero*) Consuetudo et usus aspirandi veteribus Romanis fuit, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, ut *homo*, *inhumanus*, *vehicula*, *trahebat*. Hanc veluti legem sequutus Cicero, reclamante populo dicebat sine aspiratione

convicio aurium quum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. *Orcinios* tamen, et *Matones*, *Otones*, *Caepiones*, *sepulcra*, *coronas*, *lacrymas* dicimus, quia per aurium iudicium licet. *Burrum* semper Ennius, nunquam *Pyrrhum*. *Vi patefecerunt Bruges*, non *Phryges*; ipsius antiqui declarant libri. Nec enim graecam literam adhibebant: nunc autem etiam duas; et quum *Phrygum*, et *Phrygibus* dicendum esset, absurdum erat aut tantum barbaris casibus graecam literam adhibere, aut recto casu

pulcros, *Cetegos*, *triumpos*, *Cartaginem*, et cetera id genus. Aliquando tamen, idque sero, quum veritas, id est vera loquendi ratio extorta esset homini aurium convicio, hoc est, auribus ipsius indignantibus, et tacite conviciantibus illa asciora durioraque sentiri, tum coepit ire per viam publicam, et cum populo dicere *pulchros*, *Cethegos*, *triumphos*, *Carthaginem*, quae nunc quoque scribenda servamus aspiratione mollita: sed ut plerisque pronunciatio est, aspiratio non auditur. *Usum*, inquit, *populo concessi*, *scientiam mihi reservavi*. Ex arte praeceptisque scientia comparatur, a qua si loquendi consuetudo dissentit, tum censet consuetudini potius et auribus, quam scientiae parendum. Strebs.

* *Convicio aurium quum extorta mihi veritas esset*) h. e. quum crebro aurium offensione cogerer ab analogia vetere discedere.

Orcinios) Ita Strebaeus. Vulg. *Orcivios*. MS Viteb. *Ocuvios* Ed. Ven. *Occivios*.

* *Orcinios — lacrymas dicimus*) scil. aspiratione vitiata, quum alii pronuntiarent *Orchinios*, *Mathones*, *Othones*, *Chaepiones*, *sepulchra*, *chorones*, *lachrymas*.

Quia per aurium iudicium licet) Auctoritate Cm. 3 delevi *semper*, vulgo inter *iudicium* et *licet* inculcatum, quod vel sine libris delendum fuisset. Hic enim ad significationem otiosum est, et statim suo loco recurrit, unde huc quoque temere aberravit. Ceterum hic etiam Cicero aurium iudicio tribuit, quod erat a vi consuetudinis repetendum. Et Quintilianus I, 5, 20, aspirationis rationem cum temporibus saepius mutatam esse affirmat: «Parcissime ea veteres usi etiam in vocalibus, quum *aedos ircosque* dicebant. Diu deinde servatum, ne consonantibus aspiraretur, ut in *Graccis* et *triumpis*. Erupit brevi tempore nimius usus, ut *chorone*, *chenturiones*, *praechones* adhuc quibusdam inscriptionibus (leg. fortasse *in scriptionibus*) maneant.»

* *Ipsius antiqui declarant libri*) h. e. Ennii librorum antiquiora exempla a librariis descripta, ut iam Ciceronis tempore in scriptura in recentioribus exemplis videatur ab iis mutata esse.

* *Nunc autem etiam duas*) scil. in vocabulo *Phryges*, duas graecas literas Φ et Υ

Aut tantum barbaris casibus) «Sunt Latini, qui apud Graecos non sunt. Nempe nominativus in *Phryges* et

solum graece loqui; nunc tamen et *Phryges* et *Phrygum* aurium causa dicimus. Quin etiam, quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae literae, quae sunt in *optumus*, postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Id non erat offensioni in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi. Ita enim loquebantur: *Qui est omnibu' princeps*, non *omnibus princeps*. Et, *Vita illa dignu'*, *locoque*, non *dignus*. Quodsi indocta consuetudo tam est artifex suavitatis, quid ab ipsa tandem arte et doctrina postulari putamus? Haec dixi brevius, quam si hac de re una disputarem (est enim hic locus late patens, de structura sonoque verborum), longius autem, quam instituta ratio postulabat.

Sed quia rerum, verborumque iudicium, prudentiae est; vocum autem, et numerorum, aures sunt iudices;

graecus et latinus est; genitivus et dativus non item; aliter enim eos casus fiunt Graeci, aliter Latini. Hactenus Ernesti. Gesnerus in Thes. L. L. voc. *Casus* putabat adverbium *tantum* abesse debere. Et autem respondet *solum* in altero membro.

Nunc tamen) Praeposui *nunc*, quod hic non magis abesse potest, quam antea in verbis, *nunc autem etiam duas*.

Et Phryges et Phrygum aurium causa dicimus) Vulgo male: *et Phryges et Pyrrhum*, etsi iam Ed. Omnib. habet *Phrygum*. De *Pyrrho* enim hic non amplius agebatur. Sensus enim est iste: absurdum erat sed tantum barbaris casibus graecam literam adhibere, ut *Phrygum* et *Phrygibus* diceres, et tamen in nominativo *Bruges*; aut recto casu solum graece loqui ut *Phryges* diceres, et tamen genitivum et dativum per *Brugum* et *Brugibus* efferres. Nunc tamen et *Phryges* (recto casu) et *Phrygum* (barbaro casu) dicimus.

Id non erat offensioni) Sic emendavi vulg. *ita non erat offensioni in versibus*, non solum quia *ita* proximam periodum incipit, sed quod hic *ita* non satis definit, quid fuerit offensioni.

Ita enim loquebantur) Vulgo perperam, *ita enim loquebamur*. Nam persona verbi tertia opus est, ut respondeat praecedenti *detrahebant*. Vidit Heusingerus.

Vita illa dignu', locoque) Est Lucilii hemistichium. Integer versus affertur Tuscul. Qu. lib. II, cap. 27: *Samnis spurcus homo, vita illa dignu' locoque*, de Aeserninо gladiatore. Cf. de Opt. Gen. Orator. cap. 6. Respexit Ciceronis locum, in quo versamur, Quintilian. IX, 4, 38.

et, quod illa ad intelligentiam referuntur, haec ad voluptatem; in illis ratio invenit, in his sensus artem. Aut enim negligenda nobis fuit voluptas eorum, quibus probari volebamus, aut ars eius conciliandae reperienda. Duae sunt igitur res, quae permulceant aures, *sonus* et *numerus*. De numero mox, nunc de sono quaerimus. Verba (ut supra diximus) legenda sunt potissimum bene sonantia, sed ea non ut poetae, exquisita ad sonum, sed sumta de medio.

Qua ponto ab Helles — — —

superat modum: at,

Auratos aries Colchorum — — —

splendidis nominibus illuminatus est versus: sed proximus inquinatus insuavissima litera:

Frugifera et ferta arva Asiae tenet.

Quare bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore Graecorum, nisi forte sic loqui poenitet, *Qua tempestate Paris Helenam*, et quae sequun-

Qua ponto ab Helles) Vulg. *qua pontus Helles*. At si ita legatur, non intelligitur, quid hic ad sonum exquisitum sit, aut modum superet. Itaque post Ernestium Lipsio assentior, qui Epistolicar. Quaestionum lib. V, ep. 5 coniecit, respexisse Ciceronem eosdem versus, qui a Seneca ep. LXXXI citantur: *Imperito Argis, regna mihi liquit Pelops, Qua Ponto ab Helles, atque ab Ionio mari Frangitur Isthmos*. In hisce versiculis loquens inducitur Atreus; fortasse igitur ex Ennii Thyeste sumti.

Inquinatus insuavissima litera) Vulgo addebatur *finitus*, quod expunxi, ut mihi cassum et absurdum. Nec aliquid lucramur, si cum Strebaeo legamus *infractus*. Versus dicitur insuavissima litera (R) inquinatus. Quatervenam recurrit litera eamna. Forsan tamen Cicero scripserat: *inquinatus insuavissimae literae sonitu*, ut ex *sonitu* librarii fecerint *finitus*.

Qua tempestate Paris Helenam) Cicero de Orat. III, 38 laudat ex Coelio Antipatro *qua tempestate Poenus in Italiam venit*. In commentario igitur ad h. Oratoris locum incertus haerebat Strebaeus, an illud *qua tempestate Paris Helenam* esset alterius historiae principium, an idem hoc in libro corruptum. Non meminerat scilicet in libro III de Oratore cap. 58, allatos ex Ennii vel Accii Hecuba

tur. Immo vero ista sequamur, asperitatemque fugiamus: *Habeo istam ego perterricrepam...* Itemque: *Versutiloquas malitias.*

49. Nec solum componentur verba ratione, sed etiam finientur, quoniam id iudicium esse aurium alterum diximus. Sed finiuntur aut compositione ipsa, aut quasi sua sponte, et quodam genere verborum, in quibus ipsis concinnitas inest: quae, sive casus habent in exitu similes, sive paribus paria redduntur, sive opponuntur contraria, suapte natura numerosa sunt, etiamsi nihil est factum de industria. In huius concinnitatis consectatione Gorgiam fuisse principem accepimus, quo de genere illa nostra sunt in Miloniana: *Est enim, iudices, haec non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus.* Haec enim talia sunt, ut, quia referuntur ad ea, ad quae debent referri, intelligamus non quaesitum esse numerum, sed sequutum. Quod fit item in contrariis referendis: ut illa sunt, quibus non modo numerosa oratio, sed etiam versus efficitur:

Eam, quam nihil accusas, damnas.

Condemnas diceret, qui versum effugere vellet.

Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri.
Quod scis, prodest nihil: id, quod nescis, obest.

versiculos *Qua tempestate Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis*, et qua sequuntur.

Componentur — finientur) Gu. 3, *componantur — finiantur.*

Aut quasi sua sponte, et quodam genere verborum) Hunc particularum transpositionem sensus manifesto poscit. Vulgo *et quasi sua sponte aut quodam genere verborum.*

* *Sed sequutum*) i. e. suapte sponte, sine industria oratoris, contiguae.

Bene — mereri) Metrum ut constet, versiculus ita scribendus videtur: *Bene quam meritam autumas, male mereri dicis.* Etsi, ut hic scriptus est, in Topicis cap. 13, una cum ceteris repetitur.

Quod scis) Vulgo, id *quod scis*, laxato metro.

Versum efficit ipsa relatio contrariorum. Id esset in oratione numerosum: *Quod scis, nihil prodest: quod nescis, multum obest.* Semper haec, quae Graeci ἀντίθετα nominant, quum contrariis opponuntur contraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, etiam sine industria. Hoc genere antiqui iam ante Isocratem delectabantur, et maxime Gorgias; cuius in oratione plerumque efficit numerum ipsa concinnitas. Nos etiam in hoc genere frequentes, ut illa sunt in quarto Accusationis: *Conferte hanc pacem cum illo bello: huius praetoris adventum, cum illius imperatoris victoria: huius cohortem impuram, cum illius exercitu invicto: huius libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.* Ergo et hi numeri sunt cogniti.

50. Genus illud tertium explicetur, quale sit, numerosae et aptae orationis. Quod qui non sentiunt, quas aures habeant, aut quid in his hominis simile sit, nescio. Meae quidem et perfecto completoque verborum ambitu gaudent, et curta sentiunt, nec amant redundantia. Quid dico meas? conciones saepe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent. Id enim exspectant aures, ut verbis colligentur sententiae. Non erat hoc apud antiquos. Et quidem nihil aliud fere non erat. Nam et verba eligebant, et sententias graves et suaves reperiebant, sed eas aut vinciebant, aut

Etiam sine industria) Sic Gu 3, est enim ≻ q. antea dixerat, *etiamsi nihil est factum de industria.* Vulg. *et eam sine industria.*

* *In quarto accusationis*) Verrin. IV, cap. 52.

Sunt cogniti) Vulgo, *sint cogniti*, ut Gu 3. At enim Cicero dicit, quid ipse exposuerit, non quid ab oratoribus cognoscendum sit. Sequitur statim: *genus illud tertium explicetur, quale sit, numerosae et aptae orationis.*

* *Aut quid in his hominis simile sit*) Infra cap. 51 dicuntur eidem *aures inhumanas* habere.

explebant parum. Hoc me ipsum delectat, inquiunt, Quid? si antiquissima illa pictura paucorum colorum magis, quam haec iam perfecta, delectet? illa nobis sit, credo, repetenda; haec scilicet repudianda. Nominibus veterum gloriantur. Habet autem, ut in aetatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas; quae quidem apud me ipsum valet plurimum. Nec ego id, quod deest antiquitati, flagito potius, quam laudo, quod est; praesertim quum ea maiora iudicem, quae sunt, quam illa, quae desunt. Plus est enim in verbis et in sententiis boni, quibus illi excellunt, quam in conclusione sententiarum, quam non habent. Post inventa conclusio est, qua credo usuros veteres illos fuisse, si iam nota atque usurpata res esset; qua inventa, omnes usos magnos oratores videmus. Sed habet nomen invidiam, quum in oratione iudiciali et forensi numerus, graece ῥυθμός, inesse dicitur. Nimis enim insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur, si etiam in dicendo numeri ab oratore quaeruntur. Hoc freti isti, et ipsi infracta et amputata loquuntur, et eos vituperant, qui apta et finita pronuntiant. Si inanibus verbis, levibusque sententiis, iure. Sin probae res, lecta verba; quid est cur claudere aut insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? Hic enim invidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia: quod fit etiam ab antiquis, sed plerumque casu, saepe natura:

* *Nominibus veterum gloriantur*) Haec gloriatio quam vana sit, ostendit sic, ut primum doceat, veteres quoque illos numero oratorio usuros fuisse, si iam nota et usurpata res esset, deinde a multis eorum interdum sententias apte verbis comprehendi, plerumque casu, saepe natura, et quae valde laudentur apud illos, ea fere quia sint conclusa, laudari. Denique ineptos illorum imitatores non habere, quo se efferant, quia nihil illorum nisi vitium sequantur, quum a bonis absint longissime.

* *Claudere*) i. q. *claudicare*, quod ipsum nonnulli hic ediderunt.

et quae valde laudantur apud illos, ea fere, quia sunt conclusa, laudantur. Et apud Graecos quidem iam anni prope quadringenti sunt, quum hoc probatur; nos nuper agnovimus. Ergo Ennio licuit, vetera contemnenti, dicere:

Versibu', quos olim Fauni, vatesque canebant·

mihi de antiquis eodem modo non licebit? praesertim quum dicturus non sim, *Ante hunc* . . . ut ille: nec quae sequuntur, *Nos ausi reserare* . . . Legi enim audivique nonnullos, quorum propemodum absolute concluderetur oratio. Quod qui non possunt, non est eis satis non contemni, laudari etiam volunt. Ego autem illos ipsos laudo, idque merito, quorum se isti imitatores esse dicunt, etsi in eis aliquid desidero: hos vero minime, qui nihil illorum, nisi vitium, sequuntur, quum a bonis absint longissime.

51. Quodsi aures tam inhumanas, tamque agrestes habent, ne doctissimorum quidem virorum eos movebit auctoritas? Omitto Isocratem, discipulosque eius, Ephorum et Naucratem; quamquam orationis faciendae et ornandae auctores locupletissimi, summi ipsi oratores, esse debebant. Sed quis omnium doctior, quis in rebus vel inveniendis acutior, vel iudicandis acrior Aristotele fuit? quis porro Isocrati est adversatus impensius? Is igitur versum in oratione vetat esse, numerum iubet. Eius auditor Theodectes, in primis (ut

* *Esse debebant*) Recepi hoc e Gu. 3. Vulg. *esse debeant*. Sed conf. Heusingeri notam § ad Cic. off. III, c. 1. Sensus autem est: quamquam illi, quum summi (sic enim cum Em. legendum ut vulgo *summique*) ipsi oratores essent, propterea etiam auctores locupletissimi faciendae (i. e. fingendae et excolendae) et ornandae orationis esse debebant.

Impensius) Ita Gruter. Plerique *infensius*.

Is igitur versum in oratione vetat esse) διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσται. Arist. Rhet. III, 8.

* *Theodectes*) E Lycia orator, Platonis, Isocratis, et Aristotelis discipulus. Scripsit verso artem oratoriam: numeum etiam ad poesim tra-

Aristoteles saepe significat) politus scriptor, atque artifex, hoc idem et sentit et praecipit. Theophrastus vero, iisdem de rebus etiam accuratius. Quis ergo istos ferat, qui hos auctores non probent? nisi omnino haec esse ab his praecepta nesciant. Quod si ita est; nec vero aliter existimo: quid? ipsi suis sensibus non moveantur? nihilne eis inane videatur? nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans? In versu quidem theatra tota reclamant, si fuit una syllaba aut brevior, aut longior. Nec vero multitudo pedes novit, nec ullos numeros tenet; nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit: et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis, sicut acutarum graviumque vocum, iudicium ipsa natura in auribus nostris collocavit.

52. Visne igitur, Brute, totum hunc locum accuratius etiam explicemus, quam illi ipsi, qui haec, et alia nobis tradiderunt? an his contenti esse, quae ab illis dicta sunt, possumus? Sed quid quaero, velisne, quum literis tuis, eruditissime scriptis, te id vel maxime velle perspexerim? Primum ergo *origo*, deinde *causa*, post *natura*, tum ad extremum *usus* ipse explicetur orationis aptae atque numerosae.

Nam qui Isocratem maxime mirantur, hoc in eius

gicam summa laude appulit. Obiit anno aetatis 41. Floruit Olympiade 103. (Suidas) Pavsr.

Moveantur) Recte sic Gu. 3. Vulg. *moventur.*

* *Nihil inconditum*) i. e. ad numeros male compositum, *nihil curtum* i. e. priore ob extrema parte nimis breve; *nihil claudicans* i. e. priore membro iusto brevius.

* *Theatra tota reclamant*) Ita Lambinus sequutus scripsi, quia hic de spectatoribus histrionum improbantibus agitur. Vulg. *exclamant* potius de laude ponitur, ut supra cap. 50, *conciones saepe exclamare vidi.*

Aut brevior aut longior) Prius *aut* inserui auctoritate Guelf. 3, ubi est, *aut longior, aut brevior.*

Qui haec et alia) Sic Guelf. 3. Vulg. *qui et haec et alia.*

* *Nam, qui Isocratem*) Particula *nam* refertur ad omissam brevem sententiam, v. c. huiusmodi *Ac de origine quidem numerorum variae sunt doctorum sententiae.*

summis laudibus ferunt, quod verbis solutis numeros primus adiunxerit. Quum enim videret, oratores cum severitate audiri, poëtas autem cum voluptate: tum dicitur numeros sequutus, quibus etiam in oratione uteremur, cum iucunditatis causa, tum ut varietas occurreret satietati. Quod ab his vere quadam ex parte, non totum, dicitur. Nam neminem in eo genere scientius versatum Isocrate, confitendum est: sed princeps inveniendi fuit Thrasymachus; cuius omnia nimia etiam exstant scripta numerose. Nam, ut paulo ante dixi, paria paribus adiuncta, et similiter definita, itemque contrariis relata contraria, quae sua sponte (etiamsi id non agas), cadunt plerumque numerose, Gorgias primus invenit; sed his est usus intemperantius. Id autem est genus, ut ante dictum est, ex tribus partibus collocationis alterum. Horum uterque Isocratem aetate praecurrit; ut eos ille moderatione, non inventione vicerit. Est enim, ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. Gorgias autem avidior est generis eius, et his festivitatibus (sic enim ipse censet) insolentius abutitur; quas Isocrates (quum tamen audivisset in Thessalia adolescens senem iam Gorgiam) moderatius temperavit. Quin etiam se ipsum tantum, quantum aetate procedebat (prope enim centum confecit annos), relaxarat a nimia necessitate numerorum; quod declarat

Hoc in eius summis laudibus ferunt) Lambin. *in hoc eum summis laudibus ferunt.*

Vteremur) Gu. 3 habet *uteretur*, verius fortasse, ut ad solum Isocratem pertineat. Si verum est *uteremur*, refertur ad exemplum ab Isocrate posteris quoque relictum.

* *Id autem est genus*) Collocationis verborum, ut ante Cicero explicuit cap. 44, triplex est genus: primum, ut inter se verba aptissime cohaereant extrema cum primis: alterum, de quo hic agitur, ut ipsa verborum concinnitas conficiat orbem suum: tertium, ut comprehensio numerose cadat. Pa.

Tranquillior) Exquisite pro *moderatior*, *temperantior*.

Se ipsum) Ita scribendum erat,

in eo libro, quem ad Philippum Macedonem scripsit, quum iam admodum esset senex; in quo dicit sese minus iam servire numeris, quam solitus esset. Ita non modo superiores, sed etiam se ipsum correxerat.

53. Quoniam igitur habemus aptae orationis eos principes, auctoresque, quos diximus, origo inventa est, causa quaeratur. Quae sic aperta est, ut mirer, veteres non esse commotos, praesertim quum, ut fit, fortuito saepe aliquid concluse apteque dicerent; quod quum animos hominum, auresque pepulisset, ut intelligi posset, id, quod casus effudisset, cecidisse iucunde: notandum certe genus, atque ipsi sibi imitandi fuerunt. Aures enim, vel animus aurium nuntio naturalem quandam in se continet vocum omnium mensionem. Itaque et longiora et breviora iudicat, et perfecta ac moderata semper exspectat. Mutila sentit quaedam, et quasi decurtata; quibus, tanquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia, et quasi immoderatius excurrentia, quae magis etiam aspernantur aures; quod, cum in plerisque, tum in hoc genere, nimium quod est, offendit vehementius, quam id, quod videtur parum. Vt igitur in poetica versus inventus est terminatione aurium, observatione prudentium: sic in oratione animadversum est, multo illud quidem serius, sed eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus conclusionesque verborum.

stem ut paulo post, non, ut vulgo, *se ipsa*.

* *In eo libro*) In oratione ad Philippum, qua eum hortatur, ut praecipuis Graeciae urbibus reconciliatis, bellum Persis inferat. PAVST.

Origo inventa est, causa quaeratur) Sic Gu. 3. Vulg. *et origo inventa est*, ut haec verba finem faciant protaseos, sed iis nimis curta fit apodosis, *causa quaeratur*; itaque melius nobis visum, lectione codicis illius expressa, protasin in verbis, *quos diximus*, finire. *Diximus* autem a Med. Asc. recte restituit Ernestius, Vulg. *diximus*.

Vt igitur in poetica versus) Vulgo inepte, *ut igitur poetica et versus*. Correctionis nostrae propter sensum ve-

54. Quoniam igitur causam quoque ostendimus, naturam nunc (id enim erat tertium), si placet, explicemus; quae disputatio non huius instituti sermonis est, sed artis intimae. Quaeri enim potest, ecqui sit orationis numerus, et ubi sit positus, et natus ex quo; et is unusne sit, an duo, an plures, quaque ratione componatur, et ad quam rem, et quando, et quo loco, et quemadmodum adhibitus aliquid voluptatis afferat. Sed ut in plerisque rebus, sic in hac, duplex est considerandi via; quarum altera est longior, brevior altera, eadem etiam planior. Est autem longioris prima illa quaestio, sitne omnino ulla numerosa oratio? (quibusdam enim non videtur, quia nihil insit in ea certi, ut in versibus; et quod ipsi, qui affirment esse numeros, rationem, cur sint, non queant reddere); deinde, si sit numerus in oratione, qualis sit, aut quales, et e poeticisne numeris, an ex alio genere quodam, et, si e poeticis, quis eorum sit, aut qui? (namque aliis unus modo, aliis plures, aliis omnes iidem videntur). deinde, quicunque sunt, sive unus, sive plures, communes sint omni generi orationis? (quoniam aliud genus est narrandi, aliud persuadendi, aliud docendi); an dispares numeri cuique orationis generi accommodentur? si communes, qui sint? si dispares, quid intersit, et cur non aeque in oratione, atque in versu numerus appareat? deinde, quod dicitur in oratione numerosum, id utrum

florem oppositionis quoque salis fa-cel, sequitur enim ac in oratione

Ecqui sit orationis numerus) Vulg. *qui sit orationis numerus*. Emendationi nostrae patrocinantur verba quae paulo post sequuntur. *Est autem longioris prima illa quaestio, sitne omnino ulla numerosa oratio.*

Esse numeros) Haud dubium est, quin recte sustulerimus *eos* vulgo ante *esse* male inculcatum. In Gu. 3 ponitur *eos* post *esse*, ut vel hoc suspicionem glossematis confirmet.

Quicunque sunt) Indicativum h. l. defendit Heusingerus. Conf. eius e fratre nepotis praef. ad Cicer. de off. p. 25.

numero solum efficiatur, an etiam vel compositione quadam, vel genere verborum; an sit suum cuiusque, ut numerus intervallis, compositio vocibus, genere ipso verborum quasi quaedam forma et lumen orationis appareat; sitne omnium fons compositio, ex eaque et numerus efficiatur, et ea, quae dicuntur orationis quasi formae et lumina, quae (ut dixi) Graeci vocant σχήματα. At non est unum, nec idem, quod voce iucundum est, et quod moderatione absolutum, et quod illuminatum genere verborum; quamquam id quidem finitimum est numero, quia per se plerumque perfectum est; compositio autem ab utroque differt, quae tota servit gravitati vocum aut suavitati. Haec igitur sunt, in quibus rei natura quaerenda sit.

55. Esse ergo in oratione numerum quemdam, non est difficile cognoscere. Indicat enim sensus; in quo est iniquum, quod accidit, non agnoscere, si, cur id acci-

Genere ipso verborum quasi quaedam forma et lumen orationis appareat) Sic necessario emendavimus. Vulgo suum absurde edebatur: *genus ipsum verborum* etc. quod ineptum esse intelligi poterat sive ex antecedentibus: *id utrum numero solum efficiatur, an etiam vel compositione quadam, vel genere verborum;* sive ex consequentibus: *et quod illuminatum genere verborum.* Ceterum Lambinus totum h. l. sic edidit: *ut numerus in intervallis, compositio in vocibus, genus ipsum verborum in quadam quasi forma et lumine orationis appareat.*

Sitne) Vulg. *sitque*, quasi ea quae sequuntur ad membrum secundum, *an sit — appareat*, referenda sint; sed autem hoc ex tribus membris distinctis tertium. Necessario igitur vel *sitne* vel *sive* legendum erat.

* *Quamquam id quidem finitimum est numero, quia per se plerumque perfectum est*) Nempe illa quae dicuntur σχήματα, quae genere quodam verborum illuminantur, (ut illa quae supra cap. 4) ex oratione Miloniana attulerat) eam ob caussam finitima sunt numero, quia per se, etiamsi non quaesiveris numerum, tamen plerumque numerose cadunt. *Perfectum* enim h. l. idem est ac numerosum, s. perfecte et absolute conclusum.

Indicat enim sensus) Vulg. *indicat enim sensus.* At hoc loco non agitur de *iudicio*, sed tantum de *indicio* eius, quod accidit.

Non agnoscere) Optime sic Gu. 3. Vulgatum *cognoscere* non propterea solum deterius, quod paulo ante iam positum erat *cognoscere*, sed quod h. l. propria vis verbi *agnoscere* requiritur.

dat, reperire nequeamus. Neque enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit. Ita notatio naturae et animadversio peperit artem. Sed in versibus res est apertior; quamquam etiam, a modis quibusdam cantu remoto, soluta esse videatur oratio, maximeque id in optimo quoque eorum poëtarum, qui λυρικοὶ a Graecis nominantur; quos quum cantu spoliaveris, nuda paena remanet oratio. Quorum similia sunt quaedam etiam apud nostros; velut illa in Thyeste:

Quemnam te esse dicam? qui tarda in senectute.

et quae sequuntur: quae, nisi quum tibicen accessit, orationi sunt solutae simillima. At comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abiecti, ut nonnunquam vix in eis numerus et versus intelligi possit: quo est ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quam in versibus. Omnino duo sunt, quae condiant orationem; verborum numerorumque iucunditas. In verbis inest quasi materia quaedam; in numero autem expolitio. Sed ut ceteris in rebus, necessitatis inventa antiquiora sunt, quam voluptatis; ita et in hac re accidit, ut multis seculis ante oratio nuda, ac rudis ad solos animorum sensus exprimendos fuerit reperta,

* *Neque enim ipse versus ratione est cognitus*) h. e. versum non excogitavit ratio sive θεωρία quaedam philosophica suapte sponte, scil. ut scholastici loquuntur *a priori*.

A modis quibusdam cantu remoto) Valgo male sic interpungitur: *quamquam etiam a modis quibusdam, cantu remoto*. Significatur enim hoc: *quamquam etiam si a modis quibusdam* (h. e. metrorum generibus) *cantum removeris, soluta esse videatur oratio*: gewisse *Versmaasse klingen wie Prosa, wenn man sie vom Gesange trennt*. Sic nihil opus est Ernestii coniectura, *in modis quibusdam*.

Vix in eis numerus et versus intelligi possit) Vulg. *vix in his* etc. At in Gu. 3 est *vix in eis numerus et versus possit intelligi*, quo ex lectione assumsi *eis*.

* *Ad inveniendum*) Id est h.l. ad *intelligendum*.

Ita et in hac re) Fortasse versus particulam *et* delere.

quam ratio numerorum, causa delectationis aurium, excogitata. Itaque et Herodotus, et eadem superiorque aetas numero caruit, nisi quando temere ac fortuito; et scriptores perveteres de numero nihil omnino, de oratione praecepta multa nobis reliquerunt. Nam quod et facilius est, et magis necessarium, id semper ante cognoscitur. Itaque translata, aut facta, aut iuncta verba, facile sunt cognita, quia sumebantur e consuetudine, quotidianoque sermone. Numerus autem non domo depromebatur, neque habebat aliquam necessitudinem aut cognationem cum oratione. Itaque serius aliquanto notatus et cognitus quasi quandam palaestram et extrema lineamenta orationi attulit. Quodsi et angusta quaedam atque concisa, et alia est dilatata et fusa oratio; necesse est id non literarum accidere natura, sed intervallorum longorum et brevium varietate, quibus implicata atque permista oratio, quoniam tum stabilis est, tum volubilis, necesse est eiusmodi varietatem numeris contineri. Nam circuitus ille, quem saepe iam diximus, incitatior numero ipso fertur aut tardius labi-

* *Eadem, superiorque aetas*) Quintilian. IX, 4, Ciceroni refragatur. *Nec mihi*, inquit, *quamlibet magnus auctor, Cicero persuaserit, Lysiam, Herodotum, Thucydidem parum studiosos eius numeri fuisse* PRUST.

Dilatata et fusa oratio) Sic Gu. 3. Optime. Vulg. *collatata et fusa oratio*.

Accidere) Non erat quod Ernestius lectionem *accedere*, quae est in edd. ante Ald. et MS. Vit. revocandam putaret. Nec verum est, id de numero intelligendum, sed hoc pronomen refertur ad proxime praecedentia, h. e. ad differentiam inter *concisam* et *diffusam* orationem eiusque caussam.

Necesse est, eiusmodi varietatem numeris contineri) Ernestius negat, verba *necesse est* habere unde pendeant. At haec verba si absunt, apodosis sententiae foret ἀνώμαλος. Nam sic procedit hoc membrum: quoniam oratio intervallis longis et brevibus implicata et permista tum stabilis tum volubilis est, necesse est eiusmodi varietatem (orationis) numeris contineri. Vulgo autem legitur: *eiusmodi sabitram numeris contineri*, quod sane est incommode dictum. In Gu. 3 est *ut noveam*, in quo mihi visus sum vocabulum *varietatem* deprehendere, quod h. l. est aptissimum.

Incitatior — aut tardius labi) Vulg. *incitatior numero ipso fertur et*

tur, quoad perveniat ad finem, et insistat. Perspicuum est igitur, numeris adstrictam orationem esse debere, carere versibus.

56. Sed hi numeri, *poëtici* ne sint, an *ex alio genere* quodam, deinceps est videndum. Nullus est igitur numerus extra poëticos; propterea quod definita sunt genera numerorum. Nam omnis talis est, ut unus sit e tribus. Pes enim, qui adhibetur ad numeros, partitur ita, ut necesse sit, partem pedis aut aequalem alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorem. Ita fit aequalis dactylis, duplex iambis, sesquiplex paeoni, qui pedes in orationem non cadere qui possunt? quibus ordine locatis, quod efficitur, numerosum sit necesse est. Incidere vero omnes in orationem, etiam ex hoc intelligi potest, quod versus saepe in oratione per imprudentiam

labitur. At cum adiectivo *incitatior* non bene coit verbum *labitur*, nec vero est sententia sic expressa: quia non quaevis periodus incitatior fertur ad finem. Scripsi igitur, *aut tardius labitur*. Sic infra c. 54: *Fluit omnino numerus a primis tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius.* Et cap. 59: *interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio.*

¹ *Pes enim*) Cuius loci haec est sententia. Pedes ex quibus numeri conficiuntur, triplicis sunt generis. Alii sunt aequales, et unam partem habent aequalem alteri: tales sunt spondei, qui constant ex duabus longis, tales dactyli, quorum prima longa duabus brevibus aequalis est. Alii duplices sunt, quorum una pars altero tanto maior est altera: cuiusmodi iambus est, brevis enim syllaba longa est dimidiata. Alii denique sunt sesquiplices, quorum altera pars altera dimidio maior est, ut paeon sive paean, qui longa una syllaba et tribus brevibus constat. At longa syllaba in temporum metricorum ratione duas breves aequare dicitur. Ita fit ut tres breves longam unam dimidio superent. Nam ternarius ad binarium relatus sesquialteram proportionem habet. Ita fere Badaeus lib. I de Asse. PAVET.

Partitur ita) Vulg. *partitur in tria*; inficete quidem, quia statim dictum erat, *ut unus sit e tribus*. In tribus Mss. ap. Gentequm aberat *in tria*.

Ita fit aequalis dactylus, duplex iambus, sesquiplex paeoni) Vulgo sine sensu: *ita fit aequalis dactylus, duplex iambus, sesqui paeon*. Id quo vitium a nemine adhuc animadversum esse sane miror. Nam nec ipse dactylus aequalis dicitur, nec duplex iambus; sed potius, quia praecesserat pedem sic partiri, ut necesse sit partem pedis aut aequalem alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorem, consequens erat, ut

dicimus (quod vehementer est vitiosum; sed non attendimus, neque exaudimus nosmetipsos); senarios vero, et Hipponacteos effugere vix possumus. Magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio; sed tamen eos versus facile agnoscit auditor; sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam saepe etiam minus usitatos, sed tamen versus; vitiosum genus, et longa animi provisione fugiendum. Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus Hieronymus, peripateticus in primis nobilis, plerosque senarios, sed etiam anapaesta; quo quid potest esse turpius? etsi in eligendo fecit malitiose. Prima enim syllaba demta in primo verbo sententiae, postremum ad verbum primam rursus syllabam adiunxit insequentis. Ita factus est anapaestus is, qui Aristophaneus nominatur. Quod ne accidat, observari nec potest, nec necesse est. Sed tamen hic corrector, in eo ipso loco, quo reprehendit (ut a me animadversum est studiose inquirente in eum), immittit

diceretur: *ita fit aequalis pars alteri parti dactylo, duplex pars alterius partis iambis, sesquiplex pars altera alterius partis paeoni.* Et sic fere c. 57: *Sed ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus insit aut sesquiplex, aut duplex, aut par.* Caeterum vocabulum *sesquiplex* etiam a Victore Pisonu lectum.

Quod vehementer est vitiosum) Gu. 3: *est id vehementer vitiosum.*

* *Quod vehementer est vitiosum*) Nec cavit Cicero, cui interdum versus etiam heroici exciderunt: ut pro Archia, *in quo me non inficior mediocriter esse Versatum.* Imma lib. III de Oratore, quo vitium hoc exagitatur, invalum est integrum dasticum. Sic enim loquitur Crassus cap. 5: *Ac mihi quidem veterem illi maius quiddam animo Complexi, plus multo etiam vidisse videntur, Quam quantum nostrorum ingeniorum acies Intueri possit.* Vide Vossium lib. IV Institut. Oratur. Pryst.

* *Hipponacteos*) Eosdem, qui et Scazontes et Choliambi nominantur, ut hic apud Persium, *Nec fonte labra prolui caballino.*

* *Turpius*) I. e. vitiosius, aut magis a pulcritudine abhorrens.

* *Aristophaneus*) Cuius exemplum est hoc: *Mare non amo, quod modo quam placido sistit aequore, litora candet.*

Quo reprehendit) Gothofr. conj. *quo Isocratem reprehendit.* Certe aut nomen Isocratis aut pronomen *illum* hic inserendum videtur.

Studiose) Lambin. *studiosius.*

imprudens ipse senarium. Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, eosdemque esse oratorios, qui sint poëtici.

57. Sequitur ergo, ut, qui maxime cadant in orationem aptam numeri, videndum sit. Sunt enim qui iambicum putent, quod sit orationi simillimus; qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis, quod ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae sit accommodatior. Ephorus autem, levis ipse orator, sed profectus ex optima disciplina, paeona sequitur, aut dactytum; fugit autem spondeum, et trochaeum. Quod enim paeon habeat tres breves, dactylus autem duas, temperata gravitate et celeritate syllabarum labi putat verba procerius; contraque accidere in spondeo et trochaeo, quod alter lon-

Quod ille) Ernestius scribendum putabat, *quum ille*.

Quod enim paeon habeat tres breves, dactylus autem duas, temperata gravitate et celeritate syllabarum labi putat verba procerius) Vulgo legitur *quod enim paeon habeat tres breves, dactylus autem duas, brevitate et celeritate syllabarum labi putat verba proclivius.* At nullo modo fieri potest, ut Ephorus hoc dixerit, aut Cicero eum hoc dicentem induxerit. Namque dactylum et paeonem Ephorus praetulit spondei tarditati, et trochaei (◡◡◡) celeritati, necesse est eum dixisse, illos pedes (dactylum et paeonem), utpote ex longis et brevibus syllabis compositos, medium quoddam obtinere inter spondeum et trochaeum. Id quod manifesto confirmatur Quintiliani loco Inst. orat. IX, 4, 87 *Laut enim paeonem sequitur Ephorus — dactylumque, ut temperatores brevibus ac longis, fugit spondeum et trochaeum, alterius tarditate, alterius celeritate damnata.* Itaque correctionem nostram non dubito omnibus visum iri necessariam.

Procerius) Sic dactylus et paeon numeri dicuntur *proceri* de Orat. III, 49, et postea dicitur paeon partim *mollissimus*, ob tres breves syllabas, partim *amplissimus*, ob longam iis adiunctam.

Et trochaeo) Ernestius, immo *tribrachys*, inquit, quia dicit esse e brevibus, quod in trochaeo non est. — Mirum, virum optimum non meminisse, Ciceronem eum ipsum pedem, qui dicitur *tribrachys* (◡◡◡), appellare *trochaeum*; quem enim vulgo trochaeum appellant (–◡) eum Cicero *choreum* appellat.

Quod alter longis constaret, alter e brevibus fieret; alteram nimis concitatam, alteram nimis tardam orationem) Ernestius fortasse sic scribendum esse opinabatur: *quod alter e longis constet, alter e brevibus fiert alterum* etc. Sed ultima verba

gis constaret, alter e brevibus fieret; alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam. Sed et illi priores erant, et Ephorus in culpa est. Nam qui paeona praetereunt, non vident mollissimum a sese numerum, eundemque amplissimum praeteriri. Quod longe Aristoteli videtur secus, qui iudicat, heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio; iambum autem nimia e vulgari esse sermone. Ita neque humilem, nec abiectam orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat; plenam tamen eam vult esse gravitatis, ut eos, qui audiant, ad maiorem admirationem possit traducere. Trochaeum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, *κορδακικὸν* appellat, quia contractio et brevitas dignitatem non habeat. Ita paeona probat, eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire, quum utantur: esse autem tertium ac medium inter illos, sed ita factos eos pedes esse, ut in singulis modus insit aut sesquiplex, aut duplex, aut par. Itaque

procedunt per accusativos absolutos, aut sic, ut ad antecedens *accadere* referantur, ut non opus sit verbum *fieri* tanquam fulcrum constructioni subiicere.

Nam qui paeona praetereunt) Vulgo *nam et qui p. p.* Delevi autem particulam et, quae nexum orationis potius turbat, quam illustrat. Nempe his verbis *nam qui* — usque ad verba *cum rempit orationem*, refutat illos priores, qui iambicum solummodo numerum probabant intersecta sententiae Aristoteleae laude; deinde Ephori etiam errorem convincit.

* *Qui iudicat, heroum numerum grandiorem*) Locus est Aristot. Rhetor. lib. III, cap. 8. Ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ οὐ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος, ὁ δὲ ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις τῶν πολλῶν.

Neque humilem nec abiectam orationem) Malim cum Lambino: et abiectam orationem. Ita melius respondet hoc membrum proxime sequenti.

* *Κορδακικὸν*) Vulg. depravate *cordacem*. Hoc autem nomine Aristoteles non poterat appellare numerum trochaicum, h. e. eum, qui ex pedibus trium brevium syllabarum s. tribrachis constaret. Nam *cordax* est ipsum saltationis genus. Immo potius eum κορδακικώτερον appellavit Rhetor. lib. III, cap. 8. Et iam Meursius in lib. de orchestra p. 43 praetulit *cordacicum*.

Ut in eis singulis) Pronomen eis auctore Ernestio delevi malim.

illi, de quibus ante dixi, tantummodo commoditatis habuerunt rationem, nullam dignitatis. Iambus enim et dactylus in versum cadunt maxime. Itaque ut versum fugimus in oratione, sic hi sunt evitandi continuati pedes. Aliud enim quiddam est oratio, nec quidquam inimicius, quam illa versibus. Paeon autem minime est aptus ad versum quo libentius eum recepit oratio. Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse aequalem dactylo, quem probat. Syllabis enim metiendos pedes, non intervallis, existimat; quod idem facit in trochaeo, qui temporibus et intervallis est par iambo, sed eo vitiosus in oratione, si ponatur extremus, quod verba melius in syllabas longiores cadunt. Atque haec, quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque de paeone dicuntur. Ego autem sentio, omnes in oratione esse quasi permistos et confusos pedes: nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iisdem uteremur; quia neque numerosa esse, ut poema, neque extra numerum, ut sermo vulgi, esse debet oratio. Alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat; alterum nimis dissolutum, ut pervagatum ac vulgare videatur: ut ab altero non delectere, alterum oderis. Sit igitur (ut supra dixi) per-

* *Commoditatis*) Quia iambus et dactylus suapte sponte se in vulgari sermone frequenter offerunt, adeoque nihil facilius est, quam in oratione his numeris uti.

* *Aequalem dactylo*) Aequalis est dactylo spondeus ratione non syllabarum, sed intervallorum: ut enim quatuor habet spatia dactylus, duo priora ratione unius longae, duo posteriora ratione duarum brevium, sic spondeus propter duas longas quatuor gaudet spatiis. FAVET.

* *Si ponatur extremus*) Numerosum est hoc quartae Catilinariae exordium: *Video, P. C. in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos.* Desinat trochaeo, *conversos esse*, vel *esse conversos video*, mirum quantum deficiet ip.

* *Ut ab altero*) scil. nimis dissoluto, *non delectere*, *alterum*, scilic. nimis vinctum, et quod de industria factum appareat, *oderis*, h. e. taedio ex affectata eum omni de affectatio.

* *Ut supra dixi*) Quum paulo ante

mista et temperata numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa, paeone maxime (quoniam optimus auctor ita censet), sed reliquis etiam numeris, quos ille praeterit, temperata.

58. Quos autem numeros, cum quibus, tanquam purpuram, misceri oporteat, nunc dicendum est, atque etiam quibus orationis generibus sint quique accommodatissimi. Iambus enim frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur; paeon autem in amplioribus; in utroque dactylus. Ita in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium, et quadrandae orationis industria; quae latebit eo magis, si et verborum et sententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, haec duo animadvertunt, et iucunda sibi censent, verba dico et sententias; eaque dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos et praetervolat numerus; qui tamen si abesset, illa ipsa minus delectarent. Nec vero is cursus est numerorum, orationis dico (nam est longe aliter in versibus), nihil ut fiat extra modum; nam id quidem esset poema; sed

dicebat: *ego autem sentio, omnes in oratione esse quasi permistos et confusos pedes.*

Permista et temperata numeris) Quia in fine periodi ponitur *temperata*, Ciceronem arbitror hic scripsisse *permista et implicata numeris*, ut c. 53 extr.

Fugit eos et praetervolat numerus; qui tamen si abesset, illa ipsa minus delectarent) In omnibus edd. abest *minus*, quod de coniectura Purgoldi inserui, sane acuta et vera.

Nec vero is cursus est numerorum) Vulgo: *nec vero nimius is cursus est numerorum*. Delevi autem *nimius*, quod vel ex glossa accessit, vel ex vocabulo *minus*, quod quum in superiore versiculo forte excidisset, et in margine scriptum esset, falso a scriptore lectum huc immigravit. Nam significatio vocabuli *nimius* paulo post exprimitur verbis *nihil ut fiat extra modum*.

* *Orationis dico*) Scil. orationis solutae et pedestris, addit enim, longe aliter in versibus esse. Falso Strebaeus accepit *orationis* pro *orationis continuatae*, quasi opponeretur singulorum pedum numeris.

* *Nihil ut fiat extra modum*) I. e. ut omnia ac singula membra orationis numerosa sint, et certis mensuris pedum astricta.

omnis, nec claudicans, nec quasi fluctuans, et aequaliter constanterque ingrediens, numerosa habetur oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit: quo etiam difficilius est oratione uti, quam versibus; quod illis certa quaedam et definita lex est, quam sequi sit necesse; in dicendo autem nihil est propositum, nisi ut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaque non sunt in ea tanquam tibicini percussionum modi, sed universa comprehensio et species orationis clausa et terminata est; quod voluptate aurium iudicatur.

59. Solet autem quaeri, *toto* ne in *ambitu* verborum numeri tenendi sint, an in *primis* partibus, atque in *extremis*, an solum in *extremis*? Plerique enim censent cadere tantum numerose oportere, terminarique sententiam. Est autem, ut id maxime deceat, non ut id solum. Ponendus est enim ille ambitus, non abiiciendus. Quare quum aures extremum semper exspectent, in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet; sed

Aequaliter constanterque ingrediens) Si *aequaliter* verum est, opponitur orationi *claudicanti*, quia in claudicatione inaequaliter pedes solo insistunt, itemque *constanter* respondet *fluctuanti*. Fieri tamen potest, ut Cicero scripserit *aequabiliter*; quod si sumseris, probabilius fuerit *aequabiliter* ingredientem orationem *fluctuanti*, *constanter* autem ingredientem *claudicanti* opponi.

* *Ne immoderata*, ambitu nimis in longitudinem excurrente, *aut angusta*, iusto brevioribus membris mal curtis inclusa, *aut dissoluta*, nullis numerorum legibus astricta, *aut fluens*, sine intervallis, et quasi nodis continuationis tanquam amnis quidam decurrens.

An solum in extremis) Haec verba, quae in omnibus edd. absunt, absque librorum auctoritate addidi, quia sine iis ea, quae proxime sequuntur: *plerique enim censent cadere tantum numerose oportere, terminarique sententiam*, prorsus nihil haberent, quo referentur.

Non ut id solum) Vulgo, *non id solum*, claudicante posteriore membro.

* *Ponendus est enim ille ambitus, non abiiciendus*) *Ponere ambitum*, i. q. periodum apta clausula finire, *abiicere* vero eam in extrema parte destituere et negligere.

ad hunc exitum tamen a principio ferri debet verborum illa comprehensio, et tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat. Id autem bona disciplina exercitatis, qui et multa scripserint, et quaecunque etiam sine scripto dicerent, similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum. Ante enim circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt; quae mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodque loco respondest; quorum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur, atque omnia illa et prima et media verba spectare debent ad ultimum. Interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio; ut iam a principio videndum sit, quemadmodum velis venire ad extremum. Nec in numeris magis, quam in reliquis ornamentis, eadem quum faciamus, quae poetae, effugimus tamen in oratione poëmatis similitudinem. Est enim in utroque et materia et tractatio; materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. Ternae autem sunt utriusque partes; verborum: translatum, novum, priscum (nam de propriis nihil hoc loco dicimus); collocationis autem, eae, quas diximus: compositio, concinnitas, numerus; sed in utroque frequentiores sunt, et liberiores poetae. Nam et transferunt verba cum crebrius, tum etiam audacius;

* *Sed ad hunc exitum tamen*) Ernestius fatebatur se non satis videre, quare *tamen* h. l. sit. Opponitur autem iis, qui putabant satis esse sententias numerose cadere ac terminari. Id igitur maxime quidem decere concedit Cicero, sed *tamen* etiam iam a principio comprehensionem vult apte ferri ad exitum.

* *Statim dimittit*) I. e. distribuit et suo quodque loco ponit.

Ornamentis) Vulgo additur *orationis*, quod hic utpote superfluum et e sequenti versu anticipatum delevi.

Ternae autem sunt — numerus) Hic locus in edd. pessima interpunctione laborabat, hoc modo fere divisus: *Ternae autem sunt utriusque partes verborum: translatum, novum, priscum. Nam de propriis nihil hoc loco dicimus. Collocationis autem eae, quas diximus, compositio, concinnitas, numerus.*

et priscis libentius utuntur, et liberius novis. Quod idem fit in numeris; in quibus quasi necessitati parere coguntur. Sed tamen haec nec nimis esse diversa, neque nullo non modo coniuncta intelligi licet. Ita fit, ut non item in oratione, ut in versu, numerus exstet; idque, quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnunquam, aut concinnitate, aut constructione verborum.

60. Ita, si numerus orationis quaeritur qui sit: omnis est; sed alius alio melior atque aptior; si locus: in omni parte verborum; si unde ortus sit: ex aurium voluptate; si componendorum ratio. dicetur alio loco, quia pertinet ad usum; quae pars quarta et extrema nobis in dividendo fuit; si, ad quam rem adhibeatur. ad delectationem; si, quando: semper; si, quo loco: in tota continuatione verborum, si, quae res efficiat voluptatem: eadem, quae in versibus, quorum modum notat ars,

* *In quibus quasi necessitati parere coguntur*) Quid hoc sit, explicat Cicero ipse de Orat. III, 48 *quos* (poetas) *necessitas cogit et ipsi numeri ac modi sic verba versibus includere, ut nihil sit, ne spiritu quidem minimo, brevius aut longius, quam necesse est* Ceterum post verba *parere coguntur* videntur pauca quaedam excidisse.

Neque nullo non modo coniuncta) Vulgo: *neque ullo modo coniuncta*, prorsus inepte Sic enim alterum disiunctionis membrum nihil differret a priore Nam quod non est ullo modo coniunctum cum altero, id est vel maxime sive nimis ab eo diversum Cicero autem significare volebat, versus et orationem solutam, nec nimis esse diversa, nec prorsus similia, i. e. nullo non modo coniuncta

* *Exstet*) l. c. statim manifesto apparet. Abbi de Orat. I, c. 16 *apparet atque exstat.*

Si locus: in omni parte verborum) Facile, qui haec negligentius inspexerit, sibi persuadeat, haec eicienda esse, quia deinde sequitur. *si quo loco: in tota continuatione verborum.* At enim diversa sunt ista, nec eodem consilio posita Illo enim priore: *si locus: in omni parte verborum*, refertur ad quaestionem, utrum oratoris numeri postici sint an ex alio genere verborum; quam quidem quaestionem c. 56 ita explicavit, ut negaret ullos esse numeros extra poeticos; numerumque in omni parte s. genere verborum positum esse Sane fuisset apertius, si Cicero hic quoque ut supra c. 54 scripsisset. *si ubi sit positus*, adrecta responsione *in omni parte verborum*.

Quorum modum notat ars) Spo-

sed aures ipsae tacito eum sensu sine arte definiunt.

61. Satis multa de natura; sequitur usus, de quo est accuratius disputandum. In quo quaesitum est, in totone circuitu illo orationis, quem Graeci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus; an

ciosa quidem est Victorii coniectura, qua Var. lect. XIII, 6 legendum censuit *quorum modum non notat ars*; neque tamen vera. Nam *notare* non est *invenire*, sed aliquid iam inventum observare atque animadvertere. Hoc autem arti tribuitur c. 55: *Neque enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit. Ita notatio naturae et animadversio peperit artem.*

Tacito eum sensu) Sunt qui legant *tacito cum sensu*.

* *In quo quaesitum est*) Totum hoc caput, quod quasi enumerationem habet earum rerum, quae disputatio de ista numeri oratorii tractare deberet, mire perturbatum est, et vel interpolationibus obscuratum, vel ab ipso Cicerone mira negligentia conscriptum. Primum enim quae de numero oratorio inde a c. 62 disceruntur, ea redeunt ad quinque quaestiones: 1. quid differat usus numeri oratorii in genere epidictico, et forensi, c. 62. 2. quo loco in oratione forensi numerosa h. e. periodica oratio adhibenda sit, et quamdiu retinendo, c. 63. 3. quot modis mutentur comprehensiones conclusionesque, h. e. periodi, c. 64, 65. 4. quomodo orator versetur in incisis et membris, c. 66, 67. 5. de utilitate numeri oratorii, c. 68. Iam si cum hac tractatione rerum dicendarum dispositionem compares cap. 61 factam, facile intelliges, primae illi quaestioni, *an in principiis solum, aut in extremo, an in utraque parte numerus tenendus sit*, iam esse antea c. 59 responsum. Porro quid inter numerum et numerosum intersit, aut unde orta sit forma verborum, eiusque de rebus c. 61 memoratis nusquam in sequentibus disseritur. Una ratio est, qua id excusare possis, quod, quum hoc capite extremo dicatur: *Ac licet non ad singulas res respondentem de universo genere sic dicere, ut etiam singulis satis responsum esse videatur*, Cicero videtur hic non tam commisisse partes quas ipse tractaturus erat, sed omnes quae ab aliis tractari solerent. Vel sic tamen interpolata quaedam esse manifestum est, quod in verbis *neque eorum particulas — uti oporteat*, eadem fere repetuntur, quae paulo ante iam dicta erant. Quidquid est, si tota illa pars a verbis, *in quo quaesitum est*, usque ad verba, *quod in causis foroque versatur, de quo diceremus*, intercidisset, non solum nemo desideraret, sed aptius reliqua, quae sequuntur, cum huius capitis initio cohaererent. Itaque Strebaeus acute sensit, Ciceronem has quaestiunculas proposuisse molestum videri posse, propterea quod multae sint persimiles, et in hac parte non ita necessariae, sed Graeculos esse secutum, qui abditis in rebus arbitrarentur hoc modo elucescere veritatem.

in principiis solum, aut in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit? deinde, quum aliud videatur esse numerus, aliud numerosum; quid intersit? tum autem in omnibus ne numeris aequaliter particulas deceat incidere, an facere alias breviores, alias longiores? idque quando, aut cur, quibusque partibus? pluribusne, an singulis; imparibus, an aequalibus? et quando aut istis, aut illis sit utendum? quaeque inter se aptissime collocentur, et quomodo? an omnino nulla sit in eo genere distinctio? quodque ad rem maxime pertinet, qua ratione numerosa fiat oratio? Explicandum etiam est, unde orta sit forma verborum; dicendumque, quantos circuitus facere deceat; deque eorum particulis, et tanquam incisionibus disserendum est, quaerendumque, utrum una species et longitudo sit earum, anne plures; et, si plures, quo loco, aut quando, quoque genere uti oporteat? Postremo totius generis utilitas explicanda est, quae quidem patet latius. Non ad unam enim rem aliquam, sed ad plures accommodatur. Ac licet non ad singulas res respondentem de universo genere sic dicere, ut etiam singulis satis responsum esse videatur. Remotis igitur reliquis generibus unum selegimus hoc, quod in causis foroque versatur, de quo diceremus.

62. Ergo in aliis, id est, in historia, et in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικόν, placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more, illa circumscriptione ambituque, ut tanquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis. Itaque posteaquam est nata haec vel circumscriptio, vel comprehensio,

Aut in extremis) Sic erat scribendum. Vulg. *an in extremis* Non enim sunt quatuor, sed tres quaestiones, ut c. 59 sunt.

* *Particulas*) I. q. membra periodorum.

* *Haec vel circumscriptio* etc.) Quintil. Inst. or. IX, 4, 124. *Periodo plurima nomina dat Cicero, ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem.*

vel continuatio, vel ambitus, si ita licet dicere, nemo, qui aliquo esset in numero, scripsit orationem generis eius, quod esset ad delectationem comparatum, remotumque a iudiciis forensique certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum numerumque sententias. Nam quum is est auditor, qui non vereatur, ne compositae orationis insidiis sua fides attentetur, gratiam quoque habet oratori, voluptati aurium servienti.

Genus autem hoc orationis neque totum assumendum est ad causas forenses, neque omnino repudiandum. Si enim semper utare, cum satietatem affert, tum, quale sit, etiam ab imperitis agnoscitur. Detrahit praeterea actionis dolorem, aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem et fidem.

63. Sed, quoniam adhibenda nonnunquam est, primum videndum est, quo loco, deinde quamdiu retinenda sit, tum quot modis commutanda.

Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius, ut nos in accusationis secundo de Siciliae laude diximus, ut in senatu, de consulatu meo, aut exponenda narratio, quae plus dignitatis desiderat, quam doloris. ut in quarto accusationis, de En-

Adhibenda — retinenda — commutanda) Lambinus edidit *adhibendum — retinendum — commutandum*, quia praecedit *Genus autem hoc orationis*. Potuit tamen Cicero mutata constructione illis participiis sic uti, ut ad vocabulum *oratio* referrentur, quemadmodum statim sequitur, *Adhibenda est igitur.*

Vt nos in accusationis secundo de Siciliae laude) Verrin. Act. II, lib. II, c. 1 sqq.

* *Vt in senatu de consulatu meo*) In senatu laudavit consulatum suum oratione prima in Servilium Rullum, cuius orationis pars extrema tantum superest. Laudavit et principio secundae ad populum de more veteri, quo novus consul senatui populoque romano gratias agebat; laudavit etiam in Pisonem, in aliisque multis orationibus; sed aut illa in Rullum debet intelligi, aut alia desiderari. Stabb

Desiderat) Ernestius conj. *desideret*

In quarto accusationis de Ennensi Cerere) Verrin. Act. II, lib. IV, c. 48 sqq.

nensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ diximus. Saepe etiam in amplificanda re, concessu omnium funditur numerose et volubiliter oratio. Id nos fortasse non perfecimus, conati quidem saepissime sumus; quod plurimis locis perorationes nostrae, voluisse nos, atque animo contendisse, declarant. Id autem tum valet, quum is, qui audit, ab oratore iam obsessus est, ac tenetur. Non enim tum id agit, ut insidietur et observet; sed iam favet, processumque vult, dicendique vim admirans, non inquirit, quod reprehendat.

Haec autem forma retinenda non diu est, nec dico in peroratione, quam ipse finis includit, sed in orationis reliquis partibus. Nam quum sis his locis usus, quibus ostendi licere, transferenda tota dictio est ad illa, quae nescio cur, quum Graeci κόμματα et κῶλα nominent,

De Segestana Diana) Ibid. c. 33 sqq.

De Syracusarum situ) Ibid. cap. 52 sqq.

Non enim tum id agit) Inserui *tum*, quod abest in Mss. et edd.

* *Ut insidietur et observet*) Camerar. *ut insidiantem observet*. Lambinus *ut insidiatorem observet*, quod haud scio an vulgatae praeferendum sit. Nam cap. 51 dicitur: *Nimis enim insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur, si etiam in dicendo numeri ab oratore quaeruntur.* Attamen vulgatum stare potest, modo *insidiari* eo sensu capiatur, ut sit *astute speculari, quid alter agat* (*einem auflauern*) Ita positum de Off. I, c. 27. Et mox dicitur eodem sensu *non inquirit, quod reprehendat*.

* *Nec dico in peroratione, quam ipse finis includit*) Vulgo sine sensu *quam ipsa includit*. Itaque negabat Ernestius se hoc intelligere. Addidi autem *finis*, quo addito nihil relinquatur obscuritatis. Cicero enim dicit, formam hanc numerosam et periodicam non diu retinendam esse, neque id se monere de peroratione, quam scilicet *ipse finis* orationis includat, ut in ea illa forma per se diu continuari non possit, sed potissimum de reliquis orationis partibus. Strebaeus intelligi volebat: *quam ipse orator includit*, quae ellipsis hic esset durius cula, nec tamen sententia ipsa presse satis consulta.

* *Κόμματα et κῶλα*) Κῶλον *membrum* et κόμμα *incisum*, nonnisi longitudine differre sentit Hermogenes lib. IV de Inventione. Periodus sententiam comprehendit, in qua protasis est, et apodosis. Quae autem sententia est unius modi, simplex, nec in se reflexa, si ultra versus heroici longitudinem progreditur, Hermogeni membrum dicitur, ut illud Ciceronis Philippica II, cap. 22. *Omnino nulla causa iusta cuiquam esse potest contra patriam arma capiendi.*

nos non recte incisa et membra dicamus. Neque enim esse possunt, rebus ignotis, nota nomina; sed quum verba, aut suavitatis, aut inopiae causa, transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut, quum id appellandum sit, quod, propter rerum ignorationem ipsarum, nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum, aut a simili mutuari.

64. Quo autem pacto deceat incise membratimve dici, iam videbimus; nunc, quot modis mutentur comprehensiones conclusionesque, dicendum est. Fluit omnino numerus a primo tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius. Cursum contentiones magis requirunt; expositiones rerum, tarditatem. Insistit autem ambitus modis pluribus, e quibus unum est sequuta Asia maxime, qui dichoreus vocatur, quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus; explanandum est enim, quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis. Dichoreus non est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis, sed in orationis numero

Quia brevius concluditur sententia, appellatur incisum: ut *furor arma ministrat. Trahit sua quemque voluptas.* Membratim dicit Cicero lib. III in Verrem. cap. 89. *Placent vobis hominum mores? Placet ita geri magistratus, ut geruntur? placet vocos sic tractari, ut per haec tempora tractatos videtis? Cur haec a me opera consumitur? quid sedetis? cur non in media oratione consurgitis, atque disceditis? Vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare? Desinite dubitare, utrum sit utilius, propter multos improbos uni parcere, an unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere.* Po.

* *Aut a simili mutuari*) Malim aut a re simili mutuari. Sic c. 27 *translata ea dico, quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur.*

* *A primo*) I. e. a principio periodi, ut supra c. 59. *sed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet verborum illa comprehensio, et tota a capite ita fluere* etc.

* *Tum incitatius, brevitate pedum*) Id praecipue patet in versibus. Quid his Virgilii numeris incitatius? *Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes Haud mora prosiluere suis, ferit aethera clamor.* His autem quid tardius? *Belli ferratos rupit Saturnia postes.* Povst.

Quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis) Vt choreum (‒ ᴗ) alii trochaeum vocant: trochaei autem tribrachyn appellabant.

nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse praeclare: quo etiam satietas formidanda est magis. Me stante C. Carbo, C. filius, tribunus plebis in concione dixit his verbis: *O Marce Druse, patrem appello*. Haec quidem duo binis pedibus incisim; dein membratim: *Tu dicere solebas, sacram esse rempublicam*. Haec item membra ternis. Post ambitus: *Quicunque eam violavissent, ab omnibus esse ei poenas persolutas*. Dichoreus. Nihil enim ad rem, extrema illa, longa sit, an brevis. Deinde: *Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit*. Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quaero, nonne id numerus effecerit? Verborum ordinem immuta; fac sic: *Comprobavit filii temeritas*; iam nihil erit, etsi *temeritas* ex tribus brevibus, et longa est: quem Aristoteles ut optimum probat; a quo dissentio. At eadem verba, eadem sententia. Animo istuc satis est, auribus non satis. Sed id crebrius fieri non oportet. Primum enim numerus agnoscitur; deinde satiat; postea cognita facilitate contemnitur.

Sed sunt clausulae plures quae numerose et iucunde cadant. Nam et creticus, qui est e longa, et brevi, et longa, et eius aequalis paeon, qui spatio par est, syllaba longior, quam commodissime putatur in solutam ora-

* *Haec quidem duo*) Nempe verba *O Marce Druse*, et *patrem appello*, exprimuntur minimum duobus pedibus, *O Marce* antibacchius est, *Druse* choreus *patrem appello* duplex spondeus, vel iambus et choreus. PAUT

* *Haec item membra ternis*) Horum membrorum (*Tu dicere solebas*) et (*sacram esserempublicam*) primum quidem continet spondeum, tribrachyn et spondeum, alterum autem, si nulla fiat elisio, constat ex anapesto, iambo et dactylo. ID.

Dichoreus) Dichoreum (‒ ∪ ‒ ∪) appellat vocabulum *persolutas*, quod propria est epitritus secundus (∪ ‒ ‒), quia, ut ipse addit, hic nihil ad rem facit extrema illa longa sit an brevis.

Hoc dichoreo) In clausula *comprobavit*. Hunc Carbonis locum a Cicerone citatum esse memorat Quintil. IX, 4, 103.

tionem illigari, quum sit duplex. Nam aut e longa, et tribus brevibus, qui numerus in primo viget, iacet in extremo; aut e totidem brevibus, et longa, quem optime cadere censent veteres, ego non plane reiicio, sed alios antepono. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. Etsi, quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior; habet tamen stabilem quendam, et non expertem dignitatis gradum; in incisionibus vero multo magis, et in membris. Paucitatem enim pedum gravitatis suae tarditate compensat. Sed hos quum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo. Adiungo (quod minimum sit) proximum superiorem, saepe etiam tertium. Ne iambus quidem, qui est e brevi et longa, aut par trochaeus, qui habet tres breves, sed spatio par, non syllabis, aut etiam dactylus, qui est e

* *Quem optime cadere censent veteres*) H. e. quem optime in clausula poni, e. quem in clausula optime sonare censent veteres.

Proximum superiorem) Ernestius scribendum putat de more Ciceronis et latinitate vera *proxime superiorem*. Satis pro imperio. Saepius enim illa quoque forma Cicero utitur, ut Varr. Epp. lib. I, ep. 9 *proximis superioribus diebus*, de Nat. Deor. II, 20 *proximum inferiorem orbem*.

Aut par trochaeus) Pessima hunc locum corruptela inquinaverat *aut par choreo*; quomodo enim Cicero *choreo* (- ⏑) tres breves syllabas tribuere potuisset? Immo legendum *aut par trochaeus*, ut iam Cameras. et Lambin. ediderant. Sic enim scimus ab eo *tribrachyn* (⏑ ⏑ ⏑) vocari; hic iambo spatio, non syllabis par est.

* *Dactylus*) Tradit hic Tullius dactylo et spondeo periodum volubiliter finiri. Qui congruit haec praeceptio cum iis quae superius dixit? et in Partitione oratoria cap. 72 expressis verbis ait, orationem circumscribendam esse *numeris*, *non ad similitudinem versuum*. Qui convenit cum praecepto Quintiliani lib. IX, cap. 4. *Ne dactylus quidem spondeo bene praeponitur, quia finem versus damnamus in fine orationis*. Mihi quidem vitiosa tum videtur conclusio, quae fit duabus vocibus, quarum vel altera sit dactylus, altera spondeus, ut *Gaudia pelle*, vel altera sit choreus, altera bacchius, ut *Pelle timorem*: sic enim vulgo desinunt hexametri versus. At si unico vocabulo comprehenditur et dactylus et spondeus, numerose claudet periodum, ut patet ex lib. III in Verrem cap. 13 *Quum in tantis incommodis aratorum iniuriisque decumanorum, nullum ex isto praeclaro edicto non modo factum, sed ne postulatum quidem iudicium invenitur*. Item eleganter claudet periodum vox ex duabus brevibus totidemque longis composita,

longa, et duabus brevibus, si est proximus a postremo parum volubiliter pervenit ad extremum, si est extremus choreus, aut spondeus. Nunquam enim interest, uter sit eorum in pede extremo. Sed iidem hi tres pedes male concludunt, si quis eorum in extremo locatus est, nisi quum pro cretico postremus est dactylus. Nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus; quia postrema syllaba, brevis, an longa sit, ne in versu quidem refert. Quare etiam paeona qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parum; quoniam nihil ad rem est, postrema an longa sit. Iam paeon, quod plures habeat syllabas, quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur. Est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem,

praesertim si ex pluribus syllabis compositum vocabulum praecedat: ut orationae post reditum in Senatu cap 9 *Qui mihi primus afflicto et iacenti consularem fidem dexteramque porrexit qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocavit.* Aurium enim iudicio huiuscemodi clausulae, licet in iis sit dactylus et spondeus, vix ullam videntur habere cum versu similitudinem. PRVST.

* *Nunquam enim interest*) Dissentit a Cicerone Fabius lib IX, c. 4 *Neque ego ignoro*, inquit, *in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacanti tempori ex eo quod insequitur, accedere. Aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, verene longa sit quae cludit, an pro longa. Neque enim tam plenum est, dicere incipientem timere, quam illud*, ausus est confiteri. ID.

Sed iidem hi tres pedes) Iambus, trochaeus sive tribrachys, et dactylus.

Quoniam nihil ad rem est, postrema an longa sit) Aliter sentit Quintilian. Inst. Or IX, 4, 93. *Clausula quoque e longis firmissima est, sed cludent et breves, quamvis habeatur indifferens ultima. Neque enim ego ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacantis temporis ex eo, quod insequitur, accedere; aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, verene longa sit, quae cludit, an pro longa. Neque enim tam plenum est dicere incipientem timere, quam illud* ausus est confiteri.

Iam paeon, quod plures habeat syllabas, quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur) Quintil. IX, 4, 79: *Et quidem* (de pedibus metricis loquens) *Ciceronem sequar, (nam is eminentissimos Graecorum est secutus,) excepto quod pes tres syllabas non videtur excedere quamquam ille paeone dochmioque quorum prior in quatuor, secundus in quinque excurrit, utatur. Nec tamen ipse dissimulat,*

Ephorum, unus aptissimus orationi vel orienti, vel mediae; putant illi etiam cadenti: quo loco mihi videtur aptior creticus. Dochmius autem e quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa, ut est hoc: *Amicos tenes*, quovis loco aptus est, dum semel ponatur; iteratus, aut continuatus, numerum apertum et nimis insignem facit. His igitur tot commutationibus, tamque variis si utemur, nec deprehendetur manifesto, quid a nobis de industria fiat, et occurretur satietati.

65. Et quia non numero solum numerosa oratio, sed et compositione fit, et genere (quod ante dictum est) concinnitatis: compositione potest intelligi, quum ita structa verba sunt, ut numerus non quaesitus, sed ipse sequutus esse videatur; ut apud Crassum: *Nam ubi lubido dominatur, innocentiae leve praesidium est.* Ordo enim verborum efficit numerum sine ulla aperta oratoris industria. Itaque si quae veteres illi (Herodotum dico, et Thucydidem, totamque eam aetatem) apte numeroseque dixerunt, ea non numero quaesito, sed verborum collocatione ceciderunt. Formae vero quaedam sunt orationis, in quibus ea concinnitas inest, ut sequatur numerus necessario. Nam quum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut, quae similiter cadunt verba, verbis comparantur; quidquid ita conclu-

quibusdam numeros videri, non pedes, nec immerito. Quidquid enim supra tres syllabas habet, id ex pluribus est pedibus

* *Orationi*) id est h. l. periodo.

Quod ante dictum est) cap. 49.

* *Compositione potest intelligi*) scil. oratio numerosa.

Vt apud Crassum) Eodem e Crassi oratione loco utitur Quintil. IX, 4, 83.

Itaque si quae veteres illi — apte numeroseque dixerunt; ea non numero quaesito, sed verborum collocatione ceciderunt) Dissentit a Cicerone Quintilianus IX, 4, 16. *Itaque ut confiteor, paene ultimam oratoribus artem compositionis, quae perfecta sit, contigisse; ita illis quoque priscis habitam inter curas, in quantum adhuc profecerant, puto. Neque enim mihi, quamlibet magnus auctor, Cicero persuaserit, Lysiam, Herodotum, Thucydidem parum studiosos eius fuisse.*

ditur, plerumque fit ut numerose cadat. Quo de genere cum exemplis supra diximus, ut haec quoque copia facultatem afferat, non semper eodem modo desinendi. Nec tamen haec ita sunt arcta et astricta, ut ea, quum velimus, laxare nequeamus. Multum interest, utrum numerosa sit, id est, similis numerorum, an plane e numeris constet oratio. Alterum si fit, intolerabile vitium est; alterum nisi fit, dissipata et inculta et fluens est oratio.

66. Sed quoniam non modo non frequenter, verum et raro in veris causis, aut forensibus, circumscripte numeroseque dicendum est: sequi videtur, ut videamus, quae sint illa, quae supra dixi incisa, quae membra. Haec enim in veris causis maximam partem orationis obtinent. Constat enim ille ambitus et plena comprehensio e quatuor fere partibus, quae membra dicimus, ut et aures impleat, et ne brevior sit, quam satis sit, neve longior. Quamquam utrumque nonnunquam, vel potius saepe accidit, ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum, ne brevitas defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. Sed habeo mediocritatis rationem. Nec enim loquor de versu, et est liberior aliquanto oratio. E quatuor igitur, quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio. His igitur singulis versibus

* *Alterum si fit*, ut plane e numeris constet oratio, *intolerabile vitium est*, quia nimis prope accedit ad versuum similitudinem, *alterum nisi fit*, ut numerosa sit oratio, *dissipata*, procsus incondita, *et inculta*, neglecta, *et fluens*, intervallis haud temperata, *est oratio*.

Aut forensibus) Malim *et forensibus*.

E quatuor igitur, quasi exametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio) Olim edd. quaedam, quae sunt. Est autem h. l. breviloquentia sic explenda: *e quatuor igitur membris, quod sit quasi tot hexametrorum instar versuum*. Quint. IX, 4, 25 *Habet periodus membra minimum duo. Medius numerus videtur quatuor, sed recipit frequenter et plura. Modus ei a Cicerone aut quatuor senariis versibus aut ipsius spiritus modo terminatur*.

His igitur singulis versibus quasi

quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus. Sin membratim volumus dicere, insistimus; idque quum opus est, ab isto cursu invidioso facile nos et saepe disiungimus. Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc, quod minime apparet, et valet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi: *Missos faciant patronos: ipsi prodeant.* Nisi intervallo dixisset, — *ipsi prodeant* — sensisset profecto effugisse senarium. Omnino melius caderet, *prodeant ipsi.* Sed de genere nunc disputo. *Cur clandestinis consiliis nos oppugnant? cur de perfugis nostris copias comparant contra nos?* Prima sunt illa duo, quae κόμματα

nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus. Sin membratim volumus dicere, insistimus; idque quum opus est) Etsi non omnino inepta est vulgata haec lectio, nec ideo necessitas infertur corrigendi, tamen haud vana coniectura ducor ad suspicandum, Ciceronem sic scripsisse: *His igitur singulis versibus* (periodorum) *quasi nodi apparent* (i. e. subserviunt) *continuationis, quos in ambitu coniungimus, sin membratim volumus dicere, INCIDIMUS. Itaque, quum opus est, ab isto cursu invidioso facile nos et saepe disiungimus.* Simili fere ratione Quintilianus IX, 4, 127 *Membratim plerumque narrabimus, aut ipsas periodos maioribus intervallis et velut laxioribus nodis resolvemus.*

* *Ab isto cursu invidioso*) Cur sic appellet compositionem periodicam, intelligitur e c. 62 extr.

* *Nisi intervallo dixisset — ipsi prodeant*) Nempe in his verbis continuatis *Missos faciant patronos: ipsi prodeant*, facillime sentitur iambicus senarius: quia autem verba, *missos faciant patronos*, coli intervallo seiunguntur in pronuntiatione a sequentibus, *ipsi prodeant*, occultatur iambici versus mensura.

Effugisse) Variant edd. in hoc vocabulo. Aliae *excidisse*, aliae *effluxisse*, aliae *se effudisse*.

Cur de perfugis nostris copias comparant contra nos) Eodem exemplo utitur Quintilianus IX, 4, 101 *Duo spondei non fere iungi patiuntur: quae in versu quoque notabilis clausula est, nisi quum id fieri potest ex tribus quasi membris: Cur de perfugis nostris copias comparat is contra nos?* (Sic enim vulgo legitur) *una syllaba, duabus, una.* — Apud Quintilianum necessario corrigendum *comparant contra nos*, ut etiam in cod. Gothano legitur. Nam quod Gesnerus dubitat, qua Quintilianus numeret vocem *is contra nos* syllabas, ea dubitatio facile tollitur, si cogites dispondeum illum, de quo quaeritur, his quoque syllabis *rant, contra, nos*, effici, una syllaba, duabus, una.

* *Primo sunt illa duo, quae κόμματα Graeci vocant*) Alterum hoc *missos faciant patronos*, alterum illud, *ipsi prodeant.*

Graeci vocant, nos incisa dicimus[a] deinde tertium, κῶλον illi, nos membrum. Sequitur comprehensio non longa (ex duobus enim versibus, id est, membris, perfecta est), et in spondeos cadit. Et Crassus quidem sic plerumque dicebat; idque genus dicendi maxime probo.

67. Sed quae incisim aut membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere debent; ut est apud me: *Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas.* Haec incise dicta sunt quatuor. At membratim, quae sequuntur, duo: *Incurristi amens in columnas: in ta-*

[a] *Deinde tertium κῶλον*) Significat hoc Crassi dictum: *Cur clandestinis consiliis nos oppugnant?* *Sequitur comprehensio non longa, (ex duobus enim versibus, id est membris, perfecta est)* — Lambinus edidit. *Sequitur non longa* (*ex duobus enim membris perfecta est*) *comprehensio* Vulgo *sequitur non longa, ex duobus enim versibus, id est membris, perfecta comprehensio est*; in quo vocabulum *comprehensio* male traiectum esse, quisque facile sentit. Ceterum in ultimis Crassi verbis quaedam interciderint necesse est. Nam illa: *cur de perfugis nostris copias comparant contra nos*, non magis periodum s. comprehensionem faciunt, quam parva: *cur clandestinis consiliis nos oppugnant.* Utrumque potius κῶλον s. membrum est. Quum autem Cicero dicat, in his verbis comprehensionem non longam ex duobus versibus i. e. membris perfectam esse, periit antecedens membrum, quod cum sequente hoc fere modo esset copulatum: *Cur proditione nobiscum agunt, et de perfugis nostris copias comparant contra nos?*

[b] *Ut est apud me*) Quaenam ex oratione Ciceronis excerpta sint verba quae sequuntur, non constat. Strebaeus quidem suspicabatur, ex oratione pro Scauro illa sumta esse, cui Triarius accusator, ut est apud Asconium, obiecerat, hominem pauperem domum habere cum rebus aliis, tum maxime quatuor columnis magnificam. Ciceronem igitur, Scauri patronum, retorquere simile crimen in adversarium potuisse. Mihi tamen illa non tam patroni, clientis adversarium repellentis, quam accusatoris acerbi et acria esse videntur. Quidquid sit, locus qui sequitur, dictus est in aliquem, qui ingenti pretio domum emerat, ne ipsam quidem per se satis commode aedificatam, sed quia in columnas aliisque eius generis ornamentis insaniret, ideoque aere alieno contracto fortunas suas profligaverat.

[c] *Incurristi — insanisti*) Hic locus vulgo sic legitur: *incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti*, ubi iam Victorius vocabulum *alienos* corruptum esse iudicavit. Ego vero Ciceronem scripsisse arbitror: *in aeneis insanus insanisti*. Nimirum domus illa, quam adversarius maximo suo damno coemerat, praeter in-

blino insanus insanisti. Deinde omnia, tanquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur: *Depressam, caecam, iacentem domum pluris, quam te, et quam fortunas tuas aestimasti.* Dichoreo finitur. At dispondeo proximum illud. Nam in illis, quibus, ut pugiunculis, uti oportet, brevitas facit ipsa liberiores pedes. Saepe enim singulis utendum est, plerumque binis (et utrisque addi pedis pars potest) non fere ternis amplius. Incisim autem et membratim tractata oratio in veris causis plurimum valet, maximeque his locis, quum aut arguas, aut refellas; ut nostra in Corneliana secunda: *O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda!* Membratim adhuc, deinde caesim: *diximus.* Rursus membratim: *Testes*

lumnas habebat etiam *antas aeneas*, i. postes, ceteroquin erat *depressa et caeca*, h. e. humili in loco posita, et aedibus exadversum satis obscurata. Errat autem *insaniebat* (quod verbum de insana cupiditate alibi quoque posuit, ut ad Herenn. lib. IV, c. 51) in *antis insanis*, quae sic dicuntur ob magnitudinem et impensas in iis factas. *Insanus* autem *insanisti* Cicero nunquam dixisset. *Incurrere in columnas* non, ut Casaub. ad Sueton. Aug. c. 23 putavit proprie accipiendum, de homine insaniae impetu caput columnis affligente, sed incurrere in columnas h. l. significat, insano amore in columnam incidere, simulque propterea coëmtis aedibus naufragium fortunae facere.

* *Deinde omnia, tanquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur*) Nimirum *omnia* refertur ad illa quatuor incisa et duo membra. Haec sustinentur, tanquam crepidine, illa comprehensione s. periodo quae sequitur *depressam — aestimasti.*

At dispondeo proximum illud) Nempe *insanisti* in superiore membro.

Nam in illis) Sic malim scribere, quam ut vulgo, *nam in iis.* Respiciuntur enim *illa* incisa et membra, (s. κόμματα et κῶλα) quorum exempla paulo ante dederat.

* *Ut pugiunculis*) Suavis translatio. Nempe eiusmodi incisis, ut *domus tibi deerat? at habebas* et membris, ut *incurristi — insanisti*, tanquam pugiunculis crebro figimus et ferimus adversarium, ut ipse paulo post dicit *nec ullum genus est dicendi aut melius, aut fortius, quam binis aut ternis ferire verbis, nonnunquam etiam singulis.*

Deinde caesim diximus) Vulgo male *deinde caesim diximus*, quasi Cicero significet, se paulo post incisis in oratione usum fuisse, quae tamen hic praetermittat. Immo vocabulum *diximus* est ipsum illud incisum, quod ex Corneliana secunda affertur. Id editores facile poterant intelligere, si Quintilianum Inst. or. IX, 4, 122 inspexissent, ubi »Fiunt autem, m-

dare volumus. Extrema sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, qua non potest esse brevior: *Quem, quaeso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos?* Nec ullum genus est dicendi aut melius, aut fortius, quam binis aut ternis ferire verbis, nonnunquam singulis, paulo alias pluribus; inter quae variis clausulis interponit se raro numerosa comprehensio; quam perverse fugiens Hegesias, dum ille quoque imitari Lysiam vult, alterum paene Demosthenem, saltat, incidens particulas. Et is quidem non minus sententiis peccat, quam verbis; ut non quaerat, quem appellet ineptum, qui illum cognoverit. Sed ego illa Crassi, et nostra posui, ut, qui vellet, auribus ipsis, quid numerosum etiam in minimis particulis orationis esset, iudicaret. Et, quoniam plura de numerosa oratione diximus, quam quisquam ante nos, nunc de eius generis utilitate dicemus.

68. Nihil enim est aliud, Brute, (quod quidem tu minime omnium ignoras) pulcre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbisque lectissimis dicere. Et

quit, etiam singulis verbis uteus, ut. *Diximus, testes dare volumus*; incisum est, *Diximus* ».

Quam binis) Recte sic Ernestius, Olim omissum *quam*. Paulo post idem ex ed. Lips. bene *inter quae*, pro volg. *inter quas*. Quod autem illi placuit correctio viri docti eiusdem exempli edit. Lips. ascripta, qui pro *verbis* legendum putabat *versibus*, i. e. membris, in eo falsa species homini prudentissimo illusit. Nam verbis h. l. dicitur pro *pedibus*. De membris aut incisis non agitur. Sic in illa exclamatione « *Marco Druso patrem appello* Cicero c. 63. duo incisa binis pedibus absolvi dixit, tota igitur con stat quatuor pedibus, totidemque verbis. Idem apparet ex verbis c. 67 proxime antecedentibus *saepe enim singulis* (pedibus) *utendum est, plerumque binis* etc.

* *Binis, aut ternis ferire verbis*) Exemplum in eo genere est illud ex I Catilinaria c. 1 *O tempora! o mores! Senatus haec intelligit, Consul videt hic tamen vivit. Vivit? immo etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem viri fortes satisfacere reip. videmur, si istius furorem ac tela vitemus.* Vides Catilinam incisis primum acriter urgeri, tum membro succedere, quae omnia denique periodo tamquam crepidine sustinentur. PAVLY.

nec sententia ulla est, quae fructum oratori ferat, nisi apte exposita, atque absolute; nec verborum lumen apparet, nisi diligenter collocatorum; et horum utrumque numerus illustrat; numerus autem (saepe enim hoc testandum est), non modo non poetice vinctus, verum etiam fugiens illum, eique omnium dissimillimus: non quin iidem sint numeri non modo oratorum, et poëtarum, verum omnino loquentium, denique etiam sonantium omnium, quae metiri auribus possumus; sed ordo pedum facit, ut id, quod pronuntiatur, aut orationis, aut poëmatis simile videatur; hanc igitur sive compositionem, sive perfectionem, sive numerum vocari placet, et adhibere necesse est, si ornate velis dicere, non solum (quod ait Aristoteles et Theophrastus) ne infinite feratur, ut flumen, oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere; verum etiam, quod multo maiorem habent apta vim, quam soluta. Vt enim athletas, nec multo secus gladiatores videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palaestram quandam; ut, quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad aspectum etiam sit venustum: sic oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit apta; nec satis recte de-

Non quin — possumus) Delevi parentheseos signa, quibus haec verba vulgo inclusa male a sequentibus, ad quae referuntur, seiungebantur.

Adhibere necesse est) Ita Lambinus, bene. Vulgo: *et adhibere necesse est*.

Interductu — Gothofr. coni. *interpunctu*.

* *Interductu librarii*) Id est virgula aut puncto quod figit is qui libros manu scribit. Non enim quia punctum est, quiescit ambitus, sed quia definit comprehensio, signum interducitur. Streb.

Fuit apta) Sic Lambin. Alii *fuerit apta*.

Nec satis recte declinat impetum) Recte Ernestius revocavit ex ed. Med. Lips. Asc. Vulg. *recte* nihili est. Sed quaerendum, anne lectio ab illo et Ms. Vitell. prolata melior sit: *nec satis tute declinat impetum*. Hoc enim aptius responderet antecedenti locutioni, *vitando facere caute*.

clinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit. Itaque, qualis eorum motus, quos ἀθλητάς Graeci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias, tantumque abest ut, quod ii, qui hoc aut magistrorum inopia, aut ingenii tarditate, aut laboris fuga non sunt assequuti, solent dicere, enervetur oratio compositione verborum, ut aliter in ea nec impetus ullus, nec vis esse possit.

Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc sequuti non tenuerunt, simile faciamus; ne aut verba traiiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio: quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici, nisi necessario, facturum negat. O virum simplicem, qui nos nihil celet; sapientem, qui serviendum necessitati putet! Sed hic omnino rudis. Nobis autem in scribendo, atque in dicendo necessitatis excusatio non probatur: nihil est enim necesse; et, si quid esset, id necesse tamen non erat confiteri. Et hic quidem, qui hanc a Laelio, ad quem scripsit, cui se purgat, veniam petit, et utitur ea traiectione verborum, et nihilo tamen aptius explet, concluditque sententias. Apud alios autem,

Aut ne verba traiciamus aperte) Lambin. *ut verba traiciamus aperte*. In vulgata lectione est ἀνακόλουθον, quod me non moveret, ut aliquid mutandum putarem; quia talia saepius apud Ciceronem occurrunt, ubi brevis fit a proposito declinatio. H. l. tamen malim *ut*, *ne verba traiciamus aperte*. Nam quia statim alio respectu ponitur *aut* in verbis *aut cadat aut volvatur oratio*, h. l. obscurius fieret ἀνακόλουθον, membro primo per *aut* inchoato, altero autem membro mutata constructione sic incepto: *Apud alios autem.*— Sunt autem quatuor vitia, quae hic reprehenduntur, eaque capite hoc extremo breviter iterum et disertius notatis partibus enumerantur.

Et hic quidem, qui hanc a Laelio, ad quem scripsit, cui se purgat, veniam petit) Ernestius ad h. l. Cui autem, inquit, diversis hoc temporibus et non scribit, *purgat*? Certe nisi aliud quoddam vitium latet, *scribit* praeferendum. Videndum tamen, annon forte e glossa accesserit, *ad quem scripsit*. Id enim facile poterat intelligi, scribi non erat necesse.

et Asiaticos maxime, numero servientes, inculcata reperias inania quaedam verba, quasi complementa numerorum. Sunt etiam qui illo vitio, quod ab Hegesia maxime fluxit, infringendis concidendisque numeris in quoddam genus abiectum incidant, Siculorum simillimum. Tertium est, in quo fuerunt fratres illi, Asiaticorum rhetorum principes, Hierocles et Menecles, minime mea sententia contemnendi. Sed enim a forma veritatis et ab Atticorum regula absunt, tamen hoc vitium compensant vel facultate, vel copia. Sed apud eos varietas non erat, quod omnia fere concludebantur uno modo. Quae vitia qui fugerit, ut neque verbum ita traiciat, ut id de industria factum intelligatur, neque inferciens verba, quasi rimas expleat, nec minutos numeros sequens, concidat delumbetque sententias, nec sine ulla commutatione in eodem semper versetur genere numerorum; is omnia fere vitia v[...]it. Nam de laudibus multa diximus, quibus su[...]ia perspicua vitia contraria.

70. Quantum autem sit apte dicere, experiri licet, si aut compositi oratoris bene structam collocationem dissolvas permutatione verborum: (corrumpatur enim tota res, ut haec nostra in Corneliana, et deinceps

Tertium est) Aut scripsit Cicero, aut voluit certe scribere, *Quartum*. Certe vix alius stili forsan errore peccare in numero potuit, qui sane in huius capitis fine diserte quatuor illa vitia repetiturus erat.

Nec minutos numeros sequens) Ut Hegesias.

Nec sine ulla commutatione) Ut Hierocles et Menecles.

Quibus sunt alia perspicua vitia contraria) In Guelf. 3 est *perspicue contraria*, quod Heusingero videtur placuisse. Idem est in compluribus edd. Vulgatum tamen verum. Cicero dixerat: *quae vitia qui fugerit — is omnia fere vitia vi averit.* Iam explicaturus, cur illud *fere* posuerit, addit haec: nam etsi sunt alia quaedam, tamen de his nihil est dicere necesse. Nam de laudibus multa diximus, quibus sunt alia vitia contraria, eaque ex oppositionis ratione satis perspicua. Ac fortasse legendum, *e quibus* (scil. quae de laudibus diximus) *sunt alia vitia perspicua* (laudibus illis) *contraria*.

omnia: « Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalitii, mercatoresque superarunt ». Immuta paulum, ut sit: *multi superarunt mercatores venalitiique*; perierit tota res. Et quae sequuntur: « Neque vestis, aut caelatum aurum et argentum, quo nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Aegyptoque vicerunt ». Verba permuta sic, ut sit: *Vicerunt eunuchi e Syria Aegyptoque.* Adde tertium: « Neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco aut Syro potuisse superari ». Fac ita. *potuisse superari ab aliquo Syro aut Deliaco*: Videsne, ut ordine verborum paulum commutato, iisdem verbis, stante sententia, ad nihilum omnia recidant, quum sint ex aptis dissoluta?) aut si alicuius inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque, ordine verborum paulum commutato, in quadrum redigas, ut efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens ac solutum. Age, sume de Gracchi apud censores illud: « Abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet ». Quanto aptius, si ita dixisset: *quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare*? Hoc modo

Videsne, ut ordine verborum paulum commutato, iisdem verbis, stante sententia, ad nihilum omnia recidant, quum sint ex aptis dissoluta) Delenda hic censeo, *ordine verborum paulum commutato*, quae temere a librariis ex iis, quae paulo post sequuntur huc retracta sunt.

Ut efficiatur) Vulgo, *efficitur*. Qui hanc lectionem sequuntur, apodosin hic statuunt esse, ad protasin *aut si alicuius*. Veruntamen haec verba *aut si alicuius* pendent ab initio huius capitis *Quantum autem sit apte dicere, experiri licet, si aut compositi oratoris bene structam collocationem dissolvas permutatione verborum* —, *aut si alicuius inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque — in quadrum redigas, ut efficiatur aptum illud* etc.

Quod fuerit) Lambin. *quod fuerat*; haud scio an h. l. aptius.

dicere nemo unquam noluit; nemoque potuit, quin dixerit. Qui autem aliter dixerunt, hoc assequi non potuerunt. Ita facti sunt repente Attici. Quasi vero Trallianus fuerit Demosthenes; cuius non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur.

71. Sed si quem magis delectant soluta, sequatur ea sane, modo sic, ut si quis Phidiae clypeum dissolverit, collocationis universam speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem; ut in Thucydide orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent. Isti autem quum dissolvunt orationem, in qua nec res, nec verbum ullum est, nisi abiectum: non clypeum, sed, ut in proverbio est (etsi humilius dictum, tamen consimile), scopas mihi videntur dissolvere. Atque,

* *Trallianus*) Tralles Ptolemaeo Phrygiae urbs, ubi corrupta et inquinata dictio, ab Atticorum elegantia longe remotissima. Puter.

* *Sed si quem*) Huius loci sensus est: si quis pressum, concisum, et a numeris alienum dicendi genus usurpare voluerit, usurpet sane, ea tamen conditione, ut singulis incisis et membris subsistet laudabilis sententia. Sit eius dictio similis clypeo Minervae, quem sculpsit Phidias: qui si dissolvatur, tolletur quidem universa species clypei, at in singulis partibus, puta in sua quam Phidias ipse fabricatus est effigie, superrit venustas. Tolerabile est non absolutas periodos conficere, si reliqua suppetant ornamenta, ut in Thucydide, cui praeter orationis comprehensionem et ambitum vix quidquam derat. Id.

Sed si quem — sequatur ea sane) Vulgo *sed si quos — sequantur ea sane*. Placuit autem auctoritatem sequi Gu. 3, quia singularis numerus hic sequentibus aptior est.

* *Modo sic, ut si quis Phidiae clypeum*) Vulgo hiante constructione, *modo sic, ut quis Phidiae clypeum*. Lambinus dedit: *modo cetera laudare possim; ut si quis*; in quo tamen glossatoris vestigia facile se produnt. Huius comparationis haec vis est. Si quem magis delectant soluta et parum numerosa, sequatur ea sane, modo sint venusta, et verbis sententiisque ornata, ut in Phidiae clypeo singula opera venusta sunt, quorum venustas manet ipso clypeo dissoluto.

* *Scopas mihi videntur dissolvere*) Facetissime utitur proverbio *scopae dissolutae*, ad castigandos ineptos illos, qui sibi magnum quid praestitisse viderentur, si dissolverent orationem, omnique numero oratorio exuerent, in qua nec res nec verbum ullum esset nisi abiectum. Post *scopas* vulgo inepte addebatur, *ut ita dicam*, quod quidem glossema frustra defendit Pargoldus. Ferri nimirum posset, nisi iam antea dictum esset, *ut in proverbio est*.

* *Atque, ut plane genus*) Huius lo-

ut plane genus hoc, quod ego laudo, contemsisse videantur, aut scribant aliquid vel Isocrateo more, vel quo Aeschines, aut Demosthenes utitur; tum illos existimabo nun desperatione reformidavisse genus hoc, sed iudicio refugisse: aut reperiant, ipsa eadem conditione qui uti velit, ut aut dicat, aut scribat, utra volet lingua, eo genere, quo illi volunt. Facilius est enim apta dissolvere, quam dissipata connectere. Res autem se sic habet: (ut brevissime dicam quod sentio) composite et apte sine sententiis dicere, insania est; sententiose autem sine verborum et ordine et modo, infantia; sed eiusmodi tamen infantia, ut ea qui utantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerumque prudentes; quo qui est contentus, utatur. Eloquens vero, qui non approbationes solum, sed admirationes, clamores, plausus, si liceat, movere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe sit, quidquam aut spectari, aut audiri libentius.

72. Habes meum de oratore, Brute, iudicium: quod aut sequere, si probaveris; aut tuo stabis, si aliud

cum, in qua est urbanissima cavillatio eorum qui se contemnere numerum oratorum iactabant, quem scilicet assequi se posse diffidebant, parum ab interpretibus intellectum paraphrasi illustrabo. *Atque ut plane genus hoc, quod ego laudo*, (numerosae orationis) *contemsisse videantur, aut scribant aliquid vel Isocrateo more vel quo Aeschines aut Demosthenes utitur*, numeris apte compositum, et bene structa collocatione ornatum; *tum illos existimabo non desperatione* facultatis suae illud assequendi *reformidavisse genus hoc, sed iudicio refugisse* et contemsisse: *aut* si ipsi aliquid eiusmodi scribere non audent, *reperiant* alium quemdam, *ipsa eadem conditione qui uti velit*, aliquid prius Isocrateo more, aut Aeschinis et Demosthenis conscribendi, ut deinde, quasi iure hanc licentiam adeptus, nec imbecillitatem ingenii fateri coactus, sed iudicio suo usus, *aut dicat, aut scribat utra volet lingua*, graeca aut romana, *eo genere quo illi volunt*.

Reformidavisse) Hoc Ernestius reponit ex edd. vett. Vulgo enim simplex est *formidavisse*; quod tamen haud scio an fuerit servandum, ne deinceps ponantur tria verba a syllaba in incipientia *reformidavisse, refugisse, reperiant*

Aut tuo stabis, si aliud quiddam est tuum) Bruto enim Ciceronis senten-

quoddam est tuum. In quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, de quo tantopere hoc libro asseveravi, unquam affirmabo esse verius, quam tuum. Potest enim non solum aliud mihi, ac tibi, sed mihimet ipsi alias aliud videri: nec in hac modo re, quae ad vulgi assensum spectat, et ad aurium voluptatem; quae duo sunt ad iudicandum novissima; sed ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius, quod tenerem, aut quo iudicium meum dirigerem, quam id, quodcunque mihi quam simillimum veri videretur, quum ipsum illud verum in occulto lateret. Tu autem velim, si tibi ea, quae disputata sunt, minus probabuntur, ut aut maius opus institutum putes, quam effici potuerit, aut, dum tibi roganti voluerim obsequi, verecundia negandi, scribendi me impudentiam suscepisse.

tiam haud probatam fuisse ex aliquot epistolarum locis intelligitur.

* *Novissima*) Est i. q. ultimus, vilissimus.

M. TVLLII CICERONIS

AD

C. TREBATIVM

TOPICA.

SVMMARIVM

Cupienti Trebatio Topica Aristotelea cognoscere Cicero in hoc libro argumentorum locos exponit, singulosque primum exemplis breviter illustrat, deinde fusius explicat

Post praefationem igitur cap. 1, *quoniam locorum in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso de quo agitur haerent, alii assumuntur extrinsecus, illi primum breviter enumerantur* cap. 2-4.

Deinde eos Cicero subtilius uberiusque pertractat, et primum eos persequitur, qui ex re tota sumuntur, adhibita vel definitione cap. 5, 6 *vel partitione* cap. 8, *vel notatione s. etymologia*, cap. 9. *Deinde eos, qui sumuntur ex iis rebus quae quodammodo effectae sunt ad id de quo ambigitur, qui sunt,*

1. *ex coniugatione* cap. 10.
2. *ex similitudine* cap. 11.
3. *ex differentia* } cap. 12.
4. *ex contrariis* } cap. 12.
5. *ex adiunctis* cap. 13.
6. *ex consequentibus et antecedentibus et repugnantibus* cap. 14.
7. *ex causis* cap. 15, 16.
8. *ex effectis* cap. 17.
9. *ex comparatione maiorum, minorum, parium* cap. 18.

Sequitur disputatio de iis argumentorum locis, qui assumun-

tur extrinsecus ad causam, *quae Cicero generali nomine testimonia appellat*. cap. 19.

Expositis igitur argumentandi locis Cicero docet, *non omnes locos in omnem incidere quaestionem*, *sed quibusdam quaestionibus alios esse aptiores locos. Quaestionum autem duo sunt genera:*

I. infinitum *s. propositum*, *quod est*

a) cognitionis cap. 20, *in quo*

α) coniectura *an sit*, *quaeritur*, *et quidem*

1. *sitne aliquid*
2. *unde ortum sit*
3. *quae id causa effecerit*
4. *an commutari possit*.

β) *quid sit*, definitione, *ubi explicatur*

1. *notio*
2. *proprietas*
3. *divisio*
4. *partitio*
5. *descriptio*.

γ) *quale sit*, iuris et iniuriae distinctione *Hic*

1. *vel* simpliciter *quaeritur*

a. *de expetendo fugiendoque*

b. *de aequo et iniqua*

c. *de honesto et turpi*

2. *vel* comparate

a. *de eodem et alio*

b. *de maiore et minore*.

b) actionis cap. 21, *quaestiones*, *quarum duo sunt genera*.

1. *ad officium*
2. *ad motum animi vel gignendum*, *vel sedandum*.

His igitur quaestionibus qui loci sint accommodati docetur cap. 22.

II. finitum *s. causa*, *cuius genera sunt*

1. *iudiciales causae*
2. *deliberationes*
3. *laudationes*

quibus accedunt legitimae disceptationes, *quae ex scripto nascuntur*, *ubi controversiam facit vel ambiguum*, *vel discrepantia scripti et voluntatis*, *vel scripta contraria*, cap. 24-26.

1. Maiores nos res scribere ingressos, C. Trebati, et iis libris, quos brevi tempore satis multos edidimus, digniores, e cursu ipso revocavit voluntas tua. Quum enim mecum in Tusculano esses, et in bibliothecs separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidisti in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus continuo a me eorum librorum sententiam requisisti. Quam tibi quum exposuissem, disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via perveniremus ab Aristotele inventa, libris illis contineri: verecunde tu quidem, ut omnia, sed tamen ut facile cernerem te ardere studio, mecum, ut tibi illam traderem, egisti. Quum autem ego te, non tam vitandi laboris mei causa, quam quod id tua interesse arbitrarer, vel ut eos per te ipse legeres, vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem: utrumque, ut ex te audiebam, es expertus. Sed a libris te obscuritas reiecit. Rhetor autem ille, magnus ut opinor, haec Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem

* *Ingressos*) Ms. Ox. *aggressos*. Significat Cicero libros de Officiis, quos paulo ante scribere aggressus erat, needum absolverat.

* *Et iis libris, quos brevi tempore satis multos edidimus digniores*) Ediderat nimirum ann. V. 708 Hortensium, Academica, libros de finibus, Tusculanas disputationes, annoque sequente de natura deorum, de divinatione.

* *Ad eam rationem via perveniremus*) Sc Cicero iisdem Topicis usus est, quae hodie inter Aristotelis libros referuntur, respexit eorum librorum initium lib I, cap. 1: ἡ μὲν πρόθεσις τῆς πραγματείας, μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων, καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες μηθὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον.

Quam quod id tua interesse arbitrarer) Victor. *quam quod interesse tua arbitrarer*.

Magnus, ut opinor, haec Aristotelica) Sic Victor. Verissime. Apud Ernestium inepte *magnus, haec, ut opinor, Aristotelica*. Melius esset *haec* cum ed. Ven. delere.

minime sum admiratus, eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, praeter admodum paucos, ignoraretur. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae et inventae sunt, allici debuerunt; sed dicendi quoque incredibili quadam quum copia, tum etiam suavitate. Non potui igitur tibi, saepius hoc roganti, et tamen verenti, ne mihi gravis esses (facile enim id cernebam), debere diutius, ne ipsi iuris interpreti fieri videretur iniuria. Etenim quum tu mihi meisque multa saepe scripsisses, veritus sum, ne, si ego gravarer, aut ingratum id, aut superbum videretur. Sed, dum fuimus una, tu optimus es testis, quam fuerim occupatus: ut autem a te discessi, in Graeciam proficiscens, quum opera mea nec respublica nec amici uterentur, nec honeste inter arma versari possem, ne si tuto id quidem mihi liceret: ut veni Veliam, tuaque et tuos vidi, admonitus huius aeris alieni, nolui deesse ne tacitae quidem flagitationi tuae. Itaque haec, quum mecum libros non haberem, memoria repetita, in ipsa navigatione conscripsi, tibique ex itinere misi: ut mea diligentia mandatorum tuorum, te quoque, etsi admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum exci-

Quum tu mihi meisque multa scripsisses) Mss. duo Oxonienses, ed. Ven. Med. Ald. Omnib. Victor habent *multa exercuisses*, id quod Boethius quoque legisse videtur. Ernestio tamen assentior, qui hoc e glossemate in textum venisse putat. « Cicero consulto dedit *scripsisses*, quia respondet raelius rei. Cicero non recusat scribere Topica Trebatio, quia Trebatius saepe Ciceronis causa scripsit. Vid. Victor ad Cic. Epp. VII, 14, qui *scripsisses* in vetere exemplo reperit. » Hactenus ille.

* *In Graeciam proficiscens*) Cicero enim ann. V. C. 709 mense Iunio iure legationis liberae usus, in Graeciam proficiscendi consilium ceperat, et Syracusas pervenerat. Sed hoc mutavit consilium et Romam reversus est, cuius rei causas exponit Philipp. I, cap. 2.

* *Tuaque, et tuos vidi*) Trebatii paternae possessiones Veliae erant. Vide epist. Ciceronis ad Trebatium Fam. VII, 19 et 20. Goerenz.

tarem. Sed iam tempus est ad id, quod instituimus, accedere.

Quum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes; unam inveniendi, alteram iudicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Iudicandi enim vias diligenter persequuti sunt, ea scientia, quam *Dialecticen* appellant. Inveniendi vero artem, quae *Topice* dicitur, quaeque ad usum potior erat, et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est, et utramque, si erit otium, persequi cogitamus, ab ea, quae prior est, ordiemur.

2. Vt igitur earum rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco, facilis inventio est: sic, quum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus: sic enim appellatae ab Aristotele sunt hae quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, *Locum* esse argumenti sedem: *Argumentum* autem, rationem, quae rei dubiae faciat fidem.

3. Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso, de quo agitur, haerent: alii assumuntur extrinsecus. In ipso, tum ex toto, tum ex his rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur. Extrinsecus autem ea dicuntur, quae absunt, longeque disiuncta sunt. Sed ad id totum, de quo disseritur, tum definitio adhibetur, quae quasi involutum evolvit id, de quo quaeritur; cuius argumenti talis est formula: « Ius civile est, aequitas constituta iis, qui eiusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas: eius

Ea scientia, quam Dialecticen) Ernestius probat lectionem Ms. V. edd. Ven Med. Iunt. *eam quam Dialecticen appellant*; nobis quoque verior videtur, sed ita ut pro *eam* legatur *viam*.

autem aequitatis utilis est cognitio: utilis est ergo iuris civilis scientia; » tum partium enumeratio, quae tractatur hoc modo: « Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber. Atqui nulla est earum rerum: non est igitur liber; » tum notatio, quum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo: « Quum lex assiduo vindicem assiduum

Utilis est cognitio) Ernestius delendum censet *est* auctoritate Ms V. et solet fere omitti in huiusmodi assumtionibus.

[1] *Si neque censu*) Ciceronis temporibus libertate donabantur servi triplici modo, censu, vindicta, testamento. *Censu* quidem, quum quis iubente aut consentiente domino nomen deferebat in censum; soli enim cives Romani olim censebantur. *Vindicta*, quum lictor vindictam, quae virgula est, manumittendi servi capiti imponens, eundem servum hac solemni verborum formula *liber esto*, in libertatem vindicabat; quo tempore dominus servum alapa percussum eii magebat in gyrom, ut sic intelligeret sibi licitum in quamlibet partem abire. Denique *testamento* manumittebantur, quum quis servum suum testamento liberum esse iussisset. Payst.

Atqui nulla est earum rerum) Vulgo, *neque est ulla earum rerum*. At sic non solet assumtio syllogismorum inferri. Boethius ita παρορμᾷ: *At nulla earum parte factus est liber*. Itaque ad scripturam vulgatam proxime accedit, quod edidi.

[2] *Quum lex*) Vulgo additur *Aelia Sentia*, quod inducendum esse recte iudicavit Ernestius. « Nam lex Aelia Sentia de manumissionibus satis quidem nota est ICtis; sed ea est consulum A. V. C. 752, adeoque post mortem Ciceronis, tempore Augusti lata. Porro Consules Aelium et Sentium quemdam ante Topica scripta fuisse, aut praetores, aut tribb. pleb. (nam et e duobus tribb. pleb. leges nominari lex Carbonis et Silvani docet) non reperimus. Itaque quum a melioribus Codd. nomen huius legis absit, eaque lex, quae assiduo iubet assiduum vindicem esse, sit e XII tabulis petita, hoc legis nomen non potest esse a Cicerone. Corruptioni locum dedit nomen Aelii, quod statim subiicitur. Nam quod Norisius Cen. Pis. Diss. III, 9, *Sentiam* esse putat a librario, *Aeliam* esse ius Aelianum, quod valde placebat Heinec. id probari propterea non potest, quia lex commemorata est lex, quae proprie dicitur e XII tabulis. I. Cannegieterus V. C. de Notis p. 316 tentat, *Lex apud Aelium Sextum*. Non placet. » Hactenus Ernesti. Iam Boëthius in codice suo vitiosam lectionem *Aelia Sentia* invenit, nihil interim de eius falsitate suspicatus.

[3] *Assiduum*) Lex est XII Tab. quemadmodum testatur Gellius lib. XVI, cap. 10 his verbis scripta: *Assiduo assiduus vindex esto. Proletario cui quis volet vindex esto.* Cuius vis et sententia haec est: Locupleti fideiussor locuples sit, inopi quivis. In quo summa aequitas est. Quem enim homo tenuis locupletem pro se fideiussorem inveniat? Gui,

esse iubeat, locupletem iubet locupleti: locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab asse dando ».

4. Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur. Sed hoc genus in plures partes distributum est. Nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. *Coniugata* dicuntur, quae sunt ex verbis generis eiusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quae orta ab uno varie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia. Haec verborum coniugatio, συζυγία dicitur, ex qua huiusmodi est argumentum: « Si compascuus ager est, ius est compascere ». A *genere* sic ducitur: « Quoniam argentum omne mulieri legatum est, non potest ea pecunia, quae numerata domi relicta est, non esse legata; forma enim a genere, quoad suum nomen retinet, nunquam seiungitur: numerata autem pecunia nomen argenti retinet: legata igitur videtur ». A *forma* generis, quam interdum, quo planius accipiatur, partem licet nominare, hoc modo:

Quae quodammodo affectae sunt ad id) Victor. *quae sunt quodammodo affectae ad id.*

* *Coniugata*) Locum hunc ut inutilem improbat Fabius lib. V, cap. 10 immerito, quum saepe vim ad persuadendum habeat. Ut quum ait Tullius pro Marcello cap. 32 *Ingratus est iniustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum.* Paver.

* *Forma — nunquam seiungitur*) H. e. ut dialectici nostri dicunt, quid valet de genere, valet etiam de specie.

* *Quoad suum nomen retinet*) Forma quoad generis nomen retinet, nunquam a genere separatur: tum separatur, quum omisit. Legavit vir uxori ligna omnia, arbores stantes non legavit. *Suum* pro eius, non semel a Cicerone dicitur: nisi malis *suum nomen*, naturale esse nomen: ut nummi argentei nomen naturale sit *argentum*: quod quidem amittit, quum percussus est: tum enim *nummus* dicitur. Gov.

* *Quo planius accipiatur*) I. e.

a Si ita Fabiae pecunia legata est a viro, si ea uxor

quia *formae* vocabulum ambiguum est, nec semper speciem generis denotat; interdum pro eo *partis* vocabulum substituere licet, ut sit magis perspicuum, et facilius intelligatur. Sed *partis* vocabulum in sermone latino eadem ambiguitate laborat.

* *Si ita Fabiae*) Vt Ciceronis mens intelligatur, observandum ex Boethio, tribus modis apud veteres Romanos duci solitam uxorem, farre, usu, et coemptione. Confarreatio ad pontifices tantum pertinebat: erant sacrae nuptiae dictae, ut ait Dionysius in Romulo, quod eodem farre coniuges vescerentur, quo etiam victimam aspergerent. Vsu fiebat matrimonium, quum uxoris et mariti convictus per annum continuus et stabilis fuerat, tumque dicebatur [illegible] mancepta. Denique coemptio certis solemnitatibus peragebatur, et se se in coemendo invicem interrogabant. Vir ita [illegible] sibi mulier materfamilias esse ce[illegible]. Illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet: ille respondebat, velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hae nuptiae per coemptionem: quod, teste Varrone, mulieres assem unum tanquam emendi causa marito darent. Iam vero ut ad exemplum a forma petitum redeamus, uxor genus est: eius duae formae: altera matrum familias, altera uxorum tantum. Si cui uxori, quae mater esset familias, legatum sit pecunia: a forma recte concluderetur nihil ei iure deberi, quae uxor tantum modo haberetur. PAVT.

* *Si ita Fabiae pecunia legata est a viro*) Hunc locum optime explicuit Hotomannus Obs. lib. I, cap 24 «Boethius, inquit, hunc locum sic interpretatus, quasi vir testator esset, et eius uxor Fabia vocaretur. Quidam, inquit, omnem Fabiae uxori legavit argentum, si quidem Fabia ei non uxor tantum etc. Ignoravit scilicet vir dialecticae peritissimus vim eius locutionis, quae apud Iurisconsultos est usitatissima. Nam *legare ab aliquo* quum dicimus, aliquem heredem intelligimus, ut non ex hereditatis asse legatum detrahatur, sed ex eius duntaxat parte, qui nominatus est. Vir igitur non testator fuit, sed unus ex heredibus institutis, et Fabia non testatoris uxor, (quod nihil obtuens Boethius cogitare poterat) sed heredis. Forma igitur legati sub conditione concepta sic est: Valerius heres meus uxori suae, si materfamilias eius sit, centum dato. Sic enim directe Cicero testatur [illegible] Si ita Fabiae pecunia l[illegible] si ea uxor materfamilias esset, et ea in manum viri non convenerat, nihil debetur. Recte Cicero: nam si testator legatum non conditionaliter, sed sub demonstratione concepisset: *Valerius meae uxori matrifamilias centum dato*; quamvis falsa demonstratio fuisset, debitum tamen legatum fuisset, ut notum est omnibus ex *L. falsa* 33, *L. demonstratio*. 17, et *L. cum tale* 72, *falsam ff. de condit. et demonstr.* ubi hoc ipsum additur: *nisi sub conditione demonstratio posita sit*. Sed videamus, an si hoc verum sit, obscure Cicero scripserit, argumentum hoc *a forma* sumi; quum inter omnes constat, rationem, qua concludimus, id quod sub conditione legatum est, deficiente conditione non deberi, non ex forma sumi, sed ex antecedentibus Considerandum etiam, quo iudicio Cicero exemplum argumenti a forma in refellendo posuerit. Quum

materfamilias esset, si ea in manum viri non convenerat, nihi debetur. Genus est enim, uxor; eius duae formae: una matrumfamilias, earum, quae in manum convenerunt, altera, earum, quae tantummodo uxores habentur. Qua in parte quum fuerit Fabia, legatum ei non videtur ». A *similitudine*, hoc modo: « Si aedes eae corruerunt, vitiumve fecerunt, quarum ususfructus

enim a forma duci argumentum dicimus, intelligimus nimirum e forma ad genus. Atqui a specie semper genus affirmamus, ut: si *materfamilias est*, *uxor est*; negare vero qui possumus? Non enim sequitur, si materfamilias non est, uxorem non esse. Ex contrariis igitur huiusmodi ducuntur argumenta, non ex forma, quum ita dicimus: Legavit matrifamilias, non igitur matronae. Legavit filiisfamilias, non igitur emancipatis. Pueris liberis, ergo non impuberibus. Quare etiam si testator in exemplo Ciceronis sic scripsisset: *heres uxori suae matrifamilias centum dato*, et ius hoc esset, ut falsa demonstratio legatum vitiaret, itaque argumentari liceret, si ei nominatim legavit, quae materfamilias esset, non legavit ei, quae uxor tantum esset, hoc est, matronae, tamen non a specie ad genus esset argumentatio, sed potius a specie ad speciem, id est a contrariis, quo eodem modo illud accipiendum est, quod Quintilianus ita scripsit lib. V, cap. 10. « Si quis, quum legatum sit ei, quem viro materfamilias esset, negat deberi ei, quae in manum non convenerit, specie utitur, quoniam hae formae sunt matrimoniorum » Hactenus Hotomannus; qui Ciceronem in exemplo deligendo errasse ita evicit, ut dubium esse nemini possit. Nostri dialectici hunc syllogismum ad hypotheticos referrent. Si Fabia viro materfamilias non est, nihil ei debetur. Atqui non est materfamilias, nam in manum non convenit, ergo nihil ei debetur.

Si ea uxor materfamilias esset) Vulg. *si ei viro materfamilias esset*. « Ms. delet m. pr. ei viro, ut edd. Ven. Iust. etc. manu secunda addit *viri* post *in manum*, ut in edd. iisdem. Sed ed. Ven. habet *si ea uxor materfamilias esset*, quod placet. Sic et correxit manus docta in exemplo nostro ed. Med. addito *viri* post *in manum*, et sic edidimus » Ernest. Optimum fortasse fuerit retinere: *si ei uxor materfamilias esset*: sic enim dativus pronominis personalis alibi quoque usurpatur: ut de Orat. II, c. 67, *quid est TIBI isto mulier*? — *Uxor*. Quintilianus V, 10, 61 ad h. l. respiciens, Cicero, inquit, genus et speciem, quam eandem formam vocat, « finitione deducit, et iis, quae ad aliquid sunt, subicit, ut si iis, cui argentum omne legatum est, petat signatum quoque, utatur *genere*, at, si quis, quum legatum sit ei, quae viro materfamilias esset, negat debere ei, quae in manum non convenerit, *specie*, quoniam duae formae sint matrimoniorum ».

Si aedes eae corruerunt) Quint. V, 11, 31. Illud est annotandum, magis argumenta duci ex toto simili, ut Cicero in Topicis: *Si aedes domus sua*

legatus est, heres restituere non debet, nec reficere non magis, quam servum restituere, si is, cuius usufructus legatus est, deperisset ». A *differentia*: « Non,

fructus relictus est, non restituturum heredem, si corruerit, quia non restituet servum, si is decesserit.

* *A differentia Non si uxori*) «Obscure Cicero locum a differentia tractasse videtur, quum ita scribit. *Non, si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, ideirco quae in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt, in arcane positum sit argentum, an in tabulis debeatur.* Quo in loco (ut id obiter dicatur) postremum verbum *debeatur* glossam redolet. Sed nunc aliud agimus. Neque enim animadvertere Cicero videtur, hanc disputationem ad locum a differentia pertinere non posse. Si quidem, ut in loco a similitudine proposita quaestione medium aliquod simile subiecto termino investigatur, ut demonstretur, ea inter se convenire, sic in hoc loco quaerendum medium est, subiecto termino dissimile, ut ex eo probetur, quia dissimilia dissimilibus conveniunt, attributum subiecto non convenire. At Cicero in isto exemplo, quum extra terminos propositos medium quaerere deberet, attributum protulit. Videamus igitur, ecquid haec disputatio ad definitionis locum potius pertineat, quod etiam Ulpianus aperte intendit in L. *quaeritur* 27, § 2, et L. *scribit* 34 D. *de aur. et argent. leg.* ubi sic scribit. *Argento omni legato, quod suum esset, sine dubio non debetur id, quod in credito esset. Hoc ideo quia non videtur suum esse quod vindicari non possit.* Ponatur igitur quaestio haec: an qui suum omne argentum alicui legavit, etiam debitam sibi pecuniam ei legasse videatur et afferatur medium ex definitione sic: *Suum est, quod vindicari potest.* Id quod attributo non convenit, quia debita pecunia vindicari non potest. Apparet igitur attributum subiecto non convenire; hoc est, legati sui argenti nomine id quod debetur non comprehendi. Et profecto ita est, ut hoc loco tum demum utimur, quum ea secernenda sunt, quae tanquam similia et consentanea coniungebantur, quemadmodum ex illo exemplo, quod Cicero posterius c. 11 protulit, facile erit intelligi. *Non quemadmodum mulieri debeas, recte ipsi mulieri sine tutore auctore solvas, ita quod aut pupillo aut pupillae debeas, recte possis eodem modo solvere.* Nam quaestio haec fuit: An ut mulieribus recte solvitur sine tutore auctore, sic etiam pupillis, quae subaudienda est, quasi posita sic fuisset: An et mulieribus et pupillis recte sine tutore auctore solvitur: ubi hoc demum ambigitur, an idem illud, nimirum *Recte sine tutore solvere*, duobus illis, nimirum mulieribus et pupillis, recte attribuatur, quasi similia et consentanea inter se essent. Sumatur autem medii loco ea differentia, quae est inter mulieres et pupillos. Alia est tutelae mulieris, alia pupilli ratio. Multo enim plus habet mulier iudicii, quam puer. Et quia medium hoc demonstrat, duo illa in subiecto termino non recte coniungi, propterea efficitur, attributum terminum iis duobus convenire non posse, propter locum communem, quo dicimus *idem duobus dissimilibus convenire non posse.* Videndum igitur in istis argumentationibus, ut ea duo, quae differentia esse dicimus, in mu-

si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, idcirco, quae in nominibus fuerunt, legata sunt. Mul-

nore quaestionis terminum quam consentaneum coniungantur. Velutsi quis dicat: Non ut animi sed etiam corporis voluptas expetenda est, quaestio haec erit: an et animi et corporis voluptas expetenda sit. Quod ab iis qui dialectica praecepta tradiderunt, demonstratum non esse, vehementer equidem sum admiratus ». Hactenus Hotomannus Obs. lib. I, c. 25, qui Ciceronem neglectae subtilitatis logicae speciem satis insimulat. Boethius autem eum sic defendit. in rebus plurimum differentibus, quod de altera earum dicitur, non videtur in alteram convenire. Id quum ita sit, quidam argentum suum omne legavit uxori. Ille pecuniam quoque quae in nominibus debebatur omnem esse dicebat, quod omnis pecunia nomine vocaretur argenti. Quaeritur an id quoque argentum, quod in nominibus debebatur, legatum sit; hic igitur subiectus est terminus argentum quod in nominibus debetur, legatum vero praedicatus. A differentia igitur faciemus argumentationem hoc modo. idem de plurimum differentibus rebus intelligi non potest; plurimum vero differt, argentum in arcane sit positum an in nominibus debeatur. Nam quae posita in arca pecunia est, iuris est nostri: in nominibus vero debita non est nostra. Nam quod mutuum datur, ex meo fit accipientis, atque ideo non cogitur eandem ipsam pecuniam debitor restituere creditori, sed aliam tantum. In arca vero posita pecunia, et in nominibus debita, non sunt argenti vel pecuniae species, sed differentiae. Nam argenti species signatum et non signatum esse dictae sunt. Qualitas vero pecuniae in possessione positae vel non positae, sed non modo omnibus alienae, in his differentiis constat, ut alia sit in arca posita, reliqua in nominibus debeatur. Quum igitur suum omne quod fuerat argentum vir uxori legaverit, quumque manifestum sit, id ad eam pertinere, quod fuerit legatum, id est, quod in arca fuerat conditum, non potest id intelligi de eo quod in nominibus debeatur. Quoniam, sicut dictum est, id quod in nominibus debetur, ab eo quod in arca positum est, plurimum differt. Facta est igitur argumentatio ab eo quod in ipso inerat, de quo quaerebatur, quaerebatur vero de argento in nominibus debito; in hoc inerat propria differentia, qua ab alio differebat argento, hoc est eo, quod in arca positum fuit, id vero est affectum, id est differentia. Maxima vero propositio est: *de rebus plurimum differentibus idem intelligi non posse* ». Nempe res de qua quaeritur redit ad quaestionem, quae superiore saeculo agitata est a summis philosophis Kantio et Lamberto. Kantius nimirum in libello *die falsche Spitzfindigkeit der vier Figuren der Schlussen*, contendit omnes syllogismorum categoricorum figuras et modos subiectos esse formulae, quae dicitur *dictum de omni et nullo*. Lambertus vero in libro *Neues Organon*, ostendit, quamlibet horum syllogismorum figuram propriae formulae subiici, et primam quidem adstringi ad illud *dictum de omni et nullo*, alteram vero ad *dictum de diverso*, a ad hanc formulam, quam tangit Boëthius. Res diversae non possunt sibi convenire. Itaque Cicero recte hoc exemplum referre potuit ad locum de differen-

tum enim differt, in arca-ne positum sit argentum, an in tabulis debeatur ». Ex *contrario* autem, sic: « Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit, cellis vinariis et oleariis plenis relictis, putare id ad se pertinere. Vsus enim, non abusus, legatus est. Ea sunt inter se contraria ». Ab *adiunctis*: « Si ea mulier testamentum fecit, quae se capite nunquam deminuit, non videtur ex edicto praetoris secundum eas tabulas possessio dari. Adiungitur enim, ut secundum

tis, quamquam si omnes syllogismos categoricos ex formula dicti de omni et nullo derivare velis, idem possit ad genus a. ad definitionem revocari.

* *Cellis vinariis, et oleariis*) Earum rerum quae usu consumuntur, usus fructus ut qui utatur iure, neque vero civili constitui potest quum *usus fructus*, uti Paulus ad Vitellium scribit, aliud nihil sit, quam *ius alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia*: ut re sublata et consumpta, talis usus fructus necesse sit. Quum igitur oleum, vinum, frumentum, vestimenta, quibus proxima est pecunia numerata, quae et ipsa usu et assidua permutatione quodam modo extinguitur, utendo consumuntur, neque in hoc rerum genere constitui usus fructus possit: non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usumfructum legavit, vinariis et oleariis relictis, putare ius sibi esse utendi fruendi. Vsus enim ei, non abusus relictus est. Gov.

* *Vsus enim, non abusus, legatus est*) Nempe Ciceronis adhuc tempore ususfructus earum rerum constitui nequ poterat, quarum substantia utendo interiret. Sed id postea mutatum esse docuit Hotomannus Epitomator in Pandectas VII, 5.

* *Se capite nunquam deminuit*) Capitis deminutio est prioris status permutatio. Triplex autem recensetur. Tria enim, inquit Paulus, habemus, libertatem, civitatem, familiam; quum haec omnia amittimus, maxima est capitis diminutio. Quum civitate amissa, libertas retinetur, ut quum quis in colonias latinas transmigrabat, erat media capitis diminutio. Minima autem, cum familia tantum mutabatur, quum quis adoptabatur, vel alieno iuri subiiciebatur, vel emancipabatur. Mulieres autem antiquo iure tutela perpetua continebantur, nec recedebant a tutoris potestate, nisi in manum viri convenissent: atque ut tunc erat status prioris mutatio, ita dicebatur capite diminuta. Adde quod quum eius familia uno capite, id est, una persona diminuta esset, uxor in viri familiam transiens, diminuta capite non immerito vocaretur. Pavst.

* *Quae se capite nunquam diminuit*) Recte iam Boethius interpretatur, quae in manum viri non convenit, adeoque sub tutela est, quae si sine tutore auctore testamentum fecit, non magis secundum eas tabulas possessio datur quam secundum servorum, exsulum aut puerulorum tabulas dantur. Ceterum in multis edd. scribitur *deminuit*, in hac quidem formula rectius.

Adiungitur enim) Est modus loquendi dialecticus pro *sequitur inde*.

servorum, secundum exsulum, secundum puerulorum tabulas possessio videatur ex edicto dari ». Ab antecedentibus autem, et consequentibus, et repugnantibus, hoc modo: Ab *antecedentibus*: « Si viri culpa factum est divortium, etsi mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet ». A *consequentibus*: « Si mulier, quum fuisset nupta cum eo, quicum connubium non esset, nuntium remisit; quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet ». A *repugnantibus*: « Si paterfamilias uxori ancillarum usumfructum legavit a filio, neque a secundo berede legavit; mortuo filio mulier usumfructum non amittet. Quod enim semel testamento alicui datum est,

Nempe sensus est, si id ita videatur, sequitur etiam alius possessionem e testamento dari posse, qui non sunt in potestate sua. Sed id esse non potest. Ergo etc. Ern.

Pro liberis manere nihil oportet) Forsan ante *nihil* excidit *dotis*. Paulo post facilius abesse potest, quia ex priori loco satis intelligitur.

A consequentibus) A consequentibus ducitur argumentum, quum propositis duobus, a posteriore argumentamur, hoc modo: Mulier serva, cui prudens nupserat, nuncium remisit: qui ex ea coniunctione nati sunt, patrem non sequuntur. Quare pro liberis ex dote apud patrem manere nihil oportet. Id quod ex eo collegi, quia patrem liberi non sequerentur: quod e duobus quae proposui, posterius est. Gov.

* *Quicum connubium non esset*) H. e. quicum non posset iustum contrahi matrimonium; ut si civis Romana peregrino nupsisset.

* *Si paterfamilias uxori ancillarum usumfructum legavit a filio*) Hoc quod ait, explicat Boethius ad h. l. « Quidam haeredem testamento scripsit filium, eique secundum substituit haeredem, uxorique suae ancillarum usumfructum legavit a filio, dixitque, ut unus filius eius usumfructum ancillarum permitteret, neque illud adiecit, ut etiam secundus haeres eundem usumfructum mulieri concederet. Successit filius, et mulieri ancillarum contulit usumfructum. Illo mortuo intra pubertatem, agit secundus haeres, et usumfructum ancillarum mulieri extorquere conatur, dicens usumfructum et a filio legatum, a se vero minime ». Hic Cicero negat mulierem usumfructum amittere.

* *Ancillarum usumfructum*) Vsusfructus ancillarum, omnis ea utilitas est, quae ex ancilla percipi potest, praeter earum partus, qui in fructu non sunt, sed ad proprietatis dominum pertinent: neque enim placuit homines in fructu esse, quorum gratia rerum omnium fructus natura comparavit. Gov.

id ab eo invito, cui datum est, auferri non potest. Repugnat enim recte accipere, et invitum reddere ». Ab *efficientibus causis*, hoc modo: « Omnibus est ius parietem directum ad parietem communem adiungere, vel solidum, vel fornicatum. At si quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit, non debebit praestare, quod fornix vitii fecerit. Non enim eius vitio, qui demolitus est, damnum factum est, sed eius operis vitio, quod ita aedificatum est, ut suspendi non posset ». Ab *effectis rebus*, hoc modo: « Quum mulier viro in manum convenit, omnia, quae mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine ». Ex *comparatione* autem omnia valent, quae sunt eiusmodi. Quod in re maiore valet, valeat in minore, ut: « Si in urbe fines non reguntur,

ª *Omnibus est ius parietem directum*) Hunc locum a Boethio parum recte intellectum explicat Hotomannus obss. lib. II, cap. 1: « Boethius aliique hi sic intelligunt quasi haec postrema, *vel solidum vel fornicatum ad parietem communem* referenda sint, quum aperte ratio quaestionis ostendat ad *directum parietem* pertinere. Est autem paries communis qui iure dominii est communis utriusque vicini pro partibus indivisis l. 4, D. *de servit. leg.* Paries autem directus est qui a per finem adiunctus est, qui exempli causa communem sic attingit, ut in litera T decorum pendens linea transversam superiorem attingit. Solidus vero, qui continuus; fornicatus, qui cameratus est. Quaeritur ergo, eo qui communem parietem demolitus est, vitium adiuncti fornicis praestare debeat, et medium affertur ex causa illius ruinae sive vitii parietis fornicati, quae, quia ab eo, qui demolitus est, abesse, in eo vero, qui sic aedificavit, ut suspendi aedificium non posset, inesse probatur, concluditur illum, qui demolitus est, praestare damnum non debere. Quum igitur Octavius ad parietem inter se et Nonium communem fornicatum parietem pro suo iure adiunxisset, Nonius autem vicinus aliquid aedificaturus parietem communem demoliri vellet, damni infecti nomine promisit, id est promisit se damnum, si quod opus illud suum tempore demolitionis faceret, praestaturum. Everso pariete communi, fornicatus, qui suspendi non poterat, corruit ».

ᵇ *Si in urbe fines non reguntur*) Scilicet; ut Paulus ait Digestor. lib. X, tit. I, leg. 4, § 10, finium regundorum iudicium locum habet in confinio praediorum rusticorum; urbanorum displicuit; neque enim confines hi, sed magis vicini dicuntur, et ea communibus parietibus plerumque determinantur; et ideo etsi in agris aedificia iuncta sint, locus huic actioni non erit, et in urbe hortorum latitudo contingere potest, ut etiam finium regundorum agi possit.

nec aqua in urbe arceatur ». Item contra · Quod in minore valet, valeat in maiore. Licet idem exemplum convertere. Item: Quod in re pari valet, valeat in hac, quae par est: ut, « Quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam aedium. At in lege aedes non appellantur, et sunt ceterarum rerum, quarum annuus

* *Nec aqua in urbe arceatur*) Scil. pluvia. Actioni enim aquae pluviae arcendae locus saepe erat in confinibus praediis rusticis. « Sed hunc locum, qui ex comparatione est, Cicero retractat, ut facile mihi persuadeam, eos omnes, quos habemus Topicorum libros corruptos esse. Nam in tradenda propositione maxima eius loci, qui est ex comparatione maioris, exemplum et regulae, quam proponit, plane contrarium profert his verbis: *quod in re maiore* non *valet, non valeat in minore, ut si in urbe fines non reguntur, nec aqua in urbe arceatur.* Placet igitur eorum sententia, qui de ea in illa praeceptione maxima negationem deesse putant, ut locus sic legatur: *Quod in re maiore NON valet, NON valeat in minore*: quoniam, ut ex libro Aristotelis Topicorum tertio cognoscitur, argumentum quod ex maiore ducitur, tantum ad refellendum valet, et eiusmodi dicitur, quod magis probabile et consentaneum est. Itaque subiectum a Cicerone exemplum tantum ad refellendum valet, quod videlicet probabilius fuisset fines in urbe regere, quam aquam in eodem arcere. Neque tamen dubium est, quin utraque actio in rusticis tantum praediis locum habeat L. 2, L. 4, §. ult. D. fin. regund. et tot. tit. de aqua pluvia arcenda. Sed tamen commodius Cicero alio Topicorum loco (c. 11) hanc disputationem ad similem locum retulit, ubi sic loquitur quemadmodum si in urbe de finibus controversia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quam urbis, finibus regendis adigere arbitrum non possis, sic si aqua pluvia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum est, aquae pluviae arcendae adigere non possis arbitrum ». Hotomann. obss. II, 2.

* *Quoniam usus auctoritas fundi biennium est*) Hotomannus l. l. corrigebat *biennis*. At hoc necessarium non est, quum intelligitur *per biennium*. Neque vero vocabulum *auctoritas* Ernestio suspectum esse debebat. Idem enim est in Orat. pro Caecina cap. 19: *Lex usum auctoritatem fundi iubet esse biennium*; quorum verborum structuram novissimus editor, idemque diligentissimus Bekius recte sic explicuit: Lex iubet esse fundi *per biennium* esse (*s. dare*) auctoritatem (*usus possessionis*) fundi. Itaque h. l. quoque sic intelligendus: quoniam ex usucapione per biennium enascitur auctoritas s. ius possessionis fundi, valeat idem in aedibus.

Et sunt ceterarum rerum, quarum annuus est usus) Si in lege XII tabb. diserte fuisset praescriptum aedium, ut aliarum rerum, annuum usum *esse*, h. e. usum annuum ad ius possessionis evinciendum sufficere, contra legem scriptam haud valeret aequitas. Ergo ista verba vel sic interpretanda: et videntur in numero ceterarum rerum tacite comprehendi, quarum an-

est usus. Valeat aequitas, quae paribus in causis paria iura desiderat ». Quae autem *extrinsecus* assumuntur, ea maxime ex auctoritate ducuntur. Itaque Graeci tales argumentationes, ἀτέχνους vocant, id est, artis expertes: ut, si ita respondeas: « Quoniam P. Scaevola

nous est usus; vel, quod magis placet, legendum *nec sunt ceterarum rerum, quorum annuus est usus.* Nam ut aedes in legibus XII tabularum in annuo usu ceterarum rerum definiendo, inter ceteras istas res haud nominatae erant, aequitas postulabat, ut sub nomine *fundi*, cuius usus biennium esset, aedes quoque comprehenderentur. Gothofredus quoque ad legg. XII tabb. legendum censebat *cum in lege aedes non appellentur, nec sunt ceterarum rerum* etc. *Post ceterarum rerum* vulgo additur *omnium*, quod, ut inutile, delevi. Idem Ernestio visum, qui *rerum* primus addidit e Mss.

* *Quoniam P. Scaevola — id tibi ius videri*) Ad hunc locum satis, ut nunc quidem legitur, obscurum Boethius ita commentatur. «Sed ambitus aedium est, quantum soli aedium ambitus claudit. Scaevola igitur dixit, id esse ambitus aedium solum, quod tecti diffusione tegeretur. Manifestum est enim tecto latius fundi, nec parietibus adaequari, ut stillicidium longius cadat. Quae quum ita sint, quidem parietem communem tegere mittebatur, quaeritur an sit aliquod ius tegendi? respondeas tu, inquit Cicero, Trebati, id ius esse tegendi parietis communis, ut in eum qui tegat aliud quodlibet tectum stillicidii aqua fundatur, alias non esse iuris ut tegat quis parietem stillicidiis in vicini tecta defluente. Haec enim stillicidii servitus nova nisi consentiente vicino nihil iuris habet. Sed si hunc responso opponatur, ut sic quidem ut tegat esse iuris, quandoquidem aedium solum tantum est, quantum cumque parietes claudunt, qui vero tegit tectum, longius mittit, tu, inquit, responsum tuum Scaevolae auctoritate firmabis, dicens Scaevolam respondisse, hoc esse solum ambitus aedium, quantum tectum proiceretur, non quantum parietes ambirent. Ius est igitur proicere tectum, quo intra ambitum adhuc suarum aedium tegit, sed ita ut in suum tectum aqua defluat, nec vicino nova noceat servitute.» Hactenus Boethius. Quem reprehendit Hotomannus Obs. lib. II, c. 3, quod vocabulum SOLVM pro substantivo, i. e. pro terra s. area acceperit, quum sit adverbium, i. q. *tantum*. In quo mihi videtur iniuriam fecisse Boethio. Nam si de ambitu aedium quaeritur, utique quantum sit illius soli spatium circa aedes, quod ad ambitum pertineat, quaeritur. Nec magis Hotomanno in reliquis assentior, praeterquam quod QVAM pro QVOD reponendum, et posteriorem vocem TECTVM, (post verba *ex quo in*, non ut Ernestius scripsit post caussa) delendum censuit. «Lex enim, inquit, XII tab. sestertium pedem inter privatorum aedificia relinqui, eumque aedium ambitum esse iussit, quemadmodum ex Varrone, Festo, et Volusio Maeciano in XII tabularum commentario docemur. Est autem pes sestertius spatium duorum pedum et semipedis. Quod propter incendia constitutum fuisse nemo ignorat. At

id solum esse ambitus aedium dixerit, quod, parietis communis tegendi causa, tectum proiiceretur, ex quo in tectum eius, aedes qui protexisset, aqua deflueret, id tibi ius videri ».

5. His igitur locis, qui sunt expositi, ad omne argumentum reperiendum, tanquam elementis quibusdam, significatio et demonstratio datur. Vtrum igitur hactenus satis est? tibi quidem, tam acuto, et tam occupato, puto. Sed, quoniam avidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere. Quando ergo unusquisque eorum locorum, quos exposui, sua quaedam membra habet, ea quam subtilissime persequamur; et primum de ipsa definitione dicatur. *Definitio* est oratio, quae id, quod definitur, explicat, quid sit. Definitionum autem duo sunt ge-

ss aedes continentes sint, quia paries communis est, neque quidquam spatii interiectum est, quaerebatur ex Scaevola, quis esset earum ambitus. Et ideirco, ut opinor, quaerebatur, quia nondum satis inter illius aetatis Iurisconsultos constabat, an vicino liceret in communem parietem sua tigna et cetera immittere, aut certe quatenus liceret. P. Scaevola Iurisconsultus respondit, id dumtaxat esse ambitus aedium, quoad uterque vicinus parietem communem protexerit, unde divortium aquarum fiat, et in cuiusque illarum aedes aqua pluvia defluat, nimirum et dimidia parietis pars ad unum, altera ad alterum pertinet, et linea communem parietem aequabiliter secans, ambitum aedium utriusque designat, quod tamen, ut vere dicam, mihi perquam obscurum videtur ». Vltima verba satis produnt Hotomannum ipsum sensisse, quantis incommodis illa explicatio premeretur. Lapsus autem est propter ambiguitatem vocabuli *paries communis*, quo vocabulo hic parietes exteriores, seu plateam spectantes, qui aedes ambiunt, intelliguntur. Hos enim etiam *parietes communes* appellatos esse bene monuit nuper cl. Rodius in indice Vitruvii ab eo editi. Totus igitur locus sic legendus esse videtur: *Quoniam P. Scaevola id solum esse ambitus aedium dixerit, quod parietis communis tegendi causa, tectum proiiceretur, ex quo ante eius aedes, qui protexisset, aqua deflueret, id tibi ius videri.*

Definitionum autem duo sunt genera prima) Cur *prima*, aut quae sunt *secunda*? Nam quod deinde sit: *atque etiam definitiones, aliae sunt partitionum, aliae divisionum*, id huc trahi non potest. Hic etiam loquitur de duobus generibus earum definitionum, quae in explicanda re versantur. Itaque *prima* delendum puto.

nera prima: unum earum rerum, quae sunt; alterum earum, quae intelliguntur. *Esse* ea dico, quae cerni tangive possunt, ut fundum, aedes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, cetera; quo ex genere quaedam interdum nobis definienda sunt. *Non esse* rursus ea dico, quae tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo, atque intelligi possunt: ut, si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias; quarum rerum nullum subest quasi corpus, est tamen quaedam conformatio insita, et impressa intelligentia, quam notionem voco. Ea saepe in argumentando definitione explicanda sunt. Atque etiam definitiones aliae sunt partitionum, aliae divisionum: partitionum, quum res ea, quae proposita est, quasi in membra discerpitur: ut, si quis *ius civile* dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistat; divisionum autem definitio formas omnes complectitur, quae sub eo genere sunt, quod definitur, hoc modo: a *Abalienatio* est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut

Insita) Ita correxi vulgatum *insignita*. Cicero enim *insignitum* appellat, quod est *insigniter clarum*; de quo hic non agitur. *Insitus* autem saepissime dicitur de notionibus innatis.

Et impressa intelligentia) Victor. *et impressa in intelligentia*, qua ratione *intelligentia* pro mente dicta esset. Sed praestat h. l. intelligentiam, ut alibi, de ipsa notione accipere; et fortasse scripsit Cicero: *est tamen quaedam conformatio insita animo et impressa intelligentia*, quamquam vocabulum *animo* facile ex antecedentibus repetatur.

a *Quae mancipi est*) Res mancipi dicuntur quae sunt in nostra potestate, quas ex nostro ad alterius dominium transferre possumus. Mancipi est indeclinabile in singulari et plurali. Pavor.

a *Nexu*) Nexum, vel nexus (utroque enim genere dicitur) est id quod per libram et aes agebatur quemadmodum scribit M. Tullius III de Oratore. Agebatur autem ita, adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus, et praeterea alio eiusdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, aes tenens ita dicit. *Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio: isque mihi emptus est hoc aere*, ae-

in iure cessio, inter quos ea iure civili fieri possunt ».

6. Sunt et alia genera definitionum; sed ad huius libri institutum illa nihil pertinent; tantum est dicendum, qui sit definitionis modus. Sic igitur veteres praecipiunt: quum sumseris ea, quae sint ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Vt hoc: *Hereditas est pecunia.* Commune adhuc; multa enim genera sunt pecuniae. Adde quod sequitur: *quae morte alicuius ad quempiam pervenit.* Nondum est definitio. Multis enim modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniae possunt. Vnum adde verbum: *iure.* Iam a communitate res disiuncta videbitur, ut sit explicata definitio sic: *Hereditas est pecunia, quae morte alicuius ad quempiam pervenit iure.* Nondum est satis. Adde: *nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta;* confectum est. Itemque, ut illud: *Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt.* Non est satis. *Qui ab ingenuis oriundi sunt.* Ne id quidem satis est. *Quorum maiorum nemo servitutem servivit.* Abest etiam nunc. *Qui capite non sunt deminuti.* Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scaevolam, pontificem, ad hanc definitionem addidisse. Atque haec ratio valet in utroque genere definitionum, sive id, quod est, sive id, quod intelligitur, definiendum est.

7. *Partitionum* autem et *divisionum* genus quale esset, ostendimus; sed quid inter se differant, planius

neque libra. Deinde aere percutit libram idque aes dat ei a quo mancipium accipit, quasi pretii loco. Gov.

* *In iure cessio*) Hoc fiebat modo. Apud magistratum populi Romani, vel apud praetorem (hoc enim est, *in iure*) vel praesidem provinciae, is cui in iure ceditur, rem tenens ita vindicat *Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio.* Deinde postquam hic vindicaverit, praetor interrogat eum qui cedit, an contra vindicet. Quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicaverit, eam rem addicit idque legis actio vocabatur. In-

dicendum est. In partitione quasi membra sunt, ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, et cetera; in divisione, formae sunt, quas Graeci ἰδέας vocant: nostri, si qui haec forte tractant, *species* appellant; non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si latine quidem dici possit, *specierum* et *speciebus* dicere; et saepe his casibus utendum est; at *formis* et *formarum* velim. Quum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror neglegendam. Genus et formam definiunt hoc modo. *Genus* est notio ad plures differentias pertinens. *Forma* est notio, cuius differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest. Notionem appello, quam Graeci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita, et ante percepta cuiusque

Quas Graeci ἰδέας vocant) Aut scripsit Cicero, aut scribere debuit, *quas Graeci εἴδη vocant*, cum species quae sub genere continentur, non ἰδέαι vocantur, sed εἴδη. Nec repugnat quod Cicero patrii sermonis egestate ἰδέας etiam interdum *formas* nominat.

* *Graeci ἰδέας vocant*) Plato princeps *ideas* induxit, easque, uti scribit M. Tullius, mirabiliter est amplexatus. Ideas autem vocabat, quaedam veluti simulacra, exemplaria, typos, imagines rerum ceterarum, quas intuens Deus Opt. Maximus, ad earum similitudines maxima veluti in fingendis rebus dirigeret, nihilque nisi perfectum faceret. Dictae itaque videntur ἰδέας a verbo εἴδειν, quod est *aspicere*, et intueri: quoniam eas Deus faciens quid, semper intuetur. Qua eadem ratione *species* a Latinis sunt appellatae a verbo *specere*, quod videre est: utrumque graecae dictionis melius *species*, quam *forma*, exprimit quamquam M. Tullius eodem nomine ideam significari putet, malitque formam quam speciem dicere, propter duritiem quorumdam casuum: teretes enim et molles eius aures, *specierum* et *speciebus* audire non possunt, *formarum* et *formis* non respuunt. Gov.

Et ante percepta) Ms. et *praecepta*, quod est solemne Ciceronis in hac re verbum, pro quo et *anteceptam* dicit. Forte *ante percepta* est e glossa alterius *praecepta*, aut *ante* additum est, quia vitiose scriptum erat *percepta*. Ern. — Cicero graecum vocabulum πρόληψις latine exprimere voluit. Quare aut *praecepta*, aut *antecepta* scripsit.

Cuiusque formae cognitio) Quum Cicero genus et formam subiiciat notioni, non nisi vitio quodam poterat notionem formae cognitionem appellare. Nisi igitur hic formam pro ἰδέα dictam esse velis, conticias eum scripsisse *cuiusque rei cognitio*.

formae cognitio, enodationis indigens. Formae igitur sunt hae, in quas genus, sine ullius praetermissione, dividitur: ut si quis ius in legem, morem, aequitatem dividat. Formas qui putat idem esse, quod partes, confundit artem, et similitudine quadam conturbatus, non satis acute, quae sunt secernenda, distinguit. Saepe etiam definiunt et oratores et poëtae per translationem verbi, ex similitudine, cum quadam suavitate. Sed ego a vestris exemplis, nisi necessario, non recedam. Solebat igitur Aquillius, collega et familiaris meus, quum de litoribus ageretur, quae omnia publica esse vultis, quaerentibus iis, ad quos id pertinebat, quid esset litus, ita definire, *qua fluctus eluderet*; hoc est, quasi qui adolescentiam, florem aetatis; senectutem, occasum vitae, velit definire: translatione utens discedebat a verbis propriis rerum ac suis. Quod ad definitiones attinet, hactenus: reliqua videamus.

8. *Partitione* autem sic fere utendum est, nullam ut partem relinquas, ut si partiri velis tutelas, inscienter facias, si ullam praetermittas. At si stipulationem

Formae igitur) Ernestius negabat particulam *igitur* ullam h. l. vim habere posse. Et quia in Ms. aberat, delendam putabat. At *igitur* persaepe ponitur, ubi post brevem degressionem ad id quod praecipue agebatur, reditur. Cicero *formam* definiverat. Ab hac definitione degressus quid natio esset, explicabat. Hinc redit ad formas, recteque ait: *formae igitur sunt hae*.

* *Formas qui putat idem esse, quod partes*) Formae ad *genus*, partes ad totum referuntur. Inter genus et totum hoc interest, quod genus de suis formis affirmatur, totum de partibus nunquam: genus ex suis formis non constat, totum ex suis partibus constituitur; genus formis prius natura est, totum partibus et tempore et natura posterius: generis natura universa in unaquaque forma includitur, natura totius universa in nulla suarum partium inest. Goer.

* *Partitione*) Etsi vix quidquam est discriminis partitionem inter et divisionem, nonnihil tamen hic ex rhetorum institutionibus statuit Tullius. Partitionem vult esse totius in partes, divisionem generis in formas. Quum totum infinitas aliquando partes habeat in partitione, minus insignes omittere non est vitiosum. At quum certus sit formarum numerus, quae generi subiiciuntur, in divisione aliquas omittere vitiosum est. Pryst.

aut iudiciorum formulas partiare, non est vitiosum, in re infinita praetermittere aliquid. Quod idem in divisione vitiosum est. Formarum enim certus est numerus, quae cuique generi subiiciantur: partium distributio saepe est infinitior, tanquam rivorum a fonte deductio. Itaque in oratoriis artibus, quaestionis genere proposito, quot eius formae sint, subiungitur absolute. At quum de ornamentis verborum sententiarumque praecipitur, quae vocantur σχήματα, non fit idem. Res enim est infinitior; ut ex hoc quoque intelligatur, quid velimus inter partitionem et divisionem interesse. Quamquam enim vocabula prope idem valere videantur: tamen quia res differebant, nomina rerum distare voluerunt.

9. Multa etiam ex *notatione* sumuntur. Ea est autem, quum ex vi nominis argumentum elicitur: quam Graeci ἐτυμολογίαν vocant, id est, verbum ex verbo, veriloquium: nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notae. Itaque hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod latine est nota. Sed quum intelligitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine. Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo: ut, quum quaeritur, *Postliminium* quid sit (non dico, quae sint postliminii; nam id caderet in divisionem, quae talis est: Postliminio redeunt haec, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frena recipere solet); sed quum ipsius postliminii vis

* *Itaque in oratoriis*) Sententiam exemplo probat Cicero In arte oratoria quaestionis genus dividendum proponatur: nefas erit vel unum praeterire. Dicendum erit triplicem esse quaestionis statum, primum coniecturae, alterum definitionis, tertium denique qualitatis. At si recenseadis elocutionis luminibus ac figuris partitionem volueris adhibere, non est necesse singula tum verborum, tum sententiarum ornamenta persequi: hoc enim infinitum foret: illustriora satis est enumerare. Ib.

quaeritur, et verbum ipsum notatur. In quo Servius noster (ut opinor) nihil putat esse notandum, nisi *post*; et *liminium* illud productionem esse verbi vult, ut in *finitimo, legitimo, aeditimo*, non plus esse *timum*, quam in *meditullio tullum*; Scaevola autem, P. filius, iunctum putat esse verbum, ut sit in eo et *post* et *limen*; ut quae a nobis alienata sunt, quum ad hostem pervenerint, et ex suo tanquam limine exierint, dein quum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest, postlimioio rediisse: deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditionem, neque donationem sine acceptione intelligi posse.

10. Sequitur is locus, qui constat ex iis rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo ambigitur; quem modo dixi in plures partes distributum. Cuius primus est locus ex *coniugatione*, quam Graeci συζυγίαν vocant, finitimus notationi, de qua modo dictum est; ut, si aquam pluviam eam modo intelligeremus, quam imbri collectam videremus: veniret Mucius, qui, quia coniugata verba essent pluvia et pluendo, diceret, omnem aquam oportere arceri, quae pluendo crevisset. Quum autem a *genere* ducetur argumentum, non erit necesse id usque a capite arcessere; saepe etiam citra licet, dummodo supra sit, quod sumitur, quam id, ad quod sumitur; ut aqua pluvia ultimo genere ea est,

* *Nihil putat esse notandum*) h. e. nihil ad ἐτυμολογίαν revocandum.

* *Ut aqua pluvia*) Argumenta non esse ab ultimo genere repetenda probat exemplo Tullius. Aqua pluvia genus est ultimum, cui subiiciuntur duae species, aqua pluvia nocens, et aqua pluvia non nocens. Rursus aqua pluvia nocens fit genus, cuiusque species sunt nocens loci vitio, et manu nocens, quum de industria alio derivatur ad alterius detrimentum. Si quis contendat arcendam esse aquam pluviam, generibus illis superioribus praetermissis, haereat in infimo, atque intendat aquam pluviam manu nocentem arceri oportere. Paver.

quae de caelo veniens crescit imbri, sed propiore loco, in quo quasi ius arcendi continetur, genus est, aqua pluvia nocens; eius generis formae, loci vitio, et manu nocens; quarum altera iubetur ab arbitro coerceri, altera non iubetur. Commode etiam tractatur haec argumentatio, quae ex genere sumitur, quum ex toto persequare partes, hoc modo: Si dolus malus est, quum aliud agitur, aliud simulatur: enumerare licet, quibus id modis fiat; deinde in eorum aliquem id, quod arguas dolo malo factum, includere; quod genus argumenti in primis firmum videri solet.

11. *Similitudo* sequitur, quae late patet; sed oratoribus et philosophis magis, quam vobis. Etsi enim omnes loci sunt omnium disputationum, ad argumenta suppeditanda, tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Itaque genera tibi nota sint; ubi autem his utare, quaestiones ipsae te admonebunt. Sunt enim similitudines, quae ex pluribus collationibus perveniunt quo volunt, hoc modo: « Si tutor fidem praestare debet, si socius, si, cui mandaris, si qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator ». Haec ex pluribus perveniens quo vult, appellatur *inductio*· quae graece ἐπαγωγή nominatur, qua plurimum est usus in sermonibus Socrates. Alterum similitudinis genus *collatione* sumitur, quum una res uni, par pari comparatur, hoc modo: « Quemadmodum, si in urbe de finibus

Quae graece ἐπαγωγὴ nominatur) Sic nunc sumus rescribere pro vulg. παραγωγὴ, ut Turnebus et Lambinus voluere. Nam ap. Aristotelem Topic. I, 12, et Analyt. prior. II, 23 etc. in omnibus libris sicut constanter, numquam παραγωγὴ, quae dicitur in partem deteriorem, quum aliquem in fraudem inducimus. Non profecto potuit Cicero alio verbo uti, quam inset in Aristotelis Topicis. Ern.

Si in urbe) Si quum de finibus in urbe disceptas, non potest uti arbitro finium regundorum, quia fines videntur agrorum magis quam urbis, ne arcendae quidem in urbe aquam, quia res tota magis agrorum est, arbitrum adigere possis. Arcere enim aquam in agris tantum dici solet, ut observat Boethius, ubi si ex aliquo loco aqua

controversia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quam urbis, finibus regundis adigere arbitrum non possis: sic, si aqua pluvia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum est, aquae pluviae arcendae adigere non possis arbitrum ». Ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur, ut Crassus in Curiana causa exemplis plurimis usus est, agens de eo, qui testamento sic heredem instituisset, ut, si filius natus esset in decem mensibus, isque mortuus prius, quam in suam tutelam veniret; secundus heres hereditatem obtineret. Quae commemoratio exemplorum valuit; eaque vos in respondendo uti multum soletis. Ficta etiam exempla similitudinis habent vim; sed ea oratoria magis sunt, quam vestra; quamquam uti etiam vos soletis, sed hoc modo: « Finge mancipio aliquem dedisse id, quod mancipio dari non potest. Num idcirco id eius factum est, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem se ulla re obligavit? » In hoc genere oratoribus et philosophis concessum est, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendae rei

pluvia colligatur, et defluens in campos vicinos pascua frugesve corrumpat, arbitri arcendae aquae a magistratibus statuebantur. PAVT.

finibus regundis) Hi dativi, et paulo post, *aquae pluviae arcendae*, non a verbo *adigere*, sed ab *arbitrum* pendent. Cf. Heusingerus ad Cic. de Offic. III, 16, 5.

Qui testamento sic heredem instituisset) Opinor Ciceronem scripsisse, *qui testamento sic instituisset, ut si filius — secundus heres hereditatem obtineret.*

* *Commemoratio exemplorum valuit*) h. e. eo valuit, ut Crassus Curii causam, quam contra agnatos eorumque patronum Scaevolam defendebat, obtineret.

* *Mancipio aliquem dedisse*) Mancipio dare, est rem ita dare, ut evictionem praestaturos nos spondeamus: mancipio accipere, est eadem lege emere: mancipium enim significat dominii traditionem. Furtiva mancipio dari non possunt. Quare apud Plautum in Persa, actu IV, scena 3 de muliere furto abducta dicitur: — *Ac suo periculo is emat qui eam mercabitur. — Mancipio neque promittet, neque quicquam dabit.* PAVT.

gratia, dicatur, aut minuendae, quae hyperbole dicitur, et multa mirabilia alia. Sed latior est campus illorum. Eisdem tamen ex locis (ut ante dixi) et in maximis, et in minimis quaestionibus argumenta ducuntur.

12. Sequitur similitudinem *differentia* rei, maxime contraria superiori: sed est eiusdem, dissimile et simile invenire. Eius generis haec sunt, « Non, quemadmodum quod mulieri debeas, recte ipsi mulieri, sine tutore auctore, solvas: ita quod aut pupillae, aut pupillo debeas, recte possis eodem modo solvere ».

* *Non quemadmodum quod mulieri debeas*) Quamquam et mulieres et pupilli sub tutoria potestate sint, mulieri tamen recte solvi potest sine tutoris auctoritate : pupillo qui ita solvit, non liberatur. Nam neque haereditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neque haereditatem ex fideicommisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate, quamvis illis lucrosa sit, ne ullam scilicet damnum habeant. De mulierum perpetua tutela nihil in libris Pandectarum legimus : quia contra legimus, emancipari, soique iuris fieri non aliter quam mares posse. Cic. tamen in Orat. pro Murena his verbis scribit : *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt* etc. Idem pro Caecina : *Quod mulier sine tutore auctore promisit, non debetur.* De qua tutela legitima intelligendum puto Ciceronis illud in Oratione pro Flacco : *Vis*, inquit, *non potuit : nihil enim potuit de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui*, loquens de muliere quae omnia sua bona dati dixerat. Dicendum igitur est, legibus XII tabularum constitutam perpetuam hanc mulierum tutelam, sublatam postea fuisse, ut pleraque alia. Plus tamen esse consulti in feminis 12 annorum, quam in mare 13 eaedem leges XII tabularum statuebant : credo quod celerius sit cursus feminarum, ut pubertatis, sic etiam prudentiae. Gov.

* *Recte ipsi mulieri sine tutore auctore solvas*) i. e. sine periculo solvas, etiamsi tutor (s. curator) haud probet et annuat. Nempe mulieres sunt quidem in perpetua tutela, sed quia tamen consilio per aetatem valent, aut valere possunt, id iis remissum est, ut quaedam sine tutore agere possent. Non autem eclaba *auctore* vel *tutore* mihi pro glossa suspectum esse, redundat enim alterum. *Auctore* quidem est in *sine* l. e. *non auctore* nec attinet addi. Dixisset saltem sine tutoris auctoritate; aut *auctorem* explicare voluit glossa, quae est exquisitior. Diligat lector. Ernesti. — Boethius habet *sine tutoris auctoritate*, sed ex eo non sequitur, Ciceronem his verbis usum esse. Boethius enim saepe pro Ciceronis verbis explicandi gratia alia, quae aequipollent, substituit.

Deinceps locus est, qui a *contrario* dicitur. Contrariorum autem genera sunt plura; unum eorum, quae in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia et stultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt, tanquam e regione, quaedam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas. Ex quibus argumenta talia exsistunt: « Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur: et bonitatem, si malitiam ». Haec, quae ex eodem genere contraria sunt, appellantur *adversa*. Sunt enim alia contraria, quae *privantia* licet appellemus latine, Graeci appellant στερητικά. Praepositio enim IN privat verbum ea vi, quam haberet, si IN praepositum non fuisset: ut dignitas, indignitas, humanitas, inhumanitas, et cetera generis eiusdem; quorum tractatio est eadem, quae superiorum, quae

* *Quaedam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas*) Ernestius verba *non debilitas* nihili esse pronuntiavit, satis pro imperio. Cur enim Cicero haec non adderet? Volebat exemplum dare contrariorum tanquam a regione appositorum. Sic sit opponi celeritati tarditatem, non autem debilitatem. Etsi enim debilitas cum celeritate nequit consistere, eique quodammodo opposita est; non tamen nisi per anfractum quendam, nec sic e regione opposita est, ut celeritati tarditas. Debilitati e regione opponitur integritas membrorum; qui pedibus debilis est, in ipso re privatur celeritate currendi; ideoque per consequentiam quidem celeritati opponitur, non autem aperte et directo, ut tarditas celeritati.

Sunt enim) Non opus est, quod Ernestio in mentem venit, legere *sunt etiam*. Nam hoc loco particula *enim* rationem affert, cur illa contraria singulari nomine *adversa* appellanda sint, quia alia sint contraria, quae Graeci στερητικὰ appellent, latine *privantia* liceat dicere.

* *Graeci appellant στερητικά*) Sic edd. ante Aldum et Boëthius. Sic et mox: *Eu ἀποφατικὰ Graeci*. Vulgatum tamen *Graece appellantur* est in Ms. Vit. et ed. Ven. Libros plures sequutus sum. ERN. — Ad rem quod attinet, nulla est proprie inter adversa et privantia differentia. Nam prorsus eodem modo contraria est sapientia stultitiae, quo humanitas inhumanitati. Differentia non est in re, sed in verbo. Nam in στερητικοῖς contrarium clarius cernitur, per praepositionem IN, ut humanitas, inhumanitas, quam in altero genere, quae adversa dicuntur, ubi contrarium sapientiae non insipientia, sed stultitia vocatur. Ipsius autem relationis contrariorum eadem est in utroque ratio.

adversa dixi. Nam alia quoque sunt contrariorum genera, velut ea, quae cum aliquo conferuntur: ut duplum, simplum; multa, pauca; longum, breve; maius, minus. Sunt etiam illa valde contraria, quae appellantur *negantia*. Ea ἀποφατικὰ Graeci, contraria aientibus: ut, Si hoc est, illud non est. Quid enim opus exemplo est? tantum intelligatur, argumento quaerendo, contrariis omnibus contraria non convenire.

13. Ab adiunctis autem posui equidem exemplum paulo ante, multa scilicet adiungi, quae suscipienda essent, si statuissemus, ex edicto secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset, cui testamenti factio nulla esset. Sed locus hic magis ad coniecturales causas, quae versantur in iudiciis, valet: quum quaeritur, quid aut sit, aut evenerit, aut futurum sit, aut, quid omnino fieri possit. Ac loci quidem ipsius forma talis est. Admonet autem hic locus, ut quaeratur, quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit. *Nihil hoc ad nos*; ad Ciceronem, inquibat Gallus noster, si quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quaereretur. Tu tamen patiere, nullum a me artis institutae locum praeteriri; ne, si nihil, nisi

* *Quae appellantur negantia*) Hic Cicero admisit μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Nam syllogismi distinctivi non pertinent ad locum qui dicitur contrariis, ut exinde novum genus contrariorum duci possit.

Ea ἀποφατικὰ Graeci) Boethius addit *vocant*. At Ms. Vat. edd. Ven. Med. Asc. : habent *Graece*. Ern.

* *Nihil hoc ad nos; ad Ciceronem, inquibat Gallus noster*) « Vulgo editur: *Nihil hoc ad ius*. Quod quamquam ad sensum fere idem est, multo tamen facetius id eloquebatur Gallus dicendo: nihil hoc ad nos, qui ICtos sumus, et de iure, non de facto quaerimus. Idem legisse videtur Boethius, qui, Iuris enim, inquit, peritus de facti qualitate, non etiam de ipsius facti veritate respondet. Idcirco quoties ad Gallum peritum iuris facti quaestio deferebatur, NIHIL AD NOS, inquiebat, et ad Ciceronem potius consulentes, id est ad rhetorem remittebat ». Eadem lectio confirmatur sequentibus verbis: *ne, si nihil, nisi quod ad TE pertineat, scribendum putares, nimium te amare videare.*

* *Ne si nihil, nisi quod ad te pertineat, scribendum putares*) Iocatur M. Tullius cum Trebatio, quem Epicureum esse sciebat, cuius disciplinae

quod ad te pertineat, scribendum putaris, nimium te amare videare. Est igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non iurisconsultorum, sed ne philosophorum quidem. Ante rem enim quaeruntur, quae talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum, convivium. Cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbrae, et si quid eiusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, et si qua alia signa conturbationis et conscientiae: praeterea restinctus ignis, gladius cruentus, ceteraque, quae suspicionem facti possunt movere.

14. Deinceps est locus dialecticorum proprius ex consequentibus, et antecedentibus, et repugnantibus, qui etiam ab adiunctis longe diversus est. Nam adiuncta, de quibus paulo ante dictum est, non semper eveniunt; consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia, quae rem necessario consequuntur. Itemque et antecedentia et repugnantia. Quidquid enim antecedit quamque rem, id cohaeret cum re necessario: et quidquid repugnat, id eiusmodi est, ut cohaerere nunquam possit. Quum tripartito igitur distribuatur locus hic, in consecutionem, antecessionem, repugnantiam; reperiendi argumenti locus simplex est, tractandi triplex. Nam quid interest, quum hoc sumseris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit omne argentum legatum, utrum hoc

erat se ipsum amare, et sua causa omnia facere. Vide ad Fam. lib. VII, epist. 12. Gov.

Constitutum, convivium) Boëthius commate sublato iungit *constitutum convivium*; idemque est in edd. Med. Ald. Iunt. Praestat autem *constitutum* de tempore intelligere, ut nuper etiam Fargolius in obss. crit. accepit, nec tamen opus est addi vocabulum *tempus*. Saepe enim *constitutum* simpliciter de tempore, quod inter aliquos convenit ad negotium gerendum, vel colloquium, usurpatur, id quod Galli vocant un *Rendez-vous*. Cf. Gronov. obss. I, 7.

Sumseris) Ita Ed. Omnib. melius quam *assumpseris*, ut vulgo.

modo concludas argumentum: *Si pecunia signata argentum est: legata est mulieri. Est autem pecunia signata argentum. Legata igitur;* an illo modo: *Si numerata pecunia non est legata: non est numerata pecunia argentum. Est autem numerata pecunia argentum. Legata igitur est;* an illo modo: *Non et legatum argentum est, et non est legata numerata pecunia. Legatum autem argentum est. Legata igitur numerata pecunia est.* Appellant autem dialectici eam conclusionem argumenti, in qua, quum primum assumseris, consequitur id, quod annexum est, primum conclusionis modum: quum id quod annexum est, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum sit, secundus is appellatur concludendi modus: quum autem aliqua coniuncta negaris, et ex his primum

* *Quum primum assumseris*) Septem syllogismorum hypotheticorum, seu conditionalium, ut vocant, modos hic subiecit Tullius. Ac primus quidem is est, quo quum assumseris id quod primum est, recte concludis quod coniunctum est. verbi gratia: si iustus est, ius suum unicuique reddit; atqui iustus est; ergo ius suum unicuique reddit. Pryst.

* *Quum id, quod annexum est*) Alter syllogismi modus priori oppositus, quo quum negatum illud fuerit quod coniunctum est, id quoque cui fuerit coniunctum negari oportet: ut, si ius unicuique suum non reddit, iustus non est. atqui ius suum unicuique non reddit: ergo iustus non est. Improbabitur a iunioribus dialecticis hic argumentandi modus: contendunt enim ex propositionibus negantibus nihil posse colligi. At facile fuerit ad legitimam formam sic revocare. Qui ius suum unicuique reddit, iustus est; atqui hic ius suum unicuique non reddit, ergo hic iustus non est. Ernest.

Quum autem aliqua coniuncta negaris) Vulgo additur: *et his alia negatio rursus adiungitur*, quae verba delevi, utpote aperte interpolata. Tertius hic est conclusionis modus, cuius exemplum Cicero dederat hoc: *Non et legatum argentum est et non est legata numerata pecunia*; hic igitur *duo coniuncta negantur*. Sicut infra in simili conclusionis modo dicitur: *deinde addunt coniunctionum negantium*. Alterum: *legatum est argentum*, alterum: *non est legata numerata pecunia*, haec duo inter se coniungi posse negatur. Deinde sumitur ex his primum: *legatum autem argentum est*: postremo tollitur id quod relinquitur: *Falsum igitur est non esse legatam numeratam pecuniam*. Hanc conclusionis partem Cicero brevius sic effert: *legata igitur numerata pecunia est*.

* *Quum autem*) Tertius est hic argumentandi modus, quo, ut explicat,

sumseris, ut, quod relinquitur, tollendum sit: is tertius appellatur conclusionis modus. Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quae ipsi enthymemata appellant: non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur, sed, ut Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen effecit apud Graecos suum: sic, quum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea, quae ex contrariis conficiatur, acutissima, sola prope nomen commune possidet. Eius generis haec sunt: *Hunc metuere, alterum in metu non ponere.* — *Eam, quam nihil accusas, damnas; bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri.* — *Id, quod scis, prodest nihil: id, quod nescis, obest.* Hoc disserendi genus attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes: sed philosophorum magis; quibus est cum oratoribus illa ex pugnantibus sententiis communis conclusio, quae a dialecticis tertius modus, a rhetoribus enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disiunctionibus constant: *Aut hoc, aut illud:*

Visorius, pronunciato connexo duplex negatio additur, quarum una toti propositioni, altera posteriori parti praefigitur: tum in assumptione prior pars affirmatur, ubi in conclusione negetur posterior: cuius hoc sit exemplum: non si ius suum unicuique reddit, non iustus est; atqui ius suum unicuique reddit; iustus est igitur. Ad primam argumentandi formam refertur hic syllogismus: duplex enim negatio vim habet affirmationis. Pavsr.

* *Enthymemata*) Vulgari notione significat *enthymema* syllogismum imperfectum ex duabus constantem partibus, qualis est hic: laudanda est omnis virtus, ergo et ipsa iustitia. Hic autem enthymema sumitur pro acuta sententia, quae ex contrariis conficitur. Tale est illud Ciceronis pro Milone: *Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis?* Enthymema proprie est cogitatio, inventum, *ἀπὸ τοῦ ἐνθυμεῖσθαι*, *intelligere*, *comperire*. Iern.

Ponere) Interrogandi signum hic et in sequentibus duobus exemplis ponunt Ernestius aliique: sed nihil opus. Iisdem exemplis utitur Cicero Orat. c. 49.

* *Vestras*) scil. *Iuss*, Trebati, aliorumque ICtorum.

Ex pugnantibus) Sic Ed. Omnib. Vulg. *ex repugnantibus*.

* *Aut hoc, aut illud*) Quartus hic

hoc autem: non igitur illud. Itemque: *Aut hoc, aut illud: non autem hoc: illud igitur.* Quae conclusiones idcirco ratae sunt, quod in disiunctione plus uno verum esse non potest. Atque ex iis conclusionibus, quas supra scripsi, prior, quartus; posterior, quintus a dialecticis modus appellatur. Deinde addunt coniunctionum negantiam, sic: *Non et hoc est, et illud: hoc autem: non igitur illud.* Hic modus est sextus. Septimus autem: *Non nec hoc, nec illud: non autem hoc: illud igitur.* Ex his modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quo est fere tota dialectica. Sed ne eae quidem, quas exposui, ad hanc institutionem sunt necessariae.

15. Proximus est locus rerum efficientium, quae causae appellantur; deinde rerum effectarum ab efficientibus causis. Harum exempla, ut reliquorum locorum, paulo ante posui, et quidem ex iure civili; sed haec patent latius. Causarum igitur genera duo sunt: unum, quod vi sua id, quod sub ea subiectum est, certo efficit, ut ignis accendit; alterum, quod naturam efficiendi non habet, sed sine quo effici non possit; ut, si quis aes causam statuae velit dicere, quod sine eo non possit effici. Huius generis causarum, sine quo non efficitur, alia sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo; ut locus, tempus, materiae, ferramenta, et cetera generis eiusdem; alia autem praecursionem quandam adhibent ad efficiendum,

argumentandi modus est huiusmodi: iudex hic aut iustus est aut iniustus; est autem iustus; non igitur iniustus. Pearc.

* *Aut hoc, aut illud*) Quintum hic exponit argumentandi modum, cuius hoc exemplum: iudex hic aut iustus est aut iniustus; non est autem iustus, ergo est iniustus. Id.

* *Non et hoc*) Exemplum sit: non et iustus est et iniustus; est autem iustus; non igitur iniustus. Id.

* *Non et hoc*) Tale est illud: non et iustus est et iniustus; non autem iniustus; ergo iustus. Id.

Certo efficit) Ita edidit Ernestius. Vulgo male *certe efficit*.

et quaedam afferunt per se adiuvantia, etsi non necessaria, ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum, ex aeternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur. Atque ut earum causarum, sine quibus effici non potest, genera divisi; sic etiam efficientium dividi possunt. Sunt enim aliae causae, quae plane efficiant, nulla re adiuvante; aliae, quae adiuvari velint; ut sapientia efficit sapientes sola per se; beatos efficiat, necne, sola per se, quaestio est. Quare quum in disputationem inciderit causa efficiens aliquid necessario, sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea causa, concludere. Quum autem erit talis causa, ut in ea non sit efficiendi necessitas, necessaria conclusio non sequitur. Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet; hoc autem, sine quo non efficitur, saepe conturbat. Non enim, si sine parentibus filii esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria. Hoc igitur, sine quo non fit, ab eo, a quo certo fit, diligenter est separandum. Illud enim est tanquam

> Vtinam ne in nemore Pelio securibus
> Caesa accidisset abiegna ad terram trabes!

Nisi enim cecidissent abiegnae ad terram trabes, Argo illa facta non esset. Nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria. At quum in Aiacis navim *crispisulcans igneum fulmen* iniectum est, inflammatur navis necessario. Atque etiam est causarum dissimilitudo, quod aliae sunt, quae sine ulla appetitione animi,

Accidisset) Vulgo *cecidisset*. Sed vide de Inv. lib. I, c. 49.

* *Crispisulcans igneum fulmen*) Verba sunt antiqui poetae de Aiace Oilei, ob Cassandram vitiatam a Pallade fulmine interempto, Virg. Aen. I, 39. Ernestius ad Boëthium vocabulum *crispisulcans* divise accepisse, et *crispi* ad *Aiacis* retulisse. In meo Boëthii exemplari nihil tale in-

sine voluntate, sine opinione, suum quasi opus efficiant, velut, ut omne intereat, quod ortum est: aliae autem aut voluntate efficiuntur, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu: voluntate, ut tu, quum hunc libellum legis; perturbatione, ut si quis eventum horum temporum timeat; habitu, ut facile et cito irascatur; natura, ut vitium in dies crescat; arte, ut bene pingat; casu, ut prospere naviget. Nihil horum sine causa, nec quidquam omnino; sed huiusmodi causae non necessariae.

16. Omnium autem causarum in aliis inest constantia, in aliis non inest. In natura, et in arte constantia est, in ceteris nulla. Sed tamen earum causarum, quae non sunt constantes, aliae sunt perspicuae, aliae latent. Perspicuae sunt, quae appetitionem animi iudiciumque tangunt: latent, quae subiectae sunt fortunae. Quum enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum est fortunae eventum, causa quod latente efficitur. Etiam ea, quae fiunt, partim sunt ignorata, partim volunta-

vetio: ibi sic legitur: « At vero ea causa quae est efficiens, et quae in se suam continet necessitatem, talis est, qualis quum in Aiacis navim igneum crispisulcans fulmen iniectum est ». Sane esset ridiculum de Aiace crispo cogitare.

Aliae autem aut voluntate efficiuntur) Purgoldus in obss. crit. emendat. *alia autem — efficiuntur*. Quum tamen non de effectibus sed de causis agitur, et paulo ante dictum erat: *quod aliae* (causae) *sunt quae — suum quasi opus efficiant*, scribere h. l. praestat: *aliae autem aut voluntate efficiunt*.

Hoc ipsum est fortunae eventum, causa quod latente efficitur) Sic optime h. l. restitui putavi, in quo mira est librorum varietas. Ed. Omnib. *hoc ipsum fortunae eventus latenter efficitur*. Victor. *hoc ipsum fortunae eventus obscura causa quae latenter efficitur*. Ed. Ven. *hoc ipsum fortunae eventus obscura causa latenter efficitur*. Ernestius legi volebat *hoc ipsum obscura causa latenter efficitur*. At Cicero causas diviserat in *perspicuas* et *latentes*. Latentes esse eas, quae fortunae sint subiectae. Quum enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum esse fortunae eventum, causa quod latente efficiatur. Vocabulum *obscura* est glossema vocis *latente*, quod quum in textum irrepsisset, ex *latente* factum est *latenter*.

Etiam ea — voluntaria; *ignorata*, *quae fortuna effecta sunt*, *voluntaria*, *quae consilio*) V. sic leguntur ista: *Etiam*

ria: ignorata, quae fortuna effecta sunt; voluntaria, quae consilio. Nam iácere telum, voluntatis est: ferire, quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille sub-ii .ur in vestris actionibus: *Si telum manu fugit magis, quam iecit.* Cadunt etiam in ignorationem atque in imprudentiam perturbationes animi: quae, quamquam sunt voluntariae (obiurgatiune enim, et admonitione deiiciuntur), tamen habent tantos motus, ut ea, quae voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur.

Toto igitur loco causarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem causis vel oratorum, vel philosophorum, magna argumentorum suppetit copia; in vestris autem, si non uberior, at fortasse subtilior. Privata enim iudicia maximarum quidem rerum in iurisconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum, et adhibentur in consilio; et patronia diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus, hastas ministrant. In omnibus igitur iis iudiciis, in quibus, EX FIDE BONA, est additum; ubi vero etiam, INTER

ea quae fiunt, partim sunt ignorata, partim voluntaria. ignorata, quae necessitate effecta sunt voluntaria, quae consilio. Quae autem fortuna, vel ignorata, vel voluntaria. In his postrema verba *quae autem — voluntaria* aperte repugnant iis, quae statim subsicuntur: *Nam iacere telum, voluntatis est; ferire, quem nolueris, fortunae.* Itaque ista *quae autem fortuna vel ignorata vel voluntaria*, ex confusa et temeraria quorumdam verborum, quae praecesserunt, repetitione huc illata delevi. Turbasse hic librarios propter ὁμοιοτέλευτα, editio Omnib. apud Kebergerum repetita docet. In qua sic legitur *Etiam ea quae fiunt partim voluntaria. Nam iacere telum* etc. omissis intermediis. Antea autem vocabulum *necessitate* vitiosum esse et *fortuna* substituendum, res ipsa facile docet.

In consilio) Lambin. *in consilia.* Alii *in consultum*, id quod optimum videtur.

In quibus, EX FIDE BONA, est additum) Post haec verba legitur in quibusdam libris vulg. ita: *plurimus eorum usus est*, quae absunt a libris manuscr. unde mihi orta suspicio est, verendum esse ne sint aliena: nam iis sublatis integra est sententia, ut scilicet haec omnia pendeant, usque ad id, quod mox sequitur, *parati esse debent*, hoc modo: *in omnibus igitur iis iudiciis, in quibus* EX BONA FIDE est

BONOS BENE AGIER; inprimisque in arbitrio rei uxoriae, in quo est AEQVIVS, MELIVS, parati esse debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi aequum, bonum, illi, quid socium socio, quid eum, qui negotia aliena curasset, ei, cuius ea negotia fuissent; quid eum, qui mandasset, eumve, cui mandatum esset, alterum alteri praestare oporteret; quid virum uxori, quid uxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modo oratoribus et philosophis, sed iuris etiam peritis copiose de consultationibus suis disputare.

17. Coniunctus huic causarum loco locus ille est, qui efficitur ex causis. Vt enim causa effectum indicat, sic, quod effectum est, quae fuerit causa, demonstrat. Hic locus suppeditare solet oratoribus et poëtis, saepe etiam philosophis, sed iis, qui ornate et copiose loqui possunt, mirabilem copiam dicendi, quum denuntiant, quid ex quaque re sit futurum. Causarum enim cognitio, cognitionem eventorum facit.

18. Reliquus est comparationis locus, cuius genus et exemplum supra positum est, ut ceterorum, nunc

additum, *ubi vero etiam* etc. i. e. in fiducuae iudicio in primisque in arbitria rei uxoriae etc. *parati esse debent*, iurisconsulti. Denique in exemplis Manutianis haec non comparent, neque in Florentinis. LAMB.

Inter bonos bene agier) Vulgo est ut *inter* etc. Illud ut a melioribus libris recte excluditur. Vid. Heusingerus ad Cic. offic. III, 17, 7

* *In arbitrio rei uxoriae*) Arbitrium uxoriae rei tunc erat, quum post divortium de dote controversia oriebatur. Matrimonio contracto, dos penes virum erat, at ubi divortium contigisset, si viri culpa, bonum et aequum exigebat nihil apud virum manere, ai mulieris, ipsa dotem amittebat. PAVAT.

Aequius melius) Vulgo praeponitur *quod*, hoc autem a glossatore accessisse intellexit Heusingerus l. l. III, 15, 3.

Locus ille est, qui efficitur ex causis) Scribere debuit Cicero *locus ille est rerum, quae efficiuntur ex causis*. Nam non locus efficitur ex causis, sed locus novus, de quo hic agitur, est rerum effectarum. Ita cap. 15 init. *Proximus est locus rerum efficientium, quas causas appellantur; deinde rerum effectarum ab efficientibus causis.*

explicanda tractatio est. Comparantur igitur ea, quae aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur; in quibus spectantur haec: numerus, species, vis, quaedam etiam ad res aliquas affectio. *Numero* sic comparantur, plura bona ut paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala malis pluribus, diuturniora bona brevioribus, longe et late pervagata angustis; ex quibus plura bona propagentur, quaeque plures imitentur et faciant. *Specie* autem comparantur, ut anteponantur, quae propter se expetenda sunt, iis, quae propter aliud; et ut innata atque insita, assumtis et adventiciis, integra contaminatis, iucunda minus iucundis, honesta ipsis etiam utilibus, proclivia laboriosis, necessaria non necessariis, sua aliena, rara vulgaribus, desiderabilia iis, quibus facile carere possis, perfecta inchoatis, tota partibus, ratione utentia rationis expertibus, voluntaria necessariis, animata inanimatis, naturalia non naturalibus, artificiosa non artificiosis. *Vis* autem in comparatione sic cernitur: efficiens causa gravior, quam non efficiens; quae seipsis contenta sunt, meliora, quam quae egent aliis; quae in nostra, quam quae in aliorum potestate sunt; stabilia incertis; quae eripi non possunt, iis, quae possunt. *Affectio* autem ad res aliquas, est huiusmodi: principum commoda maiora, quam reliquorum; itemque, quae iucundiora, quae pluribus probata, quae ab optimo quoque laudata.

Ex quibus plura bona propagentur, quaeque plures imitentur et faciant) Haec verba glossatoris potius quam Ciceronis esse videntur. Nam et a concinnitate priorum abhorrent, et videntur nata ex interpretatione, quum *plura bona* aliquis his verbis reddiderit, *ex quibus plura bona propagantur*; et *longe et late pervagata*, per verba, *quae plures imitentur et faciant*. Agnoscit tamen illa nobis suspecta Boëthius, qui praeterea legit *imitentur ut faciant*. Sed si genuina sunt malim in fine addi *contrarius*, quod est in nonnullis edd.

Atque, ut haec in comparatione meliora, sic deteriora, quae iis sunt contraria. Parium autem comparatio nec elationem habet, nec submissionem; est enim aequalis. Multa autem sunt, quae aequalitate ipsa comparentur; quae ita fere concluduntur: *Si consilio iuvare cives et auxilio, aequa in laude ponendum est; pari gloria debent esse ii, qui consulunt, et ii, qui defendunt. At, quad primum, est. Quod sequitur igitur.*

Perfecta est omnis argumentorum inveniendorum praeceptio, ut, quum profecta sit a definitione, a partitione, a notatione, a coniugatis, a genere, a forma, a similitudine, a differentia, a contrariis, ab adiunctis, a consequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a causis, ab effectis, a comparatione maiorum, minorum, parium, nulla praeterea sedes argumenti quaerenda sit.

19. Sed quoniam ita a principio divisimus, ut alios locos diceremus in eo ipso, de quo ambigitur, haerere, de quibus satis est dictum, alios assumi extrinsecus: de his pauca dicamus; etsi ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent; sed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem coepimus. Neque enim tu is es, quem nihil, nisi ius civile, delectet; et quoniam ad te haec ita scribuntur, ut etiam in aliorum manus sint ventura, detur opera, ut quamplurimum iis, quos recta studia delectant, prodesse possimus. Haec ergo argumentatio, quae dicitur artis expers, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Persona autem non qualiscunque testimonii pondus habet; ad faciendam enim fidem auctoritas quaeritur; sed auctoritatem aut natura aut tempus affert. Naturae auctoritas in virtute inest maxime; in tempore autem multa sunt, quae

Insit maxime) Mss. tres Gruteri et Ms. Vit. *inest maxime*.

afferant auctoritatem: ingenium, opes, aetas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Nam et ingeniosos, et opulentos, et aetatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant; non recte fortassa, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt et qui iudicant, et qui existimant. Qui enim his rebus, quas dixi, excellunt, ipsa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoque rebus, quas modo enumeravi, quamquam in iis nulla species virtutis est, tamen interdum confirmatur fides; si aut ars quaedam adhibetur; magna enim est vis ad persuadendum scientiae; aut usus; plerumque enim creditur iis, qui experti sunt. Facit etiam necessitas fidem, quae cum a corporibus, tum ab animis nascitur. Nam et verberibus, tormentis, igni fatigati quae dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere, et, quae a perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem et fidem. Concursio etiam fortuitorum talis est, ut si interventum est casu, quum aut ageretur aliquid, quod proferendum non esset, aut diceretur. Cuius generis etiam illa sunt, ex quibus nonnunquam verum invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania. Nam et pueri saepe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, ignari: et per somnum, vinum, insaniam, multa saepe patefacta sunt. Multi etiam

Concursio etiam fortuitorum talis est, ut si interventum est casu, quum aut ageretur aliquid, quod proferendum non esset, aut diceretur) Haec verba in omnibus Edd. leguntur infra post ista: *Huic simile quiddam de Lacedaemonio Pausania accepimus.* Vt ea huc retraherem, duabus caussis commotus sum. Primum si ea huc abiunt, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia ad necessitatem referuntur necesse est, quae tamen in rebus fortuitis numeranda sunt. Deinde, si ponuntur, ubi nunc vulgo ea legimus, exempla de Staleno et Pausania antecedunt ipsum locum, cui subiiciuntur, quod prorsus ineptum est.

in res odiosas imprudentes inciderunt, ut Staleno nuper accidit: qui ea loquutus est, bonis viris subauscultantibus, pariete interposito, quibus patefactis, in iudiciumque prolatis, rei capitalis iure damnatus est. Huic simile quiddam de Lacedaemonio Pausania accepimus. In hoc genere etiam illa est in Palamedem coniecta suspicionum proditionis multitudo: quod genus refutare interdum veritas vix potest. Huius etiam generis est fama vulgi, quoddam multitudinis testimonium. Quae autem virtute fidem faciunt, ea bipartita sunt: ex quibus alterum natura valet, alterum industria. Deorum enim virtus natura excellit; hominum autem industria. Divina haec fere sunt testimonia: primum orationis (oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his deorum oratio); deinde rerum, in quibus insunt quasi opera divina quaedam: primum ipse mundus, eiusque omnis ordo et ornatus; deinceps aërei volatus avium atque cantus; deinde eiusdem aëris sonitus et

* *Vt Staleno*) Rem aliquanto fusius narrat Cicero in Cluentiana cap. 28: *Illo ipso tempore in aedes T. Annii hominis honestissimi, necessarii et amici mei noctu Stalenus accersitus ab Oppianico venit. Iam cetera nota sunt omnibus: ut cum illo Oppianicus egerit de pecunia: ut ille se redditurum dixerit: ut eorum sermonem omnem audierint viri boni, qui tum consulto prope in occulto stetissent, ut res patefacta, atque in forum prolata, et pecunia omnis a Staleno extorta atque erepta sit.* (Vide Brutum c. 241). Pavst.

* *De Lacedaemonio*) Hoc factum Thucydides lib. I, et Cornelius Nepos in Pausania referunt. Typ. Tavr.

* *In Palamedem*) Hic Vlyssi, qui, ne ad bellum Troianum proficisceretur, insaniam simulabat, fraudem detexit. Irritatus subinde Vlysses, suppositis Priami ad Palamedem de prodendis Graecis literis fingit, quibus magnam se pecuniae vim mittere mebat Priamus. Accusatur Palamedes, cuius interim in tentorio auri pondus furtim infodi curaverat Vlysses. Hic illius causam tueri se simulat, nec ante damnandum contendit, quam aurum a Priamo missum reperiretur. Auro reperto Palamedes quasi reus lapidibus obrutus est. (Servius in II Aeneid.) Pavst.

Deinde rerum, in quibus insunt quasi opera divina quaedam) Victor. d. r. i. q. *insunt quasi quaedam opera divina.* — Goveanus *oracula* legendum censet. Typ. Tavr.

ardores, multarumque rerum in terra portenta; atque etiam per exta inventa praesensio. A dormientibus quoque multa significata visis, quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum. In homine virtutis opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modo eos virtutem habere, qui habeant, sed eos etiam, qui habere videantur. Itaque, quos ingenio, quos studio, quos doctrina praeditos vident, quorumque vitam constantem, et probatam, ut Catonis, Laelii, Scipionis, aliorumque plurium, rentur eos esse, quales seipsi velint. Nec solum eos censent tales esse, qui in honoribus populi, reque publica versantur, sed et oratores, et philosophos, et poetas, et historicos; ex quorum et dictis et scriptis saepe auctoritas petitur ad faciendam fidem.

20. Expositis omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum est, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quaestionem, sed quibusdam quaestionibus alios esse aptiores locos. Quaestionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Graeci, nos *causam*: infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos *propositum* possumus nominare. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum; propositum autem, in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propositum pars causae est.

Reque publica) Victor. *atque in republica*

Quaestionum autem propositarum) Vulgo abest *propositarum*, quod tamen necessario adiiciendum fuit. Nam quum duo sint quaestionum genera, alterum, quod ὑπόθεσις graece, latine causa vocatur, alterum, quod Graeci θέσιν, Cicero *propositum* vocat, h. l. de altero genere, i. e. de proposito, quod appellat etiam *quaestionem propositam*, incipit dicere Itaque hac disputatione absoluta cap. 21 sic finit: *Haec quum in propositis quaestionibus genera sint, eadem in causas transferuntur.*

Sed omnis quaestio, earum aliqua de re est, quibus causae contioentur, aut una, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus. Quaestionum autem propositarum, quacunque de re sint, duo sunt genera; unum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hae, quarum finis est scientia: ut, si quaeratur, a naturane ius profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum et pactione. Actionis autem huiusmodi exempla sunt: «Sitne sapientis ad rempublicam accedere». Cognitionis quaestiones tripartitae sunt, quum, an sit, aut quid sit, aut quale sit, quaeritur. Horum primum coniectura, secundum definitione, tertium iuris et iniuriae distinctione explicatur. Coniecturae ratio in quatuor partes distributa est: quarum una est, quum quaeritur, sitne aliquid; altera, unde ortum sit, tertia, quae id causa effecerit; quarta, in qua de mutatione rei quaeritur. Sit, necne sit: «ecquidnam honestum sit: ecquid aequum re vera; an haec tantum in opinione sint». Vnde autem sit ortum, ut, quum quaeritur. «natura, an doctrina possit effici virtus». Causa autem efficiens sic, ut, quum quaeritur: «quibus rebus eloquentia efficiatur». De commutatione sic: «Possitne eloquentia commutatione aliqua converti in infantiam». Quum autem, quid sit, quaeritur, notio explicanda est, et proprietas, et divisio, et partitio. Haec enim sunt definitioni attributa; additur etiam descriptio, quam Graeci χαρακτῆρα vocant. Notio sic quaeritur. «Sitne id aequum, quod ei, qui plus potest, utile est». Proprietas sic: «In hominemne solum cadat, an etiam in belluas aegritudo».

Ecquidnam honestum sit) Fortasse ante *ecquidnam* excidit *ut*. Sic statim *ut*, *quum quaeratur*.

χαρακτῆρα) Hoc est a Victorio, qui hanc dicit esse vetustam lectionem. Sane sic alibi appellat Cicero graece; ceterum in Mediol. locus vacans est, in Asc. 1, διαγραφην, pro quo manus docta in exemplo meo scripsit ὑπογραφην. In aliis, ut Iunt. καταγραφην, ut opinor, e corrupta scriptura ed. Ven. κατατηρα. Ern.

Divisio, et eodem pacto partitio, sic: « Triane genera bonorum sint ». Descriptio: « Qualis sit avarus, qualis assentator »; ceteraque eiusdem generis, in quibus natura et vita describitur. Quum autem quaeritur, quale quid sit, aut simpliciter quaeritur, aut comparate. Simpliciter: « Expetendane sit gloria? » Comparate: « Praeponendane sit divitiis gloria? » Simplicium tria genera sunt: de expetendo fugiendoque; de aequo et iniquo; de honesto et turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem et alio: alterum de maiore et minore. De expetendo et fugiendo, huiusmodi: « Si expetendae divitiae, si fugienda paupertas? » De aequo et iniquo: « Aequumne sit ulcisci, a quocunque iniuriam acceperis? » De honesto et turpi: « Honestumne sit, pro patria mori? » Ex altero autem genere, quod erat bipartitum, unum est de eodem et alio: ut, si quaeratur, « quid intersit inter amicum et assentatorem? regem et tyrannum? » Alterum de maiore et minore: ut, si quaeratur, « eloquentiane pluris sit, an iuris civilis scientia».

21. De cognitionis quaestionibus hactenus. Actionis reliquae sunt; quarum duo sunt genera: unum ad officium, alterum ad motum animi vel gignendum, vel sedandum, planeve tollendum. Ad officium sic: ut, quum quaeritur, « suscipiendine sint liberi? » Ad movendos animos, quum fiunt cohortationes ad defendendam rempublicam, ad gloriam, et ad laudem; quo ex genere sunt querelae, incitationes, miserationesque flebiles, rursusque oratio cum iracundiam restinguens, tum metum eripiens, tum exsultantem laetitiam comprimens, tum aegritudinem abstergens. Haec quum in propositis quaestionibus genera sint, eadem in causas transferuntur.

22. Loci autem qui ad quasque quaestiones accommodati sint, deinceps est videndum. Omnes quidem illi, quos supra diximus, ad plerasque sunt, sed alii ad alias,

ut dixi, aptiores. Ad coniecturam igitur maxime apta, quae ex causis, quae ex effectis, quae ex coniunctis sumi possunt. Ad definitionem autem pertinet ratio, et scientia definiendi. Atque huic generi finitimum est illud, quod appellari de eodem et altero diximus; quod genus forma quaedam definitionis est. Si enim quaeratur, idemne sit pertinacia et perseverantia, definitionibus iudicandum est. Loci autem conveniunt in eius generis quaestionem consequentes, antecedentes, repugnantes, adiunctis etiam duobus iis, qui sumuntur ex causis et effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hanc autem non sequitur: aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit, aut si huic rei repugnat, illi non repugnat: aut, si huius rei haec, illius alia causa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quovis horum id, de quo quaeritur, idemne, an aliud sit, inveniri potest.

23. Ad tertium genus quaestionis, in quo quale sit quaeritur, in comparationem ea cadunt, quae paulo ante in comparationis loco enumerata sunt. In illud autem genus, in quo de expetendo fugiendoque quaeritur, adhibentur ea, quae sunt aut animi, aut corporis, aut externa vel commoda vel incommoda. Itemque quum de honesto turpique quaeritur, ad animi bona, vel mala, omnis dirigenda oratio est. Quum autem de aequo et iniquo disseritur, aequitatis loci colliguntur. Hi cernuntur bipartito, et natura et instituto. Natura partes habet duas, tuitionem sui, et ulciscendi vim. Instituto autem aequi-

Dirigenda oratio est) Ed. Omnib. *dirigenda est oratio.*

Ulciscendi vim) Hanc lectionem ascivi ex ed. Omnib. Kob. Vulgo *ulciscendi ius.*

Instituto autem aequitas tripartita est) Ita scripsi pro vulg. *instituto autem aequitatis tripartita est.* Quod ferri non posse docent antecedentia, ubi locos aequitatis bipartito cerni, *et natura et instituto*, dicebat.

tas tripartita est. Vna pars legitima est, altera conveniens, tertia moris vetustate confirmata.

24. De proposito satis multa: deinceps de causa pauciora dicenda sunt. Pleraque enim sunt ei cum proposito communia.

Tria sunt igitur genera causarum: iudicii, deliberationis, laudationis. Quarum fines ipsi declarant, quibus utendum locis sit. Nam iudicii finis est ius: ex quo etiam nomen. Iuris autem partes tum expositae, quum aequitatis. Deliberandi finis, utilitas: cuius hae partes, quae modo expositae, rerum expetendarum. Laudationis finis, honestas: de qua item est ante dictum. Sed definitae iudiciorum quaestiones a suis quaeque locis, quasi propriis, instituuntur, in accusationem defensionemque partitae. In quibus existunt haec genera, ut accusator personam arguat facti; defensor aliquid opponat de tribus: aut non esse factum, aut, si sit factum, aliud eius facti nomen esse, aut iure esse factum. Itaque aut infitialis, aut coniecturalis prima appelletur: definitiva altera: tertia, quamvis molestum nomen hoc

* *Vna pars legitima*) Ius institutum in tres partes distribuitur, una pars legibus, altera pactis et conventis, tertia consuetudine antiqua constat Pavet.

Vetustate confirmata) Post haec verba in edd. sequuntur ista *Atque etiam rursus aequitas tripartita dicitur esse, una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Primo pietas, secunda sanctitas, tertia iustitia aut aequitas nominatur.* In quibus ineptissimum interpolatoris emblema nondum a quoquam observatum esse, est sane quod mireris. Primum enim haec divisio hic prorsus nihil facit ad rem, qua de agitur. Deinde ubinam Cicero dixit, sanctitatem esse aequitatem in manes? Denique quam absurda haec est divisio, *aequitatem* in *pietatem*, *sanctitatem*, postremo in *iustitiam* aut *aequitatem* dividere?

Iuris autem partes tum expositae, quum aequitatis) Sic cum ed. Venet. aut cum ed. Koh. *tunc — quum* legendum, non *tum aequitatis*, ut in multis est Edd. Respicitur enim caput 23 extr. Omnino autem haec, si abessent, nemo desideraret. Cur enim Cicero, quae paucis versibus ante exposita essent, sic in memoriam lectorum revocaret? Interpolatoris manum et hic mihi videor agnoscere

Cuius hae partes) Victor. cuius eas partes.

sit, iuridicialis vocetur. Harum causarum propria argumenta, ex iis sumta locis, quos exposuimus, in praeceptis oratoriis explicata sunt. Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio criminis, quae graece στάσις dicitur, latine appelletur *status*: in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio.

25. Atque etiam in deliberationibus et laudationibus iidem exsistunt status. Nam et negantur saepe ea futura, quae ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt. In qua argumentatione status coniecturalis exsistit. At, quum aliquid de utilitate, honestate, aequitate disseritur, deque iis rebus, quae iis sunt contrariae, incurrunt status, aut iuris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari potest, id factum esse, quod laudetur; aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit; aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Caesar contra Catonem meum. Sed quae ex statu contentio efficitur, eam Graeci κρινόμενον vocant. Mihi placet id, quoniam quidem ad te scribo, QVA DE RE AGITVR vocari. Quibus autem hoc, qua de re agitur, continetur, haec *con-*

* *In quo primum insistit*) Verbi gratia: sic procedat accusatio, *Roscius occidit patrem*, repugnabit defensio, *Roscius non occidit patrem*. Hic quodam modo haeret accusatio. Hic status coniecturalis: inquirendum enim ulterius, an Roscius patrem occiderit. Eadem est ceterorum statuum ratio. Pavst.

* *Caesar contra Catonem meum*) Nempe in Anticatone, quem Caesar contra Ciceronis laudationem Catonis Uticensis scripsit.

* *Quoniam quidem ad te scribo*) Int. ad ICtum, nomen ei dabo e formula iuris *qua de re agitur*. Vid. Faber Semestr. I, 11. Ern.

Qua de re agitur) Quintil. III, 11, 18. *Paulum in his secum etiam Cicero dissentit. Nam in Rhetoricis (quemadmodum supra dixi) Hermagoram est sequutus, in Topicis, ex statu effectum contentionem κρινόμενον existimat, idque Trebatio, qui iuris erat consultus, alludens qua de re agitur appellat, quibus id continetur continentia, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit.*

tinentia vocentur, quasi firmamenta defensionis quibus sublatis defensio nulla sit.

26. Sed, quoniam lege firmius in controversiis disceptandis esse nihil debet, danda est opera, ut legem adiutricem et testem adhibeamus. In qua re alii quasi status exsistunt novi, qui appellantur legitimae disceptationes. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod adversarius velit, sed aliud. Id autem contingit, quum scriptum ambiguum est, ut duae differentes sententiae accipi possint; tum opponitur scripto voluntas scriptoris, ut quaeratur, verbane plus, aut sententia valere debeat; tum legi lex contraria affertur. Ita sunt tria genera, quae controversiam in omni scripto facere possunt, ambiguum, discrepantia scripti et voluntatis, et scripta contraria. Iam hoc perspicuum est, non magis in legibus, quam in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus, quae ex scripto aguntur, posse controversias easdem exsistere. Horum tractationes in aliis libris explicantur. Nec solum perpetuae actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adiuvantur, partim propriis, partim communibus: ut in principiis, quibus ut benevoli, ut dociles, ut attenti sint, qui audiunt, efficiendum est propriis locis. Itemque narrationes, ut ad suos fines spectent, id est ut planae sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moratae, et cum dignitate. Quae quamquam in tota oratione esse debent, magis tamen sunt propria narranti. Quae autem consequitur narrationem fides, ea persuadendo quoniam efficitur, quiad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in iis, in quibus de omni ratione dicendi. Peroratio autem et alia quaedam habet, et maxime amplificatio-

* *Horum tractationes in aliis libris explicantur.*) Putant Cicero his verbis sua Rhetorica, seu de Inventione intelligere; nihil tamen impedit, quo minus id de aliorum libris dictum accipiamus.

nem; cuius effectus is debet esse, ut aut perturbentur animi, aut tranquillentur, et, si ita iam affecti ante sunt, ut augeat eorum motus, aut sedet oratio. Huic generi, in quo et misericordia, et iracundia, et odium, et invidia, et ceterae animi affectiones perturbantur, praecepta suppeditantur aliis in libris, quos poteris mecum legere, quum voles. Ad id autem, quod te velle senseram, cumulate satisfactum esse debet voluntati tuae. Nam, ne praeterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura quam a te desiderata erant, sum complexus, fecique quod saepe liberales venditores solent, ut, quum aedes fundumve vendiderint, rutis caesis receptis, concedant tamen aliquid emtori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur. Sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quaedam voluimus non debita accedere.

* *Suppeditantur in aliis libris*) Ernestius putat significari libros de Oratore, et Oratorem ad M. Brutum. Sed haud scio an putidum fuerit, de propriis libris ita scribere. *quos poteris mecum legere, quum voles*; nisi forte Cicero se suos ipsius libros ei explicaturum esse, ut magistrum, promiserit.

* *Rutis caesis receptis*) Q. Mutius libro singulari τῶν ὅρων, In rutis, inquit, et caesis ea sunt, quae terra non tenentur, quaeque opere structili tectoriove non continentur. Recipere autem, est excipere et reservare sibi. Goyeau.

M. TVLLII CICERONIS

DE

PARTITIONE ORATORIA

DIALOGVS.

SVMMARIVM

In hoc libro Cicero rogatus a Marco Filio, ut quae sibi de ratione dicendi graece tradidisset, latine explicaret, sic effecit, quod ille rogaverat, ut ad eius quaestiones de singulis argumentis breviter respondeat. Omnis nimirum doctrina dicendi distribuitur

1. *in* vim oratoris, *quae est*
   a. in rebus
   b. in verbis.
2. *in* orationem, *cuius partes sunt quatuor,*
   a. duae ad rem docendam
      1. narratio,
      2. confirmatio.
   b. duae ad impellendos animos
      1. principium,
      2. peroratio.
3. *in* quaestionem, *quae est*
   1. *infinita, s.* consultatio.
   2. *finita, s.* causa cap. 1.

Sequuntur I. praecepta de vi oratoris, *quae est in inventione, collocatione, elocutione, memoria, actione.*

1. Inventio *pertinet*
   1. *ad fidem faciendam: ea fit argumentis vel in re ipsa insitis, vel assumtis*
   2. *ad motum animorum* cap. 2.
2. Collocatio *accommodanda est ad finem quaestionis; hic*

est in consultatione fides, in causa fides et motus. Itaque tantum de causa dicendum erat Haec distinguuntur auditorum genere; nam is qui audit, est vel auscultator, vel disceptator. Ille delectatur tantum, hic statuit aliquid vel de praeteritis, ut iudex, vel de futuris, ut senatus. Hinc sunt tria genera orationis

1 *iudiciale*
2. *deliberativum*
3 *id quod est in exornatione, (alias demonstrativum).*

De singulis dantur praecepta collocationis. cap. 3, 4.

3. Elocutio, *ad quam pertinet*
 1. *genus eloquendi sua sponte fusum*, cap. 5, 6.
  A. *in simplicibus verbis*, cap. 5. *quae differunt*
  α. *origine*
   a. *antiva*
   b. *reperta*
  β. *natura, ut sonantiora, graviora etc.*
  γ. *tractatione: propria, nova, prisca, translata.*
  B. *in coniunctis, ubi spectatur*
   a. *numerus*
   b. *consecutio*
  C. *in iis quae sunt simplicium et coniunctorum communia, ut sit oratio dilucida, brevis, probabilis, illustris, suavis*, cap. 6.
 2. *genus orationis conversum ac mutatum.*

4. Actio et
5. Memoria, *de quibus brevissime respondetur* cap. 7.

II. *Praecepta de* oratione cap. 8 sqq. *Haec pertinent*
 1. *ad exordia s. principia*, cap. 8.
 2. *ad narrationem*, cap. 9.
 3. *ad confirmationem et reprehensionem, ubi quaeritur*
  a. *de inventione locorum,*
   α. *in confirmatione, qui sunt*
    1. *loci coniecturae*, cap. 10.
    2. *definitionis*, cap. 11.
    3. *rationis*, cap. 12.
   β. *in reprehensione*, cap. 13.
  b. *de tractatione argumentorum*, cap. 14.
 4. *ad perorationem, ubi agitur*
  1. *de amplificatione verborum*, cap. 15, *et rerum* cap. 16.
  2. *de enumeratione*, cap. 17.

III *Praecepta de* quaestionibus cap. 18 sqq. *quarum duo sunt genera,*

1 *infinitum s. propositum, cuius duo sunt genera,*

a. *cognitionis, ubi quaeritur*

1 *sit aliquid necne*, cap. 18, *in eoque praeterea*

aa. possitne aliquid effici

bb. quemadmodum quidque fiat.

2. *quid sit*, cap 19.

aa. aliud an idem sit

bb. descriptio generis.

3 *quale sit*

aa. simpliciter: honestum, utile, aequum

bb. ex comparatione quid honestius, utilius, aequius.

b. actionis, cap. 20.

aa ad rationem officii

bb. ad sedandos animos.

2. *finitum s. causa* cap. 20. *Huius genera sunt*

1. exornatio, *cuius quum sint plura et varia genera, hic tantum spectantur laudandi vituperandique rationes*, cap 21-23.

2. *genus deliberativum, in quo primum quaeritur*

a. *quid suasoribus agendum sit*

1. *de utilitate*, cap. 25, 26.

2. *de ratione efficiendi*, cap. 27.

b. *quid dissuadentibus*, cap 28.

c. *quid utrique commune sit.*

3 *genus iudiciale*, cap 29. sqq. *in quo*

1. *quaedam ante iudicium agenda*, cap. 29.

2. *in ipsis iudiciis*, cap. 30. sqq.

a. *vel factum negandum*

b *vel negandum, quod fatearis factum esse, eam vim habere, et id esse quod adversarius criminetur.*

c. *vel rectum esse quod feceris, demonstrandum.*

Hic primum universe exponitur disceptationis constituendae ratio, cap 30, 31. *Deinde singulis controversiarum generibus qui loci sint proprii quaeritur, explicanturque*

1. *loci constitutionis coniecturalis.* cap. 32-35.

2 *definitivae*, cap. 36.

3. *generalis*, cap. 37.

quibus adduntur ii qui in controversia de scripto et sententia,

2. in constitutione legitima occurrunt, quam Cicero ante, quum genera controversiarum enumeraret, in numero haud posuerat, cap. 38, 39.
Epilogus habet brevem de usu philosophiae academicae admonitionem, cap. 40.

Cicero Filius. Studeo, mi pater, latine ex te audire ea, quae mihi tu de ratione diceodi graece tradidisti; si modo tibi est otium, et si vis.

Cicero Pater. An est, mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctissimum esse? Otium autem primum est summum, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est; deinde ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter.

F. Visne igitur, ut tu me graece soles ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdem de rebus latine interrogem?

P. Sane placet. Sic enim et ego te meminisse intelligam, quae accepisti; et tu ordine audies, quae requires.

F. Quot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi?

P. In tres.

* *Partitiones*) Libellus hic continet rhetoricam doctrinam nude quadam et inornata partium distributione explicatam. Vtitur more Academico et Platonico. Platonici enim rerum naturam dividendo explicabant, via quadam et ratione analytica; quemadmodum contra Aristotelica definiendo. Ab aliis inscribitur opusculum hoc de *Partitione Oratoria*. Facc.

* *Filius*) M. Ciceronis filius, qui inducitur interrogans, non fuit ita hebes, ut eum quidam faciunt. Nam et doctrinae et urbanitatis plurimum habuit, et sub Pompeio stipendia cum laude fecit, et Augusti collega in Consulatu fuit, et Syriam Proconsul obtinuit. Io.

Studeo) Ms. Vat. *aveo*.

* *Graece tradidisti*) Non est mirum, si Itali nostri artium praecepta latine tradunt, quum Latini graece traderent. Facc.

Primum est summum) Sic Guelf. bene. Vulgo, *primum summum est*. Victor. *primum et summum est*.

F. Cedo quas?

P. Primum in ipsam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quaestionem.

F. In quo est ipsa vis?

P. In rebus, et verbis. Sed et res, et verba invenienda sunt, et collocanda. Proprie autem in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Collocare autem, etsi est commune, tamen ad inveniendum refertur. Vox, motus, vultus, atque omnis actio, eloquendi comes est, earumque rerum omnium custos memoria.

F. Quid? orationis quot sunt partes?

P. Quatuor. Earum duae valent ad rem docendam, narratio et confirmatio. Ad impellendos animos duae, principium et peroratio.

F. Quid? Quaestio quasnam habet partes?

P. Infinitam, quam *consultationem* appello, et definitam, quam *causam* nomino.

2. *F.* Quoniam igitur invenire primum est oratoris, quid quaeret?

P. Vt inveniat, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet persuadere, et quemadmodum motum eorum animis afferat.

F. Quibus rebus fides fit?

Proprie autem) Lamb. *proprie tamen*.

Earumque rerum omnium custos memoria) Vulg. *earumque rerum omnium custos est memoria* Guelf. *earumque omnium rerum custos est memoria*. In Ms. Vit. est *si earum rerum omnium comes adsit memoria*. Verbum *est* de Ernestii sententia delevi *rerum* male abest ed. Iunt.

Quam consultationem appello) Ms. Erl *controversiam*, non bene, nam ea est *causa*. Alias Cicero vocat *propositum*. Vide mox c. 3 et infra c. 18. Ern.

Quam causam nomino) Guelf. *quam controversiam causam nomino*. Lambin *quam controversiam seu causam nomino*.

Primum est oratoris) Guelf. *principium est oratoris*. Vulgo *oratores primum est*. Sed Ms. Erl ed. Iunt. Ven. *primum est oratoris*, melius Et mox Ms. Vit. *animis eorum*, melius quam *eorum animis*. Ern.

P. Argumentis, quae ducuntur ex locis, aut in re ipsa insitis, aut assumtis.

F. Quos vocas locos?

P. Eos, in quibus latent argumenta.

F. Quid est argumentum?

P. Probabile inventum ad faciendam fidem.

F. Quomodo igitur duo genera ista dividis?

P. Quae sine arte putantur, ea remota appello, ut testimonia.

F. Quid insita?

P. Quae inhaerent in ipsa re.

F. Testimoniorum quae sunt genera?

P. Divinum, et humanum. Divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes, ut responsa sacerdotum, haruspicum, coniectorum. Humanum, quod spectatur ex auctoritate, et ex voluntate, et ex oratione, aut libera, aut expressa; in quo insunt scripta, pacta, promissa, iurata, quaesita.

F. Quae sunt quae dicis insita?

P. Quae infixa sunt rebus ipsis, ut definitio, ut

P. Quae sine arte putantur, ea remota appello, ut testimonia. F. Quid insita? P. Quae inhaerent in ipsa re) Haec ita potius scribenda existimo: *P. assumta, quae sine arte putantur esse, remota appello, vel testimonia, insita, quae inhaerent in ipsa re.* Lambinus verba *F. quid insita? P. quae inhaerent in ipsa re* delenda censebat. Cicero totum hoc genus argumentationum, quas ἀτέχνους Graeci vocabant, Topic. c. 19 in *testimonio* positum esse dixit. Itaque h. l. non poterat dicere *ut testimonia*, quasi plures essent formae argumentorum, quae hic *remota* appellat, sed potius *vel testimonia* scribendum erat. *Remota* cur appellet, perspicitur e Topic. c. 3

* *Humanum*) Testimonium humanum ducitur ex *auctoritate*, hoc est, ex fide, fama, religione alicuius hominis; *ex voluntate*, hoc est ex eo, quod quis se velle declaravit; ex *oratione*, hoc est, ex eo, quod sponte dixit, vel dicere coactus fuit. FACC.

In quo insunt) Guelf. *in quo sunt.*

* *Quaesita*) H. l. sunt quae per tormenta expressa sunt, unde supra dicuntur *expressa*, et opponuntur *liberis*. ERN.

Rebus ipsis) In edd. vulgg. hic inseruntur illa: *tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex iis*

contrarium, ut ea, quae sunt ipsi contrariove eius aut similia, aut dissimilia, aut consentanea, aut dissentanea; ut ea, quae sunt quasi coniuncta, aut ea, quae quasi pugnantia inter se; ut earum rerum, de quibus agitur, causae, aut causarum eventus, id est, quae sunt effecta de causis; ut distributiones, ut genera partium, generumve partes, ut primordia rerum et quasi praecurrentia, in quibus inest aliquid argumenti; ut rerum contentiones, quid maius, quid par, quid minus sit, in quibus aut naturae rerum, aut facultates comparantur.

F. Omnibusne igitur ex his locis argumenta sumemus?

P. Immo vero scrutabimur et quaeremus ex omnibus; sed adhibebimus iudicium, ut levia semper reiiciamus, nonnunquam etiam praetermittamus non necessaria.

F. Quoniam de fide respondisti, volo audire de motu.

P. Loco tu quidem quaeris, sed plenius quod vis explicabitur, quum ad orationis ipsius quaestionumque rationem venero.

rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur, et ad id totum, de quo disseritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio verbi. Ex iis autem rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id de quo quaeritur, alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum, quae totidem verbis sunt in Topicis, hic autem expervacua et aliena, ut iam Lambinus recte iudicavit. Etiam in Ms. Erk pars aliqua abest. Itaque ea optimo iure Ernestius eiecit.

Quae quasi pugnantia) Sic Ms. Vit. melius, quam, ut vulgo, *quae sunt quasi pugnantia*.

Igitur) Abest Ms. Ven.

Ex his locis) Guelf. *ex istis locis*. Ed. Ven. *ex locis istis*.

Nonnunquam etiam praetermittamus non necessaria) Sic Ms. Guelf. et Vit. Vulgo *nonnunquam etiam communia praetermittamus et non necessaria*. Sed *communia* h. l. haud apta esse bene monuit Ernestius.

3. *F.* Quid sequitur igitur?

P. Quum inveneris, collocare. In infinita quaestione, ordo est idem fere, quem exposui, locorum; in definita autem adhibenda sunt illa etiam, quae ad motum animorum pertinent.

F. Quomodo igitur ista explicas?

P. Habeo communia praecepta fidem faciendi et commovendi. Quoniam fides est firma opinio, motus autem, animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem (tot enim sunt motus genera, partes plures generum singulorum): omnem collocationem ad finem accommodo quaestionis. Nam in consultatione propositus est finis, fides: in causa, et fides et motus. Quare quum de causa dixero, in qua est utrumque propositum, de utroque dixero.

F. Quid habes igitur de causa dicere?

P. Auditorum eam genere distinguo. Nam aut auscultator est modo qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiaeque moderator: ita, ut aut delectetur, aut

In infinita quaestione) Vulgo *motus in infinita quaestione.* Ms. Ed. *cuius infinita quaestio est.* Ernestius *motus* uncis inclusit: equidem delere malui. Nam eo deleto omnia sunt plana.

Motum animorum) Sic ed. Ven. idque verum est. Vulgo *motus animorum.*

Accommodo) Guelf. *accommodamus.*

Nam in consultatione propositus est finis) Guelf. *nam est in consultatione vel propositione finis.* Et sic ed. Ven.

In qua est utrumque propositum) Sic correxi vulgatum *in quo est propositum.* Hoc Ernestius spurium putabat, quum in causa intesse propositum ut partem e superiori pateat, nec hic addi deberet, et non sit peculiare genus causarum, quibus propositum insit; quum sit in omnibus, sed cum accessione. Recte ille quidem, si *propositum* h. l. esset substantivum, et i. q. alias *consultatio*, sive *infinita quaestio* vocatur. At quum h. l. praecedat: *nam in consultatione propositus est finis fides, in causa et fides et modus*, necessario sic legendum est, ut edidimus: *quare quum de causa dixero, in qua est utrumque propositum, de utroque dixero*, h. e. quum de causa dixero, quae sibi, ut finem utrumque et fidem et modum proponit, de utroque et consultatione et causa dixero.

* *Ita ut aut delectetur, aut statuat*

statuat aliquid. Statuit autem aut de praeteritis, ut iudex; aut de futuris, ut senatus. Sic tria sunt genera, iudicii, deliberationis, exornationis; quae, quia in laudationes maxime confertur, proprium habet iam ex eo nomen.

4. *F.* Quas res sibi proponet in istis tribus generibus orator?

P. Delectationem in exornatione: in iudicio, aut saevitiam, aut clementiam iudicis: in suasione, aut spem, aut reformidationem deliberantis.

F. Cur igitur exponis hoc loco genera controversiarum?

P. Vt rationem collocandi ad finem cuiusque accommodem.

F. Quonam tandem modo?

P. Quia, quibus in orationibus delectatio finis est, varii sunt ordines collocandi. Nam aut temporum servantur gradus, aut generum distributiones, aut a minoribus ad maiora ascendimus, aut a maioribus ad

aliquid) Guelf *ita ut delectetur*, *aut ita ut statuat aliquid.* Vrsinus apte comparavit locum Aristotelis lib. 1 Rhetor. ἀνάγκη δὲ τὸν ἀκροατὴν ἢ θεωρὸν, ἢ κριτὴν· κριτὴν δὲ ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων· ἔστι δὲ ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων, οἷον ἐκκλησιαστής· ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων, οἷον ὁ δικαστής· ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως, οἷον ὁ θεωρός, ὥστε ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικόν, δικαστικόν, ἐπιδεικτικόν.

* *Proprium habet iam ex eo nomen*) Loquitur de genere ἐπιδεικτικῷ, non autem, ut Ernestius putabat, his verbis ipsum illud nomen ἐπιδεικτικὸν intelligit, quippe in quo nihil insit, quod ad laudationem pertineat. Sed Cicero hoc dicit: tertium illud genus *exornationis*, sive ἐπιδεικτικὸν, quia in *laudationes* maxime confertur, proprium habere iam ex eo nomen, h. e. ut genus *laudationis* dicatur. Id quod plane intelligitur e cap. 21: *Ex qua partitione tria genera causarum exstiterunt, unum, quod a meliori parte laudationis est appellatum; deliberationis alterum; tertium iudiciorum.* Similiter Graeci nonnunquam genus ἐπιδεικτικὸν vocarunt ἐγκωμιαστικόν.

* *Aut temporum*) Qui exornat aliquem, aut eius vitam per aetatis gradus et tempora partitur: aut eius bona et virtutes in sua genera distribuit, eaque rerum ipsarum ordine persequitur. Facc.

minora delabimur; aut haec inaequalia varietate distinguimus, quum parva magnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, laeta tristibus, incredibilia probabilibus inteximus, quae in exornationem cadunt omnia.

F. Quid? in deliberatione quid spectas?

P. Principia, vel non longa, vel saepe nulla. Sunt enim ad audiendum qui deliberant, sua causa parati. Nec multum sane saepe narrandum est. Est enim narratio aut praeteritarum rerum, aut praesentium; suasio autem, futurarum. Quare ad fidem et ad motum adhibenda est omnis oratio.

F. Quid? in iudiciis quae est collocatio?

P. Non eadem accusatoris et rei; quod accusator rerum ordinem prosequitur, et singula argumenta, quasi hasta in manu collocata, vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, testimoniis, accuratiusque in singulis commoratur; indignationisque praeceptis, quae ad incitandos animos valent, et in reliqua oratione paululum degrediens de cursu dicendi, utitur, et vehementius in perorando. Est enim propositum, ut iratum efficiat iudicem.

F. Quid faciendum est contra reo?

P. Omnia longe secus. Sumenda principia ad bene-

* *Aut haec inaequalia varietate distinguimus*) Sic emendavi vulg. *inaequali varietate*, quod aut nullum sensum habet, aut certe frigidissimum. Nec melius est *inaequabili varietate*, quod habet Ms. Vit. edd Ven. Ald. Iunt. *Inaequalia* autem sunt illa maiora et minora, de quibus modo dixerat: ea vult varietate distingui, h. e. parva magnis etc. quae statim sequuntur, inter.

Rerum ordinem prosequitur) Edit. Ven. *rem ordinemque prosequitur*.

Et singula argumenta) Omittit *argumenta* Guelf.

Quasi hasta) Ms. Vit. *quasi hastas*, non male, si legas etiam *collocatas*.

Indignationisque) Vulgo *perorationisque*.

* *In reliqua oratione*) Quamvis locus maxime proprius commovendi iudicis sit peroratio, tamen etiam in media oratione interdum brevi aliqua digressione incitare eum solet, si quid forte grave inciderit. Facc.

* *Principia ad benevolentiam*) Quia reus accedit ad iudicem accusatoris oratione exasperatum. Id.

volentiam conciliandam. Narrationes aut amputandae, quae laedunt, aut relinquendae, si totae sunt molestae. Firmamenta ad fidem posita, aut per se diluenda, aut obscuranda, aut degressionibus obruenda. Perorationes autem ad misericordiam conferendae.

F. Semperne igitur ordinem collocandi, quem volumus, tenere possumus?

P. Non sane. Nam auditorum aures moderantur oratori prudenti et provido; et quod respuunt, immutandum est.

5. *F.* Expone deinceps, quae ipsius orationis verborumque praecepta sint.

P. Vnum igitur genus est eloquendi sua sponte fusum; alterum versum, atque mutatum. Illius prima vis est in simplicibus verbis; in coniunctis secunda. Simplicia invenienda sunt; coniuncta, collocanda sunt. Et simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta. Nativa ea, quae significata sunt sensu; reperta, quae ex his facta sunt, et novata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adiunctione verborum. Atque etiam est haec distinctio in verbis: altera, natura; tractatione, altera. Natura, ut sint alia sonantiora, grandiora, laeviora, et quodammodo nitidiora, alia contra. Tractatione autem, quum aut propria sumun-

Quae laedunt) Malim, *si quae laedunt*.

* *Per se diluenda*) Accusatoris argumenta aut refellas tanquam falsa, aut dubia et ambigua facias, aut declinando ad alia digrediaris, quae iudicis animum avocent. Facc.

Illius prima vis) Ita ut rescriberemus, sensus aperte postulat. Vulgo, *prima vis*.

Coniuncta, collocanda sunt) Lambinus melius *coniuncta, collocanda*. Guelf. Ed. Vit. *coniunctio collocanda* est. Ernestino id videbatur exquisitius; attamen est h. l. ineptum.

Quae significata sunt sensu) Cic. Orat. III, 37 *quae sunt primo nata una cum rebus ipsis*. Quintil. Inst. Or. VIII, 3, h. l. exertans habet: *quae significata sunt primo sensu*.

Sonantiora) Sic Ernestius ex Ed. Vit. recte. Consentit Guelf. Vulg. *consonantiora*.

Grandiora) Sic MS. Vit. Vulgo *graviora*.

tur rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut nova, aut prisca, aut ab oratore modificata et inflexa quodammodo; qualia sunt ea, quae transferuntur, aut immutantur, aut ea, quibus tanquam abutimur, aut ea, quae obscuramus, quae incredibiliter tollimus, quaeque mirabilius, quam sermonis consuetudo patitur, ornamus.

6. *F.* Habeo de simplicibus verbis; nunc de coniunctione quaero.

P. Numeri quidam sunt in coniunctione servandi, consecutioque verborum. Numeros aures ipsae metiuntur, ne aut non compleas verbis, quod proposueris, aut redundes. Consecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. Nam, ut in simplicibus verbis, quod non est latinum, sic in coniunctis, quod non est consequens, vituperandum est.

Communia autem simplicium coniunctorumque sunt haec quinque quasi lumina, dilucidum, breve, probabile, illustre, suave. Dilucidum fit usitatis verbis, propriis, dispositis, aut circumscriptione conclusa, aut intermissione, aut concisione verborum. Obscurum autem, aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione atque immutatione verborum. Brevitas autem conficitur simplicibus verbis, semel unaquaque re dicenda, nulli rei, nisi, ut dilucide dicas, serviendo. Probabile autem genus est orationis, si non nimis est comtum atque expolitum, si est auctoritas et pondus in verbis, si sententiae vel graves,

Dispositis) Guelf. Ed. *compositis*. Sed illud melius, nempe verba disponuntur vel per periodos, quae est *circumscriptio conclusa*, vel per membra, unde oratio *membratim fusa*, quae est h. l. *intermissio*, vel denique per commata et incisa, quae est *concisio verborum*. Ern.

* *Concisione verborum*) Vacat τὸ *verborum*. Quid enim significat *oratio verbis dispositis concisione verborum*? Facc.

vel aptae opinionibus hominum et moribus. Illustris autem oratio est, si et verba gravitate delecta ponuntur, et translata, et superlata, et ad nomen adiuncta, et duplicata, et idem significantia, atque ab ipsa actione atque imitatione rerum non abhorrentia. Est enim haec pars orationis, quae rem constituat paene ante oculos. Is enim maxime sensus attingitur; sed ceteri tamen, et maxime mens ipsa moveri potest. Sed quae dicta sunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illustrem omnia. Est enim plus aliquanto illustre, quam illud dilucidum. Altero fit, ut intelligamus, altero, ut videre videamur. Suave autem genus erit dicendi, primum elegantia et iucunditate verborum sonantium et laevium; deinde coniunctione, quae neque asperos habeat concursus, neque disiunctos atque hiantes; et sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto, habeatque similitudinem aequalitatemque verborum, tum ex contrariis sumtam verbis, tum ut crebra crebris paria paribus respondeant, relataque ad idem verbum, et geminata, vel etiam saepius iterata

Autem oratio est) Guelf. *autem est oratio*.

Gravitate delecta) Lambino placeat *granditate delecta* aut *grandia et lecta*.

Attingitur) Guelf. *accingitur*.

Sed ceteri tamen) Guelf. *sed ceteri cum*. Ernestius opinabatur particulam et loco motam esse, et legendum esse: *sed et ceteri tamen maxime mens*. Attamen *sed* interdum pro *sed etiam* ponitur. — De particula *et* accedenda consentit etiam Facciolati. Typ. T

Altero, ut videre videamus) Sic Guelf. Vulgo *altero vero, ut videre videamur*.

Neque disiunctos) Ernestio potius valebatur *diiunctos*.

Habeatque similitudinem aequalitatemque verborum, tum ex contrariis sumtam verbis, tum ut crebra crebris paria paribus respondeant) Vulgo e *habeatque — verborum, tum ex contrariis sumta verbis, crebra crebris, paria paribus respondeant*. Inepte hic post *crebris* interpungitur. Cicero loquitur de concinnitate, quae primum ex oppositione contrariorum, quae ἀντίθετα dicuntur, deinde ex ἰσοκώλοις, sive tum oritur, quum paria paribus respondent. Ergo emendatio nostra sponte augeatur ac tuebitur.

Et geminata) Vulg. additur *atque duplicata*, s. ut Guelf. *ac duplicata*. Id nos sustulimus: esset enim ridiculum *duplicata* adducere post *geminata*,

ponantur, constructioque verborum tum coniunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur. Fit etiam suavis oratio, quum aliquid aut invisum, aut inauditum, aut novum dicas. Delectat enim quidquid est admirabile, maximeque movet ea, quae motum aliquem animi miscet, oratio, quaeque significat oratoris ipsius amabiles mores, qui exprimuntur, aut significando iudicibus animo humano ac liberali, aut inflexione sermonis, quum aut augendi alterius, aut minuendi sui causa, alia dici ab oratore, alia existimari videntur, idque comitate fieri magis, quam vanitate. Sed multa sunt suavitatis praecepta, quae orationem aut minus obscuram, aut magis probabilem faciunt. Itaque etiam hoc loco nobis est ipsis, quid causa postulet, iudicandum.

F. Reliquum est igitur, ut dicas de conversa oratione atque mutata.

P. Est itaque id genus totum situm in commutatione verborum: quae simplicibus in verbis ita tractatur, ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio. Ex verbo, quum aut proprium, aut idem signi-

quod prorsus idem est. Paulo ante recte positum *duplicata*.

* *Tum coniunctionibus — tum dissolutionibus*) Illa sunt, quae dicuntur πολυσύνδετα, haec ἀσύνδετα.

Relaxetur) Ed. Ven. addit *quasi*.

* *Invisum*) Non visum, inspectum.

Aut significando iudicibus animo humano) Ita correxi vulgatam, *aut significando iudicio ipsius ex animo humano*.

* *Inflexione sermonis*) Quum laudem suam minuit, atque alienam auget, ut contra existimetur ab auditoribus. Facc.

* *Magis obscuram, aut minus probabilem*) Malim *minus obscuram, aut magis probabilem*: nec desunt MSS. codices, qui confirment coniecturam hanc, ut observavit doctissimus Iesuita Lagomarsinus, a nobis interrogatus. Facc. — Huic coniecturae favet etiam codex Guelferb. teste Schutzio, ubi legitur *magis probabilem*. Codicum MSS. tantique Viri auctoritate motus, sensu praesertim postulante, hanc lectionem in textum adscivi. Typ. Taur.

Quae simplicibus in verbis ita tractatur) Guelferb. *quae simplicibus ita tractentur*.

Aut ex verbo dilatetur) Guelf. *aut in verbo dilatetur*.

Aut in verbum) Gu. *aut in verbo*.

ficans, aut factum verbum in plura verba diducitur. In verbum autem contrahitur oratio, quum aut definitio ad unum verbum revocatur, aut assumta verba removentur, aut in circuitus diriguntur, aut in coniunctione fit unum verbum ex duobus. In coniunctis autem verbis triplex adhiberi potest commutatio, non verborum, sed ordinis tantummodo: ut, quum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit, invertatur ordo, et idem quasi sursum versus retroque dicatur; deinde idem intercise atque permiste. Eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto convertendi genere versatur.

7. *F.* Actio igitur sequitur, ut opinor.

P. Est ita; quae quidem oratori et cum rerum et cum verborum momentis commutanda maxime est.

* *Factum verbum*) i. e. novum; ut Orat. cap. 24, *factum ab ipso et novum.*

In verbum autem contrahitur oratio) Vulgo *ex oratione*, quae lectio stare nequit, quum antea Cicero dixisset *ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio*. Postremum igitur non potest dici *ex oratione*. Melius esset certe *ex contractione*, quod habet Ed. Omnib. Verumtamen optima est, quam posui, lectio, quam in nonnullis editt. legi testatur Gothofr.

* *Aut assumta verba removentur*) Recte explicat Ernestius, quum sublata synonyma, exegesis, epitheta solum verbum subiicitur.

Aut in circuitus diriguntur) Quomodo oratio possit in verbum contrahi, si in circuitus dirigatur, difficile est dicere. Ernestii explicatio: *quum quae membratim dicta sunt, ad copiosam speciem per periodum constituuntur*, prorsus contraria est rei, de qua agitur. Nam Cicero de contractione, non de dilatatione hic agit. Mihi igitur videntur haec verba loco suo mota, post illa *aut factum verbum in plura verba diducitur* reponenda esse: sic, *aut in circuitus dirigitur*, ita ut *circuitus* de periphrasi intelligatur. Ceterum in Guelf. legitur, *aut circuitus diriguntur.*

* *Sicut natura ipsa tulerit*) Credo Ciceronem scripsisse *tulerat*. *Directe dicere* autem est, quum res dicuntur ordine naturae, ut quod in eo est primum, etiam primo loco dicatur, et sic deinceps, deinde contra, ultimum primo loco, primum ultimo, item porro ante ordine naturali, quod est *intercise*, atque *permiste*; ut si dixeris *omnia parent necessitati*, quod est directe, dicas inverse, *necessitati parent omnia*, vel intercise *omnia necessitati parent*. Cuius generis multa sunt in orationibus Ciceronis, quum eadem res esset saepius dicenda. Ens,

Facit enim et dilucidam orationem, et illustrem, et probabilem, et suavem, non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu, quae plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient, eiusque vim ac varietatem subsequentur.

F. Num quidnam de oratore ipso restat?

P. Nihil sane, praeter memoriam, quae est gemina literaturae quodammodo, et in dissimili genere persimilis. Nam ut illa constat ex notis literarum, et ex eo, in quo imprimuntur illae notae: sic confectio memoriae, tanquam cera, locis utitur, et in his imagines, ut literas, collocat.

8. *F.* Quoniam igitur vis oratoris omnis exposita est, quid habes de orationis praeceptis dicere?

P. Quatuor esse eius partes; quarum prima et postrema ad motum animi valet. Is enim initiis est et perorationibus concitandus. Secunda, narratio, et tertia, confirmatio, fidem facit orationi. Sed amplificatio quamquam habet proprium locum, saepe etiam primum, postremum quidem fere semper: tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est, maximeque quum aliquid aut confirmatum est, aut reprehensum. Itaque ad fidem quoque vel plurimum valet. Est enim amplificatio vehemens quaedam argumentatio, ut illa docendi causa sit, haec commovendi.

F. Perge igitur ordine quatuor istas mihi partes explicare.

P. Faciam, et a principiis primum ordiar. Quae quidem ducuntur aut ex personis, aut ex rebus ipsis. Sumuntur autem trium rerum gratia: ut amice, ut

Subsequentur) Guelf. *subsequatur.* MS. Vit. refert omnia ad actionem habetque — *valebit* — *consentiet* — *subsequatur.*

Initiis est, et perorationibus concitandus) Guelf. *initiis et perorationibus concitandus est.*

intelligenter, ut attente audiamur. Quorum primus locus est in personis nostris, disceptatorum, adversariorum; e quibus initia benevolentiae conciliandae comparantur, aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, et maxime liberalitatis, officii, iustitiae, fidei; contrariisque rebus in adversarios conferendis, et cum iis, qui disceptant, aliqua coniunctionis aut causa aut spe significanda; et, si in nos aliquod odium offensiove concitata sit, tollenda ea minuendave, aut diluendo, aut extenuando, aut compensando, aut deprecando. Intelligenter autem ut audiamur, et attente, a rebus ipsis ordiendum est. Sed facillime auditor discit, et, quid agatur, intelligit, si complectare a principio genus naturamque causae, si definias, si dividas, si neque prudentiam eius impedias confusione partium, nec memoriam multitudine; quaeque mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt recte referri. Vt attente autem audiamur, trium rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quaedam proponemus, aut necessaria, aut coniuncta cum ipsis, apud quos res agetur. Sit autem hoc etiam in praeceptis, ut, si quando tempus ipsum, aut res, aut locus, aut interventus alicuius, aut interpellatio, aut ab adversario dictum aliquod, et maxime in perorando, dederit occasionem nobis, ut dicamus aliquid ad tempus apte, ne derelinquamus: et, quae suo loco de amplifi-

Contrariisque) Recte hoc recepit Ernestius e cod. Erl. Vulgo *contrariis*.

* *Qui disceptant*) Cum iis, qui iudicaturi sunt, communicanda causa nostra Facc.

Et si in nos aliquod odium offensiove concitata sit, tollenda ea) Guelf. *et si in nos aliquod odio offensione sint collata ea tollenda*. Vulgo *collocata sit*. Ed. Ven. *facta vel collata sit*. Sed nec *collocata*, nec *collata* satis aptum. Rescripsi igitur *concitata*.

* *Compensando*) Meritis commemoratis F.

Genus naturamque causae) In MS. Erl. abest *naturamque*.

Sit autem hoc etiam in praeceptis) Abest *etiam* Guelf. Heusingerus coni. *Sit etiam hoc in praeceptis*.

catione dicemus, multa ex his poterunt ad principiorum praecepta transferri.

9. *F.* Quid? in narratione quae tandem conservanda sunt?

P. Quoniam narratio est rerum explicatio, et quaedam quasi sedes ac fundamentum constituendae fidei, ea sunt in ea servanda maxime, quae etiam in reliquis fere dicendi partibus; quae partim sunt necessaria, partim assumta ad ornandum. Nam ut dilucide probabiliterque narremus, necessarium est; sed assumamus etiam suavitatem. Ergo ad dilucide narrandum eadem illa superiora explicandi et illustrandi praecepta repetemus, in quibus est brevitas; eaque saepissime in narratione laudatur, de qua supra dictum est. Probabilis autem erit, si personis, si temporibus, si locis ea, quae narrabuntur, consentient; si cuiusque facti et eventi causa ponetur; si testata dici videbuntur, si cum hominum opinione, vel auctoritate, si cum lege, cum more, cum religione coniuncta; si probitas narrantis significabitur, si antiquitas, si memoria, si orationis veritas, et vitae fides. Suavis autem narratio est, quae habet admirationes, exspectationes, exitus inopinatos, interposita colloquia personarum, motus animorum, dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates. Sed iam ad reliqua pergamus.

10. *F.* Nempe ea sequuntur, quae ad faciendam fidem pertinent.

P. Ita est; quae quidem in confirmationem et in reprehensionem dividuntur. Nam in confirmando no-

Partim assumta) Guelf. *partim sumta* rectius fortasse.

* (*Quasi sedes*) Narratio enim viam sternit, et quasi sedem parat probationibus. Facc.

Interposita colloquia personarum, motus animorum) Sic edidi pro vulg. *interpositos motus animorum, colloquia personarum* Cf. Quintil. Inst. Or. IV, 2, 108.

stra probare volumus: in reprehendendo, redarguere contraria. Quoniam igitur omne, quod in controversiam venit, id aut sit, necne, aut quid sit, aut quale sit quaeritur; in primo coniectura valet, in altero definitio, in tertio ratio.

F. Teneo istam distributionem. Nunc coniecturae locos quaero.

P. In verisimilibus, et in propriis rerum notis posita est tota. Sed appellemus docendi gratia verisimile, quod plerumque ita fiat; ut adolescentiam procliviorem esse ad libidinem. Propriae autem notae argumentum, quod nunquam aliter fit, certumque declarat, ut fumus ignem. Verisimilia reperiuntur ex partibus et quasi membris narrationis. Ea sunt in personis, in locis, in temporibus, in factis, in eventis, in rerum ipsarum negotiorumque naturis. In personis naturae primum spectantur, valetudinis, figurae, virium, aetatis, marium, feminarum; atque haec quidem in corpore; animi autem, aut quemadmodum affecti sint, virtutibus, vitiis, artibus, inertiis; aut quemadmodum commoti, cupiditate, metu, voluptate, molestia. Atque haec quidem in natura. In fortuna, genus, amicitiae, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestates, divitiae, libertas, et ea, quae sunt iis contraria. In locis autem et illa naturalia: maritimi an remoti a mari; plani an montuosi, laeves an asperi; salubres an pestilentes; opaci an aprici; et illa fortuita; culti an inculti; celebres an deserti; coae-

Id aut sit, necne) Vulgo *id aut sit necne sit.* Praestat autem omitti alterum *sit*, ut infra cap. 18.

* *Sit, necne sit*) His tribus quaestionibus si addas quartam *cur sit*, philosophum ex rhetore facies, ut est apud Aristotelem lib. II, Posteriorum Analyticorum cap. 1. FACC.

* *Propriis rerum notis*) Certis signis, quae Aristoteles in primo Rhetoricorum τεκμήρια vocat, et potissimum sunt ad solvendam quaestionem *an sit.* IR.

In natura) Vulg. add. *spectantur*, quod recte abest ed. Ven.

dificati an vasti; obscuri an rerum gestarum vestigiis nobilitati; consecrati an profani. In temporibus autem, praesentia et praeterita et futura cernuntur. In his ipsis, vetusta, recentia, instantia, paulo post, aut aliquando futura. Insunt etiam in temporibus illa, quae temporis quasi naturam notant, ut hiems, ver, aestas, autumnus; aut anni tempora, ut mensis, ut dies, ut nox, hora, tempestas; quae sunt naturalia: fortuita autem, sacrificia, festi dies, nuptiae. Iam facta et eventus aut consilii sunt, aut imprudentiae; quae est aut in casu, aut in quadam animi permotione: casu, quum aliter cecidit, ac putatum sit; permotione, quum aut oblivio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis causa permovit. Est etiam in imprudentia necessitas ponenda.

Instantia, paulo post, aut aliquando futura) Victor. *instantia paulo post, aut aliquando futura.*

Aut anni tempora, ut menses, ut dies, ut nox, hora, tempestas) In his corrupta quaedam esse recte Burgoldus intellexit, eaque verba *aut anni tempora* et *tempestas* delenda videbantur. Propius autem ad constituendam h. l. veritatem accedemus, comparato loco Quintiliani V, 10, 42, ubi: «Tempore, inquit, duplex significatio est. Generaliter enim et specialiter accipitur. Prius illud est nunc, olim, sub Alexandro, quum apud Ilion pugnatum est, denique praeteritum, instans, futurum. Hoc sequens habet et constituta discrimina, aestate, hieme, noctu, interdiu; et fortuita, in pestilentia, in bello, in convivio. Latinorum quidam satis significari putarunt, si illud generale *tempus*, hoc speciale *tempora* vocarent.» Ex quo loco intelligitur, Ciceronis locum, quem tractamus, ita constituendum esse: *Insunt etiam in temporibus illa quae temporis quasi mensuram notant, ut annus, ut menses, ut dies, ut nox, ut hora, aut anni tempora, ut hiems, ver, aestas, autumnus, quae sunt naturalia; fortuita autem, sacrificia, festi dies, nuptiae.* Vocabulum *tempestas* aut spurium est, aut ante *sacrificia* ponendum. Sicut enim Quintilianus *pestilentiam* in *fortuitis* temporibus numerat, eodem modo Cicero poterat *tempestatem* in fortuitis numerare. Praeterea emendatio nostra egregie confirmatur loco Rhetoricor. sive de Invent. lib. I, cap. 26, 27, qui hic omnino comparandus est. Ceterum in Guelf. sic legitur: ut *yemps*, *ut aestas*, *ut autumpni tempora*, omissum *ver* et *autumnus*.

Cecidit) Sic ed. Ven. malim quam *accidit*, ut vulgo.

Ac putatum sit) Ed. Kob. *ac putatum ac speratum sit*, quo in lectione forsan latet: *ac putatum aut speratum sit.*

Est etiam in imprudentia necessitas ponenda) In Guelf. *est ponderanda.*

Rerum autem bonarum et malarum tria sunt genera. Nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra esse possunt. Huius igitur materiae, ad argumentum subiectae, perlustrandae animo partes erunt omnes, et ad id, quod agetur, et singulis coniectura capienda. Est etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti vestigiis sumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, et eorum aliquid, quod sensu percipi possit; etiam si praeparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditum, indicatum. Verisimilia autem partim singula movent suo pondere, partim, etiamsi videntur esse exigua per se, multum tamen, quum sunt coacervata, proficiunt. Atque in his verisimilibus insunt nonnunquam etiam certae rerum et propriae notae. Maximam autem facit fidem ad similitudinem veri, primum exemplum; deinde introducta rei similitudo; fabula etiam nonnunquam, etsi est incredibilis, tamen homines commovet.

11. *F.* Quid? definitionis quae ratio est et quae via?

P. Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, et proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus, proprium quid sit, eluceat. Sed quoniam de propriis oritur plerumque magna dissensio, definiendum est saepe ex contrariis, saepe etiam

Si ponenda verum est, non sic intelligendum, quasi necessitas sit pars quaedam aut species *imprudentiae*, quae vulgo dicitur. Sed imprudentia hic late sumitur, pro eventu, quem prudentia hominis aut consilium praestare non potuerit, sive eventus vel est in casu, vel in animi quadam permotione, vel in necessitate ponendus. Sic de Inv. II, 31 *Purgatio est, per quam eius qui accusatur, non factum ipsum, sed voluntas defenditur. Ea habet partes tres, imprudentiam, casum, necessitudinem.*

Clamor editus) Guelf. *clamor abditus.*

* *Proprietate*) Hac voce naturalem intelligit rei differentiam, et affectionem necessariam, quae ex differentia oritur, diciturque a Logicis *proprium quarto modo.* FACC.

ex dissimilibus, saepe ex paribus. Quamobrem descriptiones quoque sunt in hoc genere saepe aptae, et enumeratio consequentium, imprimisque commovet explicatio vocabuli ac nominis.

12. *F.* Sunt exposita iam fere ea, quae de facto, quaeque de facti appellatione quaeruntur. Nempe igitur ea restant, quae, quum factum constet, et nomen, qualia sint, vocatur in dubium.

P. Est ita, ut dicis.

F. Quae sunt igitur in eo genere partes?

P. Aut iure factum, depellendi aut ulciscendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiae, aut religionis, aut patriae nomine, aut denique necessitate, inscitia, casu. Nam quae motu animi et perturbatione facta sine ratione sunt, ea defensionem contra crimen in legitimis iudiciis non habent, in liberis disceptationibus habere possunt. Hoc in genere, in quo, quale sit, quaeritur, iure, et recte necne factum sit, quaeri solet, quorum disputatio ex locorum descriptione sumenda est.

13. *F.* Agesis ergo, quoniam in confirmationem et reprehensionem diviseras orationis fidem, et dictum de altero est: expone nunc de reprehendendo.

P. Aut totum est negandum, quod in argumentatione adversarius sumserit, si fictum aut falsum esse possis

Quae quum factum constet) Guelf. *quae quum et factum constat.*

Aut iure factum, depellendi aut ulciscendi doloris gratia) Guelf. *aut iure factum depelletur aut ulciscendi gratia doloris.* Forsan scripserat auctor: *aut iure factum defenditur, depellendi aut ulciscendi doloris gratia.*

Sunt, ea defensionem) Guelf. *fiunt, defensionem —.*

* *Liberis disceptationibus*) In quibus iudices non ex iuramento et lege sententiam ferunt, sed ex aequo et bono pro arbitrio iudicant. Facc.

In quo quale sit quaeritur) Vulgo additur *ex controversia*, quod hic ineptum est; cf. Cic. de Or. II, c. 26. Itaque expunxi.

Iure et recte necne factum sit) Sic Guelf. a manu correctoris. Vulg. *iure et rectene actum sit.*

In argumentatione) Guelf. *in argumentationem.*

docere; aut redarguenda ea, quae pro verisimilibus sumta sunt; primum dubia sumta esse pro certis; deinde etiam in perspicue falsis eadem posse dici; tum ex iis, quae sumserit, non effici, quod velit. Accidere autem oportet singula; sic universa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit; tum conquerenda conditio communis periculi, si ingeniis hominum criminosorum sit exposita vita innocentium.

14. *F.* Quoniam, unde inveniuntur quae ad fidem pertinent, habeo, quemadmodum in dicendo singula tractentur, exspecto.

P. Argumentationem quaerere videris, quae est argumenti explicatio.

F. Plane istuc ipsum desidero.

P. Est ergo (ut supra dictum est) explicatio argumenti, argumentatio; sed ea conficitur, quum sumseris aut dubium, aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per se videtur. Argumentandi autem duo sunt genera, quorum alterum ad fidem directo spectat; alterum se inflectit ad motum. Dirigitur, quum proposuit aliquis, quod probaret,

* *Accidere autem oportet singula*) Pulcherrimam hanc lectionem eruimus ex edit. Oxonib. Kob. Vulgo *accidere autem oportet ad singula*. Cicero enim a fasciculo baculorum imaginem mutuatus est, quem si singulos acciderıs, ex dimidia parte inciderıs, facile possis universos frangere.

Quibus simili in disputatione creditum non sit) Guelf. *quibus simili disputatione creditum non est*.

Tum conquerenda) Vulgo abest *tum*. In Kob. est *tum querenda*.

Quae est argumenti explicatio) Post haec verba in codd. MSS. et edd. adduntur ista: *quae sumta ex iis locis, qui sunt expositi, conficienda et distinguenda dilucide est*. Ea, ut manifesto spuria, delevi. Ernestius uncis inclusit.

* *Dirigitur*) προτείνεται, unde πρότασις, *propositio*, quam Logici in scholis *maiorem* vocant. Facc.

Quum proposuit aliquis) Sic emendandum censuit Purgoldus. Vulgo *aliquid*, quod si teneas, subintelligendum est, *orator*.

assumsitque ea, quibus niteretur, atque his confirmatis, ad propositum se retulit, atque conclusit. Illa autem altera argumentatio, quasi retro et contra, prius sumit, quae vult, eaque confirmat; deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis iacit ad extremum. Est etiam illa varietas in argumentando, et non iniucunda distinctio: ut, quum interrogamus nosmetipsi, aut percontamur, aut imploramus, aut optamus, quae sunt cum aliis compluribus sententiarum ornamenta. Vitare autem similitudinem poterimus, non semper a proposito ordientes; et si non omnia disputando confirmabimus, breviterque interdum, quae erunt satis aperta, ponemus; quodque ex his efficietur, si id apertum sit, non habebimus necesse semper concludere.

* *Assumsitque*) Haec est, quae a scholasticis dicitur minor, a Latinis sumptio, vel assumptio, graece λῆψις. In hac igitur recta argumentatione proceditur ordine a propositione ad sumptionem, a sumptione ad conclusionem Facc.

Assumsitque) Sic rescripsi pro vulg. sumsitque.

Atque his confirmatis, ad propositum se retulit) Sic Guelf recte. Vulg. atque his confirmatis ad propositum retulit, unde nisi se retulit legas, scribendum esset, atque haec confirmata ad propositum retulit, ut bene monet Heusingerus. Victorius habet ad propositum sese retulit

* *Prius sumit*) Incipit a sumptione, v. g. Milo insidiatorem Clodium interfecit. Postea retro pergit ad propositionem, omnis insidiator iure interficitur. Facc.

Est etiam illa) Sic MS. Erl. ed. Ven. Vulgo est autem illa Guelf est aut illa.

* *Quum interrogamus*) Quum argumentamur per interrogationem, aut per alias figuras, imperantes aliquid, aut optantes, unde oritur vis argumenti Facc.

Nosmet ipsi) Sic Ernestius edidit Vulg. etiam in Guelf nosmet ipsos. Si legamus, aut quum interrogamus nosmet ipsos, hoc significaret, quum non alium, ut iudicem, vel adversarium, sed nosmet ipsos interrogamus. Hoc autem loco significari videtur quum non exspectamus, donec alius nos interroget. Ergo scribendum erat, quum interrogamus nosmet ipsi.

Aut percontamur) scil iudicem vel adversarium.

Aut imploramus) Ita emendavit Heusingerus ad Cic Offic III, 10, 16, e vestigiis scripturae cod. Guelf. in quo est impermus Vulg imperamus parum apte. In Orat. cap. 40, componitur ut supplicet, ut optet. Similiter de Orat III, 53, quae loca Heusingerus l. l. adhibuit.

Disputando confirmabimus) Sic MS. Erl. ed. Ven. Valgo confirmando disputabimus.

F. Quid? illa, quae sine arte appellantur, quae iamdudum assumta dixisti, ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent?

P. Illa vero indigent; nec eo dicuntur sine arte, quod ita sunt, sed quod ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat, et maxime in testibus. Nam et de toto genere testium, quam id sit infirmum, saepe dicendum est; et argumenta rerum esse propria, testimonia voluntatum; utendumque est exemplis, quibus testibus creditum non sit; et de singulis testibus, si natura vani, si leves, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracundia, si misericordia impulsi, si praemio, si gratia adducti; comparandique superiore cum auctoritate testium, quibus tamen creditum non sit. Saepe etiam quaestionibus resistendum est, quod et dolorem fugientes multi in tormentis ementiti persaepe sunt, morique maluerunt falsum fatendo, quam infitiando dolere. Multi etiam suam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipsi sibi essent, liberarent; alii autem aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicii, aut mortis, vim tormentorum pertulerunt; alii ementiti sunt in eos, quos oderant. Atque haec exemplis firmanda sunt. Neque est obscurum, quin (quoniam in utramque partem sunt exempla, et item ad coniecturam faciendam loci) in contrariis contraria sint sumenda. Atque etiam incurrit alia quaedam in testibus et in

Ecquonam modo) Hoc abest MS. Erl. et ed. Ven. et sine sensus detrimento abfuerit. Minus bene omittitur ed. Ven. *ecquonam loco*

Quod ita sunt, sed quod ea non parit) Guelf. *quia ita sunt, sed quia ea non parit.*

* *Saepe etiam quaestionibus resistendum est*) i. e. disputandum contra ea, quae tormentis expressa sunt

Quam infitiando dolere) Male Ernestius ex Mss. Erl. Vit. et ed. Ven. recepit *quam verum infitiando dolere.* Cicero enim loquitur de iis, qui in quaestione tormentis subiecti, maluni fateri, quod non commiserunt, etiamsi mortis supplicium subeundum sit, quam idem illud pertinacius infitiando diutius torqueri.

quaestionibus ratio. Saepe enim ea, quae dicta sunt, si aut ambigue, aut inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut etiam aliter ab alio dicta, subtiliter reprehenduntur.

15. *F.* Extrema tibi pars restat orationis, quae posita in perorando est, de qua sane velim audire.

P. Facilior est explicatio perorationis. Nam est divisa in duas partes, amplificationem et enumerationem. Augendi autem et hic est proprius locus in perorando; et in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehensa. Est igitur amplificatio, gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliet in dicendo fidem. Ea et verborum genere conficitur, et rerum.

Verba ponenda sunt, quae vim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, gravia, plena, sonantia, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, in primisque translata, nec solum in singulis verbis, sed in continentibus; soluta, quae dicuntur sine coniunctione, ut plura videantur. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, et ea, quae ascendunt gradatim ab humi-

* *Iuncta*) *Iuncta* verba dicuntur, quae composita ex aliis sunt. Ita iuncta oratio apud Quintilianum lib. IX, cap. 4 opponitur *incompositae*. Facc.

* *Facta*) Quae ab oratore ipso formantur. Ib.

Facta) Ed. Kob. *ficta*.

Imprimisque translata, nec solum in singulis verbis, sed in continentibus; soluta, quae) Pessime vulgo interpungebatur sic: *imprimisq. translata, nec solum in singulis verbis, sed in continentibus soluta, quae* — Nam *translata in continentibus verbis* significant *allegoriam*. *Soluta* autem sunt ἀσύνδετα, idque explicatur per verba *quae dicuntur sine coniunctione*.

* *Nec in singulis verbis*) Malim novam hinc periodum incipere, et pro *nec* legere *haec*. Accedit fides Ms. codicis Florentini, quem inspexit collega meus laudatus Lagomarsinus. F.

Relata verba, iterata, duplicata) Ciceroni *relata* verba sunt quae per anaphoram repetuntur; *iterata*, quum (figura antistrophes) in idem verbum saepius desinimus; *duplicata*, quum idem verbum bis deinceps ponitur.

Ab humilioribus) Delevi *verbis*, quod vulgo additur; esset enim ineptum *verba ascendunt ab humilioribus verbis*. Immo in *humilioribus* subintelligendum aut *sensibus*, sive *significatibus*.

lioribus ad superiora; omninoque semper quasi non naturalis et non explanata oratio, sed gravibus referta verbis, ad augendum accommodatior. Haec igitur in verbis, quibus actio vocis, vultus, et gestus congruens, et apta ad animos permovendus, accommodanda est. Sed et in verbis, et in actione causa erit tenenda, et pro re agendum. Nam haec quia videntur perabsurda, quum graviora sunt, quam causa fert: diligenter, quid quamque decest, iudicandum est.

16. Rerum amplificatio sumitur eisdem ex locis omnibus, quibus illa, quae dicta sunt ad fidem: maximeque definitiones valent conglobatae,, et consequentium frequentatio, et contrariarum, et dissimilium, et inter se pugnantium rerum conflictio: et causae, et ea, quae sunt de causis orta, maximeque similitudines et exempla; fictae etiam personae; muta denique loquantur, omninoque ea sunt adhibenda, si causa patitur, quae magna habentur; quorum est duplex genus. Alia enim naturâ magna videntur, alia usu: natura, ut caelestia, ut divina, ut ea, quorum obscurae causae, ut, in terris mundoque admirabilia quae sunt; ex quibus similibusque, si attendas, ad augendum permulta suppetunt; usu, quae videntur hominibus aut prodesse, aut obesse

Omninoque semper quasi non naturalis et non explanata oratio, sed gravibus referta verbis ad augendum accommodatior) Vulgo *naturalis*. At in naturali oratione nunquam inest αὔξησις. Et cur particulam *quasi* praeponeiat vocabalo *naturalis*? At enim suspicor Ciceronem scripsisse: *omninoque semper non vulgaris et quasi a plano oratio, sed grandibus referta verbis* etc.

Quibus actio vocis, vultus et gestus congruens) Haud scio an elegantius sit, quod Lambinus dedit. *actio voce, vultu et gestu congruens*.

Rerum) Ms Erl. addit *autem*.

Quibus) Melius, *ex quibus*

* *Consequentium frequentatio*) Enumeratio malorum, quae consequi possunt. Facc.

Natura magna) Sic Ms Erl. Vulgo *magna natura*.

* *Quorum obscurae causae*) Ostenta et prodigia. Facc.

Ut in terris mundoque) Guelf. *ut in terrisque*. An legendum: *ut in terris marique*—?

vehementius; quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam aut caritate moventur homines, ut deorum, ut patriae, ut parentum; aut amore, ut fratrum, ut coniugum, ut liberorum, ut familiarium; aut honestate, ut virtutum, maximeque earum, quae ad communionem hominum et liberalitatem valent. Ex iis et cohortationes sumuntur ad ea retinenda; et in eos, a quibus ea violata sunt, odia incitantur, et miseratio nascitur. Proprius locus est augendi, in his rebus aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil est enim tam miserabile, quam ex beato miser. Et hoc totum quidem moveat, si qua ex fortuna quis cadat; et, a quorum caritate divellatur, quae amittat, aut amiserit, in quibus malis sit, futurusve sit, exprimatur breviter. Cito enim arescit lacryma, praesertim in alienis malis. Nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum est. Minuta est enim omnis diligentia. Hic autem locus grandia requirit. Illud iam est iudicii, quo quaque in causa genere utamur augendi. In illis enim causis, quae ad delectationem exornantur, ii loci tractandi sunt, qui movere possunt exspectationem, admirationem, voluptatem; in cohortationibus autem bonorum ac malorum enumerationes et exempla valent plurimum. In iudiciis accusatori fere, quae ad iracundiam; reo plerumque, quae ad misericordiam pertinent. Nonnunquam tamen accusator misericordiam movere debet, et defensor iracundiam.

17. Enumeratio reliqua est, nonnunquam laudatori, suasori non saepe, accusatori saepius, quam reo, neces-

Proprius locus est augendi) Guelf *proprius aut locus est augendi* ex quo colliges olim scriptum esse *proprius autem locus est.*

Si qua ex fortuna quis cadat) Ita correxi vulg. *si bona ex fortuna quis cadat.* Sed constructio est *si exprimatur breviter, qua ex fortuna quis cadat, a quorum caritate divellatur* etc.

Arescit) Ed. Kob. *exarescat.*

saria. Huius tempora duo sunt, si aut memoriae diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis, vel longitudine orationis; aut frequentatis firmamentis orationis, et breviter expositis, vim est habitura causa maiorem. Et reo rarius utendum est, quod ponenda sunt contraria; quorum dissolutio in brevitate non lucebit, aculei pungent. Sed erit in enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriae suscepta videatur esse puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet, sed, breviter singula attingens, pondera rerum ipsa comprehendet.

18. *F.* Quoniam et de ipso oratore, et de oratione dixisti, expone eum mihi nunc, quem ex tribus extremum proposuisti, quaestionis locum.

P. Duo sunt, ut initio dixi, quaestionum genera; quorum alterum, finitum temporibus et personis, causam appello: alterum infinitum, nullis neque personis,

Huius tempora duo sunt) Sic Guelf. Itemque Ernestius recepit ex edit. Ven. Vulgo, *huius ipsa tempora duo sunt*.

* *Reo rarius*) Quia reus contra ire debet, et obiecta crimina dissolvere* Quum autem obiecta breviter, dissolvi breviter non possint, aculeos relinquunt in animis iudicum. FACC.

* *Quorum dissolutio in brevitate non lucebit, aculei pungent*) Sic edit. Rob. et Ms. Ox. ψ. At Victor. *quorum dissoluta in brevitate latebit*. Pessime autem vulgo: *in brevitate lucebit*, quod est sensui prorsus contrarium. Cicero enim ait reo enumeratione parcius utendum, quia ponenda sunt contraria accusatoris argumenta. Horum, inquit, dissolutio, sive refutatio in brevitate enumerationis non lucebit, quia propter brevitatem nihil potest satis explanari. Ergo quod lectionem *lucebit* Lambinus e Mss. restituit, quam Gruterus in Palat. Ernestius in Vit. et edit. Ven. reperit, bene sane fecit, modo negationem addidisset.

Breviter singula) Hac dedi pro vulg. *brevia singula*, quod non bene coit cum *attingens*.

* *Brevia singula*) Fortasse legendum *levia singula*. Nam haec modo attingenda. Manutius leg. *breve* FACC.

Causam appello) «Sic ed. Ven. Ms. Vit. *causam controversiam*. Aldus et Iunta edidere inverse *controversiam causam*. Gruterus ex ed. vet. *controversiam causam*. Fortasse fuit *controversiam et causam* ERN. At *controversiam* potius est ex glossa: nam Cicero nunquam vocabulo *controversiae* sic utitur, ut pro *causa* s. definita temporibus et personis quaestione posui.

neque temporibus notatum, propositum voco. Sed est quasi latior pars causae quaedam propositum. Inest enim infinitum in definito, et ad illud tamen referuntur omnia. Quamobrem prius de proposito dicamus; cuius genera sunt duo: cognitionis alterum; eius scientia est finis; ut, verine sint sensus; alterum actionis; quod refertur ad efficiendum quid, ut, si quaeratur, quibus officiis amicitia colenda sit. Rursus superioris genera sunt tria: sit, necne: quid sit: quale sit. Sit, necne: ut, Ius in natura sit, an in more; quid autem sit: Sitne ius id, quod maiori parti sit utile; quale autem sit: Iuste vivere, sit, necne, utile. Actionis autem duo sunt genera: unum, ad persequendum aliquid, aut declinandum; ut, Quibus rebus adipisci gloriam possis, aut quomodo invidia vitetur: alterum, quod ad aliquod commodum usumque refertur; ut, Quemadmodum sit respublica administranda, aut quemadmodum in paupertate vivendum. Rursus autem ex cognitionis consultatione, ubi, sit, necne sit, aut fuerit, futurumve sit, quaeritur, unum genus est quaestionis, possitne aliquid effici; ut, quum quaeritur, Ecquisnam perfecte sapiens esse possit; alterum, quemadmodum quidque fiat; ut, Quonam pacto virtus pariatur, naturane, an ratione, an usu. Cuius generis sunt omnes, in quibus, ut in obscuris naturalibusque quaestionibus, causae rationesque rerum explicantur.

Sed est quasi latior pars causae quaedam propositum) Sic edd. pro vulg. *sed est consultatio quasi pars causae quaedam et controversiae*. Gruterus in Ms. reperit *propositum latior pars controversiae quam causae*. Ed. Ven. *propositum latius, quasi pars controversiae et causae*. In Ms. Ox. *sed est propositum latius quasi p. c. q. e. a.*

* *Verine sint sensus*) Ut arcebant Epicurei, qui in sensibus ponebant veritatis criterium. Facc.

Ius in natura sit) Guelf. Vsteb. *ius in naturane sit*.

Adipisci gloriam possis) Guelf. *adipisci gloriam possit*.

Refertur) Guelf. *referatur*.

Ex cognitionis consultatione) Guelf. *ex cogitationis consultationibus*. Lambin. *ex cognitionis consultatione*.

19. Illius autem generis, in quo, quid sit id, de quo agitur, quaeritur, duo sunt genera: quorum in altero disputandum est, aliud, an idem sit, ut pertinacia et perseverantia; in altero autem, descriptio generis alicuius, et quasi imago exprimenda est, ut, Qualis sit avarus, aut quid sit superbia.

Tertio autem in genere, in quo, quale sit, quaeritur, aut de honestate, aut de utilitate, aut de aequitate dicendum est. De honestate sic: ut, Honestumne sit pro amico periculum aut invidiam subire. De utilitate autem sic: ut, Sitne utile, in republica administranda versari. De aequitate vero sic: ut, Sitne aequum, amicos cognatis anteferre. Atque in hoc eodem genere, in quo, quale sit, quaeritur, exoritur aliud quoddam disputandi genus. Non enim simpliciter solum quaeritur, quid honestum sit, quid utile, quid aequum, sed etiam ex comparatione, quid honestius, quid utilius, quid aequius: atque etiam, quid honestissimum, quid utilissimum, quid aequissimum: cuius generis illa sunt, quae praestantissima sit dignitas vitae.

20. Atque ea quidem, quae dixi, cognitionis sunt omnia. Restant actionis: cuius alterum est praecipiendi genus, quod ad rationem officii pertinet: ut, Quemadmodum colendi sint parentes; alterum autem ad sedandos animos, et oratione sanandos, ut in consolandis moeroribus, ut in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrarium est disputandi genus ad eosdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione saepe faciendum est, vel gignendos, vel concitandos. Atque haec fere est partitio consultationum.

Animi motus quod in amplificanda oratione) Ed. Ven. *animorum motus, quod in amplificatione orationis.*

F. Cognovi: sed quae ratio sit in his inveniendi et disponendi, requiro.

P. Quid? tu aliamne censes, et non eandem, quae est exposita, ut ex eisdem locis ad fidem et ad inveniendum ducantur omnia? Collocandi autem quae est exposita in aliis ratio, eadem huc transfertur.

21. Cognita igitur omni distributione propositarum consultationum, causarum genera restant admodum. Et earum quidem forma duplex est: quarum altera delectationem sectatur aurium: alterius, ut obtineat, probet, et efficiat quod agit, omnis est suscepta contentio. Itaque illud superius, *exornatio* dicitur: quod quum latum genus esse potest, saneque varium, unum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros suscipimus, et ad improbos vituperandos. Genus enim nullum est orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorumque versetur. Reliquum autem genus causarum, aut in provisione posteri temporis, aut in praeteriti disceptatione versatur: quorum alterum deliberationis est, alterum iudicii. Ex qua partitione tria genera causarum extiterunt: unum, quod a meliori parte, laudationis est appellatum; deliberationis alterum; tertium iudiciorum.

Et non eandem) Vulgo additur *esse*, quod melius abest ed. Ven. Ms. Vat. et Guelf. in quo scriptum *et non eandem quae exposita est*.

Causarum genera) Guelf. Ox. V. *controversiarum causarum genera.* Ox. V et ed. Kub. addit *et praecepta.* Lambinus *controversiarum sive causarum genera*.

Restant admodum) Sic Guelf. Erl. Ox. V. In edit. Kub. *amodo.* Vulg. *restant omnino.*

Quod quum latum genus esse potest) Ernestius aut *quoniam*, aut *possit* scribendum esse monet. Mihi placet *quod quoniam latum genus est.* Paulo post Lambinus edidit *tum unum ex eo delegimus.*

Suscipimus) Sic Guelf. Vulgo *suscepimus*, quod iam Ernestius ex ed. Ven. recte correxit.

* *A meliori parte*) Quia melius est laudare, quam vituperare, genus hoc a primo nomen sumpsit. Fortasse legendum *meliore.* Cicero enim casus huiusmodi efferre solet per *e*. F,

Quamobrem de primo primum, si placet, disputemus.

F. Mihi vero placet.

P. Ac laudandi vituperandique rationes, quae non ad bene dicendum solum, sed etiam ad honeste vivendum valent, exponam breviter, atque a principiis exordiar et laudandi et vituperandi. Omnia enim sunt profecto laudanda, quae coniuncta cum virtute sunt; et quae cum vitiis, vituperanda. Quamobrem finis alterius est honestas, alterius turpitudo. Conficitur autem genus hoc dictionis, narrandis exponendisque factis, sine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam aut confirmandam accommodate. Non enim dubia firmantur, sed ea, quae certa, aut pro certis posita sunt, augentur. Quamobrem ex iis, quae ante dicta sunt, et narrandi, et augendi praecepta repetentur. Et, quoniam in his causis omnis ratio fere ad voluptatem auditoris et ad delectationem refertur, utendum erit iis in oratione singulorum verborum insignibus, quae habent plurimum suavitatis: id est, ut factis verbis, aut vetustis, aut translatis frequenter utamur, et in ipsa constructione verborum, ut paria paribus, et similia similibus saepe referantur: ut contraria, ut geminata, ut circumscripta numerose, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quodam quasi verborum modo. Adhibendaque frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt, sive quae admirabilia et nec opinata, sive significata monstris, prodigiis, et oraculis,

Omnia enim sunt profecto laudanda) Lambinus delevit *enim*.

Quae coniuncta cum virtute sunt) Gu. omittit *coniuncta*.

* *Verborum insignibus*) Significat verborum figuras. FACC.

Quae habent) Ernestius mavult *quae habeant*.

Id est, ut factis verbis) Ed. Ven. *id fit, ut factis verbis*, quod placuit Ernestio.

Ornamenta rerum) Rerum ornamenta opponuntur insignibus verborum, de quibus paulo ante.

* *Significata monstris* etc.) De omnibus fere antiquitatis vitiis, qui-

sive quae videbuntur ei, de quo agimus, accidisse divina atque fatalia. Omnis enim exspectatio eius, qui audit, et admiratio, et improvisi exitus, habent aliquam in audiendo voluptatem.

Sed quoniam in tribus generibus bona malave versantur, externis, corporis, et animi: prima sunt externa, quae ducuntur a genere; quo breviter modiceque laudato, aut, si erit infame, praetermisso; si humile, vel praeterito, vel ad augendam eius, quem laudes, gloriam tracto, deinceps, si res patietur, de fortunis erit et facultatibus dicendum. Postea de corporis bonis; in quibus quidem, quae virtutem maxime significat, facillime forma laudatur. Deinde est ad facta veniendum, quorum collocatio triplex est. Aut enim temporum servandus est ordo, aut in primis recentissimum quodque dicendum, aut multa et varia facta in propria virtutum genera sunt digerenda.

22. Sed hic locus virtutum atque vitiorum latissime patens, ex multis et variis disputationibus nunc in quandam angustam et brevem concludetur. Est igitur via virtutis duplex. Aut enim scientia cernitur virtus, aut actione. Nam, quae prudentia, quae calliditas, quaeque

ad summum vel dignitatis, vel virtutis fastigium pervenerunt, talia quaedam narrari a laudatoribus solent. Facc.

Prodigiis et oraculis) Lambinus. *prodigiis*, *oraculis*.

Accidisse) Guelf. ed. Ven. *concidisse*. Forsan rectius.

In tribus generibus) Guelf. *tribus in generibus*.

Malave) Lambin. *maloque*.

* *Tracto*) Optime sic Ernestius correxit vulgatum *tacto*, frustraque obnititur Pingoldus. Hincde genus *ad gloriam* eius, quem laudas, *trahitur*, quum ostenditur, eum, quamvis ignobili genere natum, tamen virtute sua ad dignitatem evasisse.

Patietur) Sic Ernestius ex edit. Ven. cuius margo habet *patietur*. Vulgo *patitur*.

Et facultatibus) Guelf. *facultatibusque*.

Digerenda) Hoc pro vulg. *dirigenda* reposuimus. Ernestius vel *dirimenda*, vel *digerenda* legendum coniiciebat, sed ita ut hoc maxime probaret. Et iam olim Lambinus receperat.

gravissimo nomine sapientia appellatur, haec scientia pollet una. Quae vero moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus laudatur, eius est munus in agendo: cui temperantiae nomen est. Atque illa prudentia in suis rebus, domestica; in publicis, civilis appellari solet. Temperantia in suas itidem res, et in communes distributa est, duobusque modis in rebus commodis discernitur; et ea, quae absunt, non expetendo, et ab iis, quae in potestate sunt, abstinendo. In rebus autem incommodis est itidem duplex. Nam quae venientibus malis obstat, fortitudo; quae, quod iam adest, tolerat et perfert, patientia nominatur. Quae autem haec uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur; cuius est liberalitas, in usu pecuniae; simulque altitudo animi, in capiendis incommodis, et maxime iniuriis; et omne, quod est eius generis, grave, sedatum, non turbulentum. In communione autem quae posita pars est, iustitia dicitur, eaque erga deos, religio; erga parentes, pietas; creditis in rebus, fides; in moderatione animadvertendi, lenitas; in amicitia, benevolentia nominatur. Atque hae quidem virtutes cernuntur in agendo. Sunt autem aliae quasi ministrae comitesque

Temperantia in suas itidem res) Sic Gualf. omisso *autem*, quod vulgo ponitur post *temperantia*, h. l. autem, quia sequitur *itidem*, melius abest.

Quae, quod iam adest) Lambinus *quae vero ea, quae iam adsunt*.

In capiendis) Ms. Erl. in *dimittendis*. Recte Ernestius *capiendis* intellexit *accipiendis* et *tolerandis*. Lambinus habet *accipiendis*.

Non turbulentum) Recte sic Lambinus, item Ern. ex ed. Venet. Vulgo *vel non turbulentum*.

Erga parentes, pietas) Inepte in edd. additur vulgo *autem bonitas*; in quo mirum est monachi alicuius manum nemінem adhuc deprehendisse. Quis enim unquam fando audivit, apud Latinos pietatem erga parentes *vulgo bonitatem* appellatam fuisse?

In amicitia benevolentia nominatur) Vulgo *in benevolentia amicitia nominatur*, quod esset absurdum.

* *Ministrae*) Dialectica et Rhetorica ad scientiam et prudentiam pertinent tanquam comites ac ministrae. Sed ipsae quoque valde conveniunt inter se, nec differunt nisi modo quodam. Facc.

sapientiae: quarum altera, quae sint in disputando vera atque falsa, quibusque positis quid sequatur, distinguit et iudicat; quae virtus omnis in ratione scientiaque sita est; altera autem oratoria. Nihil enim est aliud eloquentia, nisi copiose loquens sapientia; quae ex eodem hausta genere, illa, quae in disputando est, uberior est atque latior, et ad motus animorum, vulgique sensus accommodatior. Custos vero virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens, verecundia est. Atque hi sunt fere quasi quidam habitus animi, sic affecti et constituti, ut sint singuli inter se proprio virtutis genere distincti; a quibus ut quaeque res gesta est, ita sit honesta necesse est, summeque laudabilis. Sunt autem alii quidam perfecti animi habitus, ad virtutem quasi praeculti, et praeparati rectis studiis et artibus; ut, in suis rebus, studia literarum, ut numerorum ac sonorum, ut mensurae, ut siderum, ut equorum, ut venandi, ut armorum: in communibus, propensiora studia in aliquo virtutis genere colendo, aut divinis rebus deserviendo, aut parentibus, amicis, hospitibus, praecipue atque insigniter diligendis.

Omnis in ratione scientiaque sita est) Vulgo post *scientiaque* additur *disputandi*, nempe e glossa.

Nihil enim est) Guelf. rectius. *Nihil est enim*

Quae ex eodem hausta genere illa, quae in disputando est, uberior est) Vulgo, *quae ex eodem hausta genere, quo illa.* Delevi *quo*, et *illa* est ablativus.

Quae in disputando est) Sic Gu. Erl. Edd. Ven. Iunt. Vulg. *quae in disputando*, ellipsi hic duriore.

* *Sunt autem* etc.) Alii habitus, qui rectis studiis et artibus hominem praeparant ad virtutem. Facc.

Perfecti) Hoc epitheton Ernestio iure suspectum, et iam Lambinus id deleverat. Ed. Ven. *fieri*.

* *In suis rebus*) In rebus privatis. Grammatica enim, Arithmetica, Musica, Geometria ad privatum commodum referuntur. Facc.

* *In communibus*) In iis, quae ad societatis bonum pertinent, versantur habitus illi, qui nos ad institiam praeparant et ad virtutes reliquas iustitiae socias. Id.

In aliquo virtutis genere colendo) Vulgo *praecipue colendo*. Sed *praecipue* hic languet, et ab ed. Victor. rectius abest.

Atque haec quidem virtutum. Vitiorum autem sunt genera contraria. Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. Nam et prudentiam malitia, et temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, et magnitudinem animi superbia in extollendis, et despicientia in contemnendis honoribus, et liberalitatem effusio, et fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritia immanis, et iustitiam acerbitas, et religionem superstitio, et lenitatem mollitia animi, et verecundiam timiditas, et illam disputandi prudentiam concertatio captatioque verborum, et hanc oratoriam vim inanis quaedam profluentia loquendi. Studiis autem bonis similia videntur ea, quae sunt in eodem genere nimia.

23. Quamobrem omnis vis laudandi vituperandique ex his sumetur virtutum vitiorumque partibus; sed in toto quasi contextu orationis haec erunt illustranda maxime, quemadmodum quisque generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum institutus moratusque fuerit; et, si quid cui magnum aut incredibile acciderit, maximeque si id divinitus accidisse potuerit videri; tum quod quisque senserit, dixerit, gesserit, ad ea, quae proposita sunt, virtutum genera accommodabuntur, ex illisque iisdem inveniendi locis causae rerum, et eventus, et consequentia requirentur. Neque vero mora eorum, quorum vita laudabitur, silentio praeteriri debebit, si modo quid erit animadvertendum, aut in ipso

Vitiorum autem sunt genera contraria) Guelf. *vitiorum autem genera sunt contraria.*

Animi superbia in extollendis, et despicientia in contemnendis honoribus) Vulg. male *animi superbia in animis extollendis et despicientia in contemnendis honoribus.* Nam *extollere* est contrarium verbi *contemnere;* et utrumque ad *honores* pertinet. Lambinus edidit *et verae gloriae laudisque studium despicientia in contemnendis honoribus.*

Maximeque) Guelf. *maxime.*

genere mortis, aut in iis rebus, quae post mortem erunt consequutae.

24. *F.* Accepi ista, didicique breviter, non solum quemadmodum laudarem alterum, sed etiam quemadmodum eniterer, ut possem ipse iure laudari. Videamus igitur deinceps, in sententia dicenda quam viam, et quae praecepta teneamus.

P. Est igitur in deliberando finis utilitas, ad quem omnia ita referuntur in consilio dando, sententiaque dicenda, ut illa prima sint suasori, aut dissuasori videnda, quid aut possit fieri, aut non possit, et quid aut necesse sit, aut non necesse. Nam et, si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quamvis utile sit; et, si quid necesse est (necesse autem id est, sine quo salvi liberive esse non possumus), id est reliquis et honestatibus in civili ratione et commodis anteponendum. Quum autem quaeritur, quid fieri possit, videndum etiam est, quam facile possit. Nam quae perdifficilia sunt, perinde habenda saepe sunt, ac si effici non possint. Et quum de necessitate attendemus, etsi aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum. Quod enim permagnum est, pro necessario saepe habetur. Itaque quum constet hoc genus causarum ex suasione et dissuasione, suasori proponitur simplex ratio: si et utile est, et fieri potest, fiat. Dissuasori duplex: una, si utile non est, ne fiat; altera, si fieri non potest, ne suscipiatur. Sic suasori utrumque docendum est, dissuasori alterum infirmare sat est.

25. Quare, quoniam in his versatur omne consilium duobus, de utilitate ante dicamus, quae in discernendis

Etsi aliquid non necessarium) Gu. etiamsi aliquid n. n.

Quod enim permagnum est) Sic MS. Ox. ψ. Lambin. al. Vulgo *quod enim permagni interest.*

* *Suasori utrumque*) Et esse utile, et fieri posse. F.

bonis malisque versatur. Bonorum autem partim necessaria sunt, ut vita, pudicitia, libertas, ut liberi, coniuges, germani, parentes: partim non necessaria; quorum alia sunt per se expetenda, ut ea, quae sita sunt in officiis atque virtutibus: alia, quod aliquid commodi

Pudicitia) Frustra Pnegoldus corrigit *prudentia*. Nam quum bona necessaria sint, quae nobis naturae necessitate, non voluntate nostra parantur, *pudicitia*, h. e. flos virginitatis ut pubertatis incorruptus est in bonis necessariis. Itaque recentiores iuris naturae doctores virginitatem referunt ad *suum naturale conatum*.

Coniuges) Si Cicero sibi constitit, non potuit *coniuges*, qui non natura dantur, sed voluntate iunguntur, inter bona necessaria referre. Fortasse igitur scripsit *cognati*.

Partim non necessaria, quorum alia sunt per se expetenda, ut ea, quae sita sunt in officiis atque virtutibus. alia, quod aliquid commodi efficiunt, ut opes et copiae. Eorum autem, quae propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur. honestate, ea, quae proficiscuntur ab iis virtutibus, de quibus paulo ante est dictum, quae sunt laudabilia ipsa per se, commoditate autem aliqua, quae sunt in corporis aut in fortunae bonis expetenda. Quorum alia sunt quodammodo cum honestate coniuncta, ut honos, ut gloria, alia diversa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiae, clientelae.) In his verbis quae inesset difficultas, acute sensit diligentissimus interpres, Strebaeus, quam, qui sequuti sunt, fere dissimulant. Recte enim ille: »Haec divisio, inquit, mirabilem quandam videtur habere difficultatem. Nam secundum membrum confundit, et priori commiscet. Et paulo post divisionem referre videtur ad eo, quae propter se expetuntur.« Sed Strebaeus difficultatem sensit potius quam expedivit. Neque vero ipse, si genuina sunt in his verbis omnia, aliud offerre possum, quam ut Ciceronem subtilitatis in partiendo neglectae arguam. Fieri tamen potest, ut interpolatione locus corruptus sit. Nihil enim superest, quod quemquam offendere possit, si hunc locum sic a Cicerone scriptum esse statuamus: *partim non necessaria. Horum partim propter se et honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur; honestate, ea quae proficiscuntur ab iis virtutibus, de quibus paulo ante est dictum, quae sunt laudabilia ipsa per se; commoditate autem aliqua, quae sunt in corporis aut in fortunae bonis expetenda. Quorum alia sunt quodammodo cum honestate coniuncta, ut honos, ut gloria; alia diversa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiae, clientelae.* Sic bonorum divisio plenissime conveniat, quam latius explicavit Rhetoricor. sive de Inv. II, cap 52, qui locus hic omnino conferendus est. Verba *quorum alia sunt per se — efficiunt, ut opes et copias*, ex glossa marginali grammatici, qui ea, quae a Cicerone h. l. dicuntur in breviorem summam vellet contrahere, in textum immigrasse videntur.

Ut ea, quae sita sunt) Guelf. ut *quae sita sunt*.

Alia quod aliquid commodi efficiunt) Guelf. *alia quamquam aliquid commodi efficiunt*, ubi in *quamquam*

efficiunt, ut opes et copiae. Eorum autem, quae propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur: honestate, ea, quae proficiscuntur ab iis virtutibus, de quibus paulo ante est dictum; quae sunt laudabilia ipsa per se; commoditate autem aliqua, quae sunt in corporis aut in fortunae bonis expetenda. Quorum alia sunt quodammodo cum honestate coniuncta, ut honos, ut gloria; alia diversa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiae, clientelae. Est etiam quaedam quasi materies subiecta honestati: quae maxime spectatur in amicitiis. Amicitiae autem caritate et amore cernuntur. Nam cum deorum, tum parentum patriaeque cultus, eorumque hominum, qui aut sapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri solet. Coniuges autem, et liberi, et fratres, et alii, quos usus familiaritasque coniunxit, quamquam etiam caritate ipsa, tamen amore maxime continentur. In his igitur rebus quum bona sint, facile est intellectu, quae sint contraria. Quodsi semper optima tenere possemus, haud sane, quoniam quidem ea perspicua sunt, consilio multum egeremus.

26. Sed quia temporibus, quae vim habent maximam, persaepe evenit, ut utilitas cum honestate certet, earumque rerum contentio plerumque deliberationes efficit: ne aut opportuna propter dignitatem, aut honesta propter utilitatem relinquantur, ad hanc difficultatem explicandam praecepta referamus. Et quoniam non ad veritatem solum, sed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodanda est oratio: hoc

Heusiogero videbatur latere *quoniam*.
Aut in fortunae bonis) Sic Guelf Vulgo *aut fortunae bonis* Ernestius item ex ed Ven. addidit *in*
Sunt quodammodo) Vulgo *sunt quasi quodammodo*. Guelf Erl omittunt *quodammodo* Quod imitatus est Ernestius. Sed melius deletur *quasi*.
Et alii quos usus) Guelf *et hi quos usus*.

primum intelligamus, hominum duo esse genera; alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati; alterum humanum et politum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, iustitia, omnisque virtus; illi autem alteri, quaestus, emolumentum, fructusque proponitur. Atque etiam voluptas, quae maxime est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat, quam immanissimus quisque acerrime sequitur, neque solum honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit, in suadendo, quum ei generi hominum consilium des, saepe sane laudanda est. Et illud videndum, quanto magis homines mala fugiant, quam sequantur bona. Nam neque honesta tam expetunt, quam devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus tam unquam expetat, quam ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor gravis est. Est genus hominum ad honestatem natum, malo cultu pravisque opinionibus corruptum. Quare in cohortando atque suadendo propositum quidem nobis erit illud, ut doceamus, qua via bona

Atque etiam voluptas) Hic locus in vulgatis libris prava interpunctione vitiatus est, quam nos correximus. Primum initium novae periodi est in *Atque etiam*, et sic est in ed. Ven. Deinde omnia uno tenore continuantur, desinuntque in *laudanda est*, ubi et finit ed Iunt quum stulte in vulgatis novi etiam ca itis initium sit in verbis in *suadendo*. Rursus initium novae sententiae est in verbis, *Et illud videndum*, ut est etiam in MS Vit. — Ed. Ven *videndum est* Ern.

Quae maxime est inimica virtuti) Gulf. *quae maxima est virtuti inimica*

* *Et generi*) Indoctis et agrestibus.

* *Et illud*) Legendum puto *at illud*. His enim hominibus laudanda quidem voluptas est, quam consequi possunt; at magis aperiendi dolores sunt, quos effugient. Facc.

Neque honesta tam expetunt) Gu. *neque tam honestatem expetunt*

Quarum rerum dolor gravis est. Est genus hominum — opinionibus corruptum) Optimam hanc lectionem praebet cod. Erl. Vulgo sic: *quarum rerum dolor gravis est. Est genus hominum — opinionibus corruptum.*

consequi, malaque vitare possimus; sed apud homines bene institutos plurimum de laude et de honestate dicemus, maximeque ea virtutum genera tractabimus, quae in communi hominum utilitate tuenda augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum proferantur; addantur etiam contumeliae atque ignominiae. Nemo est enim tam agrestis, quem non, si ipsa minus honestas, contumelia tamen et dedecus magnopere moveat.

27. Quare, quod ad utilitatem spectet, ex iis, quae dicta sunt, reperietur: quid autem possit effici, necne, in quo etiam, quam facile possit, quamque expediat, quaeri solet, maxime ex causis iis, quae quamque rem efficiant, est videndum. Causarum autem genera sunt plura. Nam sunt aliae, quae ipsae conficiunt; aliae, quae vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaque illae superiores, conficientes vocentur, hae reliquae ponantur in eo genere, ut sine his confici non possit. Conficiens autem causa alia est absoluta et perfecta per se, alia aliquid adiuvans, et efficiendi socia quaedam; cuius generis vis varia est, et saepe aut maior, aut minor, ut et illa, quae maximam vim habet, sola saepe causa dicatur. Sunt autem aliae causae, quae aut propter principium, aut propter exitum, conficientes vocantur. Quum autem quaeritur, quid sit optimum factu; aut utilitas, aut spes effi-

Nemo enim est) Go. melius *nemo est enim*.

Quem non, si ipsa minus honestas, contumelia tamen) Lambin. *quem non, si minus ipsa honestas, at contumelia tamen*, haud scio an concinnius.

Quare quod ad utilitatem spectet) Sic Guelf. Pal. Vit. ed. Ven. Valg. *spectat*.

Quid autem possit effici nec ne) Sic Ernestius edidit. Valg. *quod possit effici nec ne possit*. At MS. Erl. et ed. Ven. *quid possit*. Optimum videtur cum Lambino legere *ecquid autem possit effici necne*.

Quae vim aliquam ad conficiendum afferunt) Guelf. *quae vim ad conficienda aliqua afferunt*. Lambin. *quae vim aliquam ad conficiendum aperiunt*.

ciendi ad assentiendum impellit animos. Et, quoniam de utilitate iam diximus, de efficiendi ratione dicamus. Quo toto genere, quibuscum, et contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus armorum, pecuniae, sociorum, earumve rerum, quae ad quamque rem efficiendam pertinent, possimus uti, requirendum est. Neque solum ea sunt, quae nobis suppetunt, sed etiam illa quae adversantur, videnda. Et, si ex contentione procliviora erunt nostra, non solum effici posse quae suademus, erit persuadendum, sed curandum etiam, ut illa facilia, proclivia, iucunda videantur.

28. Dissuadentibus autem, aut utilitas labefactanda est, aut efficiendi difficultates efferendae, neque aliis ex praeceptis, sed iisdem ex suasionis locis.

Uterque vero ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quo notiora sint, aut veterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam. Maximeque sit in hoc genere meditatus, ut possit vel utilia ac necessaria saepe honestis, vel haec illis anteferre. Ad commovendos autem animos maxime proficient, si incitandi erunt, huiusmodi sententiae, quae aut ad explendas cupiditates, aut ad odium satiandum, aut ad ulciscendas iniurias pertinebunt; sin autem reprimendi, de incerto statu fortunae, dubiisque eventis rerum futurarum, et retinendis suis fortunis, si erunt secundae, sin autem adversae, de periculo, commonendi. Atque hi quidem sunt perorationis loci. Principia autem in sententiis dicendis brevia esse debent. Non enim supplex, ut ad iudicem, venit orator, sed hortator, atque auctor. Quare propo-

Quo toto genere quibuscum) Meliùs Lambin. *quo loco in genere, et quibuscum* — Idem deinde *et quo tempore, et quo loco, et quibus facultatibus.*

Suppetunt — quae adversantur) Gu. *quae adversentur.* Ernestius ex ed. Ven. *suppetant — adversentur.*

Huiusmodi) Guelf. *eiusmodi.*

* *Sententiae*) Dicta quaedam, quae in communibus proverbiis versantur.

Atque hi quidem sunt perorationis

nere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debet, hortarique ad se breviter dicentem andiendum. Tota autem oratio, simplex, et gravis, et sententiis debet ornatior esse, quam verbis.

29. *F.* Cognovi iam laudationis et suasionis locos. Nunc, quae iudiciis accommodata sint, exspecto; idque nobis genus restare unum puto.

P. Recte intelligis. Atque eius quidem generis finis est aequitas; quae non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnunquam: ut, quum de verissimo accusatore disputatur, aut quum hereditatis sine lege, aut sine testamento, petitur possessio; in quibus causis quid aequius, aequissimumve sit, quaeritur; quas ad causas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, aequitatis locis.

Atque etiam ante iudicium, de constituendo ipso iudicio solet esse contentio, quum aut, sitne actio illi, qui agit, aut iamne sit, aut num iam esse desierit, aut illane lege, hisne verbis sit actio, quaeritur. Quae etiam si ante, quam res in iudicium venit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non sunt: tamen in ipsis

loci) Guelf. *atque hi quidem perorationum sunt loci.*

Atque eius quidem generis) Abest quidem Guelf.

Ut quum de verissimo accusatore disputatur) Lambinus *disceptatur*, verius fortasse. Significatur autem ea quae dicebatur *divinatio*, ut Ciceronis contra Q. Caecilium in causa Verrina.

Quae etiam, si ante, quam res in iudicium venit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non sunt) Vulg. *quae etiamsi antequam* etc. quod induxit Lambinum, Hotomannum, Ernestium, ut deleta negatione, quae a MSS. Lambini aberat, legendum putarent, *confecta sunt.* Sed si legas, *quae etiam, si ante* — servandum esse illud *non ante sunt*, contextus facile docet. Num illae quaestiones, de actore aut de actione competente, vel antequam res in iudicium veniret, diiudicatae sunt, vel non. Si illud, nihil de iis in ipso iudicio dicendum est. Sin hoc, magnum aut Cicero in ipso iudicio pondus habere, si actor dicere possit: *Plus petiit, sero petiit* etc.

Confecta non sunt) Sic Gu. Lambinus in suis MSS. abesse negationem memoravit.

iudiciis permagnum saepe habent pondus, quum ita dicitur: plus petisti; sero petisti; non fuit tua petitio; non a me, non hac lege, non his verbis, non hoc iudicio. Quarum causarum genus est positum in iure civili, quod est in privatarum ac publicarum rerum lege, aut more positum; cuius scientia, neglecta ab oratoribus plerisque, nobis ad dicendum necessaria videtur. Quare de constituendis actionibus, accipiendis subeundisque iudiciis, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda aequitate, quod ea fere generis eius sunt, ut, quamquam in ipsum iudicium saepe delabantur, tamen ante iudicium tractanda videantur, paululum ea separo a iudiciis, tempore magis agendi, quam dissimilitudine generis. Nam omnia, quae de iure civili, aut de aequo et bono disceptantur, cadunt in eam formam, in qua, quale id sit ambigitur, de quo dicturi sumus; quae in aequitate et iure maxime consistit.

30. In omnibus igitur causis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam aut ita consistendum est, ut id, quod obiicitur, factum neges; aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id esse, quod

Genera eius sunt) Guelf. *eius generis sunt.*

Delabantur) Sic recte post Lamb. Ernestius e MS. Erl. ed. Ven. Vulgo *dilabantur.*

* *Tempore magis*) Quia iudicium ipsum antecedunt.

In eam formam) Guelf. addit *causarum.*

Nam aut ita constituendum est, ut id quod obiicitur) «Addidi *id* e MS. Erl. quia in altero membro est *aut illud, quod f. f.* Videtur etiam *aut*, quod ante est post *Num*, huc transferendum ut *aut id, quod ob.*: nam *consistendum est ita* pertinet ad omnia, quae sequuntur, exprimitque eam, qui post *status* dicitur, cuius primum genus hic exprimitur, quod est, ut post dicitur, in coniectura.» Hactenus Ernestius, cui de transferenda particula *aut* minime assentior. Nam vel levis est ἀνακολουθία, quae gratam habet negligentiam, in Ciceronis scriptis satis frequentem; vel si quid corrigere velis, multo satius est, particulam *ut* repetere, scribendo *aut ut illud, quod factum fateare,* ac deinde, *ut id, quod arguare.*

adversarius criminetur; aut, si neque de facto, neque de facti appellatione ambigi potest, id, quod arguere, neges tale esse, quale ille dicat, et rectum esse, quod feceris, concedendumve, defendas. Ita primus ille status, et quasi conflictio cum adversario, coniectura quaedam; secundus autem definitione atque descriptione, aut informatione verbi, tertius aequi, et veri, et recti, et humani ad ignoscendum disputatione tractandus est. Et quoniam semper is, qui defendit, non solum resistat oportet, aliquo statu, aut infitiando, aut definiendo, aut aequitate opponenda, sed etiam rationem subiiciat recusationis: primus ille status rationem habet iniqui criminis, ipsam negationem infitiationemque facti; secundus, quod non sit in re, quod ab adversario ponatur in verbo; tertius, quod id recte factum esse defendat, quod sine ulla nominis controversia factum fatetur. Deinde unicuique rationi opponendum est ab accusatore id, quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non posset. Itaque ea, quae sic referuntur, continentia causarum vocentur; quamquam non ea magis, quae contra rationem defensionis afferuntur, quam ipsae defensionis rationes, continent causas. Sed distinguendi gratia rationem appellamus eam, quae refertur ab reo ad recusandum, depellendi criminis causa; quae nisi esset, quod defenderet, non haberet; firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest.

* *Concedendumve*) i. e. ignoscendum. Nam Rhetor. II, cap. 31: *Concessio est, per quam non factum quum probatur a reo, sed ut ignoscatur id petitur.*

Et recti) Abest MS. Fri.

Et quoniam semper) Guelf. abest *semper.*

Recusationis) Sic Guelf. et probavit Heusingerus. Vulgo additur *sunt.*

* *Opponendum est*) Rationes, quibus se reus purgat, per ea sunt ab actore evertendae, quae accusationis firmamenta vocantur, et causam continere dicuntur. Facc.

Ex rationis autem, et ex firmamenti conflictione, et quasi concursu, quaestio exoritur quaedam, quam disceptationem voco; in qua, quid veniat in iudicium, et de quo disceptetur, quaeri solet. Nam prima adversariorum contentio diffusam habet quaestionem: ut in coniectura, « Ceperitne pecunias Decius »; in definitione, « Minueritne maiestatem Norbanus »; in aequitate, « Iurene occiderit Opimius Gracchum ». Haec, quae primam contentionem habent ex arguendo et resistendo, lata, ut dixi, et diffusa sunt. Rationum et firmamentorum contentio adducit in angustum disceptationem. Ea in coniectura nulla est. Nemo enim eius, quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaque in his causis eadem et prima quaestio, et disceptatio est extrema. In illis autem, ubi ita dicitur: « Non minuit maiestatem, quod egit de Caepione turbulentius; populi enim Romani dolor iustus vim illam excitavit, non tribuni actio; maiestas autem, quoniam est magnitudo quaedam populi Romani, in eius potestate ac iure retinendo, aucta est potius, quam diminuta »; et ubi ita refertur: « Maiestas est in imperii, atque in nominis populi Romani dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit »: exsistit illa disceptatio: « Minueritne maiestatem, qui voluntate populi Romani

* *Diffusam habet quaestionem*) i. e. nondum satis definitam.

Lata, ut dixi, et diffusa sunt) Sic Lambinus. Vulgo male *lata et confusa sunt*. At Cicero ante dixerat *diffusam habet quaestionem*. Et pro *diffusa* non poterat substitui *confusa*, quae sunt permista, perturbata, de quibus hic non agitur.

* *Adducit in angustum disceptationem*) h. e. ex illa latitudine quaestionis universae et infinitae ducit disceptationem ad ea, quae magis definita et singularia sunt.

In nominis populi Romani) Sic MS. Eli et ed. Vict. Lambin. quod iure restituit Ernestius. Vulgo *in omni p. R. dignitate*. — Veritas huius lectionis confirmatur etiam MS Florentino, referente Facciolati, excepto quod non repetitur praepositio ante nominis. Tyr. Lava.

rem gratam, et aequam per vim egerit ». In his autem causis, ubi aliquid recte factum, aut concedendum esse defenditur, quum est facti subiecta ratio, sicut ab Opimio : « Iure feci, salutis omnium, et conservandae reipublicae causa » ; relatumque est ab Decio : « Ne sceleratissimum quidem civem, sine iudicio, iure ullo necare potuisti », oritur illa disceptatio : « Potueritne recte, salutis reipublicae causa, civem, eversorem civitatis, indemnatum necare ? » Ita disceptationes eae, quae in his controversiis oriuntur, quae sunt certis personis et temporibus notatae, fiunt rursus infinitae, detractisque temporibus et personis, rursum ad consultationis formam rationemque revocantur.

31. Sed in gravissimis firmamentis etiam illa ponenda sunt, si qua ex scripto legis, aut testamenti, aut verborum ipsius iudicii, aut alicuius stipulationis, aut cautionis opponuntur defensioni contraria. Ac ne hoc quidem genus in eas causas incurrit, quae coniectura continentur. Quod enim factum negatur, id argui non potest scripto. Ne in definitionem quidem venit, genere scripti ipsius. Nam etiamsi verbum aliquod de scripto definiendum est, quam vim habeat, ut, quum ex testamentis, quid sit penus, aut quum ex lege praedii quaeritur, quae sint ruta caesa : non scripti genus, sed verbi interpretatio controversiam parit. Quum autem aut plura significantur scripto, propter verbi, aut

Aut concedendum esse) Vulgo additur *factum*, quod recte abest edit. Ven — Immo redundare potius videntur quatuor haec verba, ex Facciolati sententia. Et sane desunt in tribus codicibus MSS. Florentinis, testante Lagomarsino. Tyr. Tavn.

* *Ne in definitionem quidem venit*) h. e. non subiicitur constitutioni, quae dicitur *definitiva*, sicut antea *coniectura* pro *constitutione coniecturali* ponitur.

De scripto) Cod. Erl. *ex scripto*.

Quae sunt ruta caesa) Sic Ms. Erl. recte. Vulgo *quae sunt*.

Quum autem aut plura) Sic Guelf. recte. Vulgo abest *aut*.

verborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contra dicat, eo trahere significationem scripti, quo expediat, aut velit; aut, si ambigue scriptum non sit, vel a verbis ad voluntatem et sententiam scriptoris abducere, vel alio se, eadem de re, contrarie scripto defendere: tum disceptatio ex scripti contentione existit, ut in ambiguis disceptetur, quid maxime significetur; in scripti sententiaeque contentione, utrum potius sequatur iudex; in contrariis scriptis, utrum magis sit comprobandum.

32. Disceptatio autem quum est constituta, propositum esse debet oratori, quo omnes argumentationes, repetitae ex inveniendi locis, coniiciantur. Quod quamquam satis est ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quique illos locos, tanquam thesauros aliquos argumentorum, notatos habet: tamen ea, quae sunt certarum causarum propria, tangemus.

In coniectura igitur, quum est in infitiando reus, accusatori haec duo prima sunt (sed accusatorem pro omni actore et petitore appello: possunt enim etiam sine accusatione in causis haec eadem controversiarum genera versari); sed haec duo sunt ei prima, causa et eventus. Causam appello, rationem efficiendi: eventum, id, quod est effectum. Atque ipsa quidem partitio causarum paulo ante in suasionis locis distributa est. Quae enim in consilio capiendo futuri temporis praecipiebantur, quamobrem aut utilitatem viderentur habi-

Aut si ambigue) Vulgo *aut etiam si ambigue*. Recte Ernestius auctoritate cod. Erl. et ed. Ven. delevit *etiam*.

Propositum esse debet) Sic Guelf. Vel. ed. Ven. et recepit Ernestius. Vulgo *proposita*.

Repetitae ex inveniendi locis) Sic non *inveniendis*, ut habent vulgati, scripsit Cicero. Sic habet Ms. Vet. ed. Ven. Ald. Iunt. Id verum esse, quisque modulus statim sentiet. Ern.

Sine accusatione in causis) Sic Go. Erl. Vulgo *sine accusatore*.

* *Quae enim* etc.) Quae in deliberationibus praecipiuntur de futuro, transferri possunt in iudicia ad praeteritum. Facc.

tura, aut efficiendi facultatem, eadem, qui de facto argumentabitur, colligere debebit, quamobrem et utilia illi, quem arguet, fuisse, et ab eo effici potuisse demonstret. Vtilitatis coniectura movetur, si illud, quod arguitur, aut spe bonorum, aut malorum metu fecisse dicitur: quod fit acrius, quo illa in utroque genere maiora ponuntur. Spectant etiam ad causam facti, motus animorum, si ira recens, si odium vetus, si ulciscendi studium, si iniuriae dolor; si honoris, si gloriae, si imperii, si pecuniae cupiditas, si periculi timor, si aes alienum, si angustiae rei familiaris, si audax, si levis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans, si commota mente, si violentus, si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi, aut, si patefactum esset, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi; aut si iudicii poena levior, quam facti praemium; aut si facinoris voluptas maior, quam damnationis dolor. His fere rebus facti suspicio confirmatur, quum et voluntatis in reo causae reperiuntur, et facultas. In voluntate autem utilitas ex adeptione alicuius commodi, vitationeque incommodi quaeritur, ut aut spes, aut metus impulisse videatur, aut aliquis repentinus animi motus, qui etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis, impellit. Quamobrem sint haec dicta de causis.

Quod fit acrius) Lambin *quod eo fit acrius*.

Spectant etiam ad causam facti) Vulgo *spectantur*, quod etsi quodammodo explicari potest, tamen multo aptius est *spectant*, quod Ernestio quoque placebat.

Si violentus) Sic ed Omnib Koh recte Vulgo *si vinolentus*, quod h. l. minus est aptum Alia ratio est, quum Tusc IV, 23 memoratur *vinolentia*

His fere rebus) Guelf. *his enim fere rebus*.

Vitationeque incommodi) Sic. Go omisso *alicuius*, quod vulgo hic repetitur ante *incommodi*

Aut aliquis) Sic ed. Omnib Koh. Vulgo *aut alius*.

33. *F.* Teneo, et quaero, qui sint illi eventus, quos ex causis effici dixisti.

P. Consequentia quaedam signa praeteriti, et quasi impressa facti vestigia: quae quidem vel maxime suspicionem movent, et quasi tacita sunt criminum testimonia; atque hoc quidem graviora, quod causae communiter videntur insimulare et arguere omnes posse, quorum modo interfuerit aliquid; haec proprie attingunt eos ipsos, qui arguuntur, ut telum, ut vestigium, ut cruor, ut deprehensum aliquid, quod ablatum ereptumve videatur, ut responsum inconstanter, ut haesitatum, ut titubatum, ut cum aliquo visus, ex quo suspicio oriatur, ut eo ipso in loco visus, in quo facinus, ut pallor, ut tremor, ut scriptum, aut obsignatum, aut depositum quippiam. Haec enim talia sunt, quae aut in re ipsa, aut etiam ante quam factum est, aut postea, suspiciosum crimen efficiant. Quae si non erunt, tamen causis ipsis, et efficiendi facultatibus niti oportebit, adiuncta illa disputatione communi, non fuisse illum tam amentem, ut indicia facti aut effugere, aut occultare non posset, ut ita apertus esset, ut locum

* *Consequentia*) Ex consequentibus firmior coniectura ducitur, quam ex causis; quia causae ad multos pertinere possunt, consequentia, id est, facti signa, proprie illum attingunt, qui reus est. Facc

Quorum modo interfuerit aliquid) Sic recte Lambinus. Male quaedam edd. et Kob. Gothofr. *quorum non interfuerit aliquid*.

Haec enim talia sunt) Vulgo *haec enim et talia sunt*. — Ms. Erl. *haec enim et alia*, ut ipse olim correxeram. Melius Ms. Vit. et edd. Ven. Med. *Haec enim talia*. Mox Ms. Erl. ed. Ven. lunt. *aut in re ipsa* addita in, quod verum esse, cetera *ante* etc. *postea* indicant. Ern.

Quae aut in re ipsa) Sic Guelf.

* *Antequam factum est*) Sunt enim quaedam signa et indicia facti futuri, quae proprie ad reum pertinent, et inter consequentia referuntur, quamvis praecedant. Facc.

Adiuncta illa disputatione communi) Ms. Erl. Vit. addunt ut n. a reo, dici poterit (potest) non (vel haut) alia ratione commodius effici potuisse, dat — cui similia sunt c. 35 init. Eadem sunt in ed. Ven. sed post *occultare non posset*. Ea delevit in exemplo meo corrector. Ern.

* *Ita apertus*) Ita manifeste audax. Sed argumentum hoc evertitur ex

crimini relinqueret. Communis ille contra locus, audaciam temeritati, non prudentiae esse coniunctam. Sequitur autem ille locus ad augendum, non esse exspectandum, dum fateatur; argumentis peccata convinci; et huc etiam exempla ponentur. Atque haec quidem de argumentis.

34. Sin autem erit etiam testium facultas: primum genus erit ipsum laudandum, dicendumque, ne argumentis teneretur reus, ipsum sua cautione effecisse, testes effugere non potuisse; deinde singuli laudentur (quae autem essent laudabilia, dictum est); deinde etiam argumento firmo, quia tamen saepe falsum est, posse recte non credi; viro bono et firmo, sine vitio iudicis, non posse non credi. Atque etiam, si obscuri testes erunt, aut tenues, dicendum erit, non esse ex fortuna fidem ponderandam, aut eos esse cuiusque locupletissimos testes, qui id, de quo agatur, facillime scire possint. Sin quaestiones habitae, aut postulatio ut habeantur, causam adiuvabunt: confirmandum genus primum quaestionum erit; dicendum de vi doloris,

loco communi, quod audacia temeritati solent esse coniuncta. Facc.

Genus erit ipsum) Guelf. *genus ipsum erit*.

Cautione effecisse) Sic Guelf. Vit. Erl. ed. Ven. Recte. Vulgo *cautione fecisse*.

Laudentur) Lambin. *laudabantur*.

Dictum est; deinde etiam argumento) Guelf. *dictum. Deinde argumento etiam*.

Deinde etiam argumento firmo, quia tamen saepe falsum est, posse recte non credi; viro bono et firmo, sine vitio iudicis, non posse non credi — Ernestius hunc locum parenthesеos notis male positis non solum obscuravit, sed prorsus impeditum fecit *deinde etiam argumento firmo; (quia tamen saepe falsum est posse recte non credi), viro bono et firmo, sine vitio iudicis non posse non credi*. — Post *deinde etiam* ex antecedentibus repetendum *dicendum est*. Argumentum *firmum*, ut bene iam Strebaeus monuit, non est *necessarium et certum*, sed *probabile*. Quod autem probabile est, saepe potest falsum esse; ideoque eiusmodi argumento saepe potest recte non credi. Itaque nec *infirmo argumento* cum ed. Med. nec cum Grutero e Cod. Palat. *argumentando* legendum est.

Testes erunt) Abest *erunt* Guelf.

de opinione maiorum, qui eam rem totam, nisi probassent, certe repudiassent; de institutis Atheniensium, Rhodiorum, doctissimorum hominum, apud quos etiam (id quod acerbissimum est) liberi civesque torquentur; de nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui quum de servis in dominos quaeri noluissent, de incestu tamen et de coniuratione, quae facta me consule est, quaerendum putaverunt. Irridenda etiam disputatio est, qua solent uti ad infirmandas quaestiones, et meditata, puerilisque dicenda. Tum facienda fides, diligenter esse et sine cupiditate quaesitum; dictaque quaestionis, argumentis et coniectura ponderanda. Atque haec accusationis fere membra sunt.

35. Defensionis autem primum infirmatio causarum: aut non fuisse, aut non tantas, aut non sibi soli, aut commodius potuisse idem consequi; aut non iis se esse moribus, non ea vita; aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuisse. Facultatum autem infirmatione utetur, si aut vires, aut adiumenta, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit; aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini; aut non se tam ineptum, ut id susciperet, quod occultare non posset, neque tam amentem, ut poenas ac iudicia contemneret. Consequentia autem

Qui eam rem totam) Omittitur eum Ms. Erl. ed. Ven.

Quum de servis in dominos) Gu. cum *in dominos de servis*. Ita pro Rosc. Amer. c. 41.

Disputatio est) Omissum est Guelf.

Et meditata puerilisque dicenda) Ernestius sua causa haesit in verbo *meditata* dubitavitque, an *minuta* scribendum esset. Sed *meditata disputatio* h. l. dicitur ea, quae studium pueri redolet, magisque declamatoris artificium, quam veram oratoris eloquentiam prodere videtur. Sic de dictis quibusdam ridiculis, sed scurrilibus de Orat. II, 60 *Ea quia meditata putantur esse, minus ridentur.*

Dictaque) Guelf. *dicta*. Pro *dictaque quaestionis* malim *dictaque in quaestione*

* *Dicta quaestionis*) Quae sunt tormentis expressa.

Abfuisse) Sic Guelf.

diluet, exponendo, non esse illa certa indicia facti, quae etiam nullo admisso consequi possent; consistetque in singulis; et ea, aut eorum, quae ipse facta esse dicet, propria esse defendet potius, quam criminis, aut si sibi cum accusatore communia essent, pro periculo potius, quam contra salutem valere debere, testiumque et quaestionum genus universum, et quod poterit, in singulis, ex reprehensionis locis, de quibus ante dictum est, refellet. Harum causarum principia, suspiciosa ad acerbitatem, ab accusatore ponentur, denuntiabiturque insidiarum commune periculum, excitabunturque animi, ut attendant. Ab reo autem, querela conflati criminis collectarumque suspicionum, et accusatoris insidiae, et item commune periculum proferetur, animique ad misericordiam allicientur, et modice benevolentia iudicum colligetur. Narratio autem accusatoris, erit quasi membratim gesti negotii suspiciosa explicatio, sparsis omnibus argumentis, obscuratis defensionibus. Defensori, aut praeteritia, aut obscuratis suspicionum argumentis, rerum ipsarum eventus erunt casusque narrandi. In confirmandis autem nostris argumentationibus, infirmandisque contrariis, saepe erunt accusatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. Atque hoc quidem utrique maxime in peroratione faciendum: alteri frequentatione argumentorum, et coacervatione universa; alteri, si plane causam redarguendo expli-

* *Et ea aut eorum* etc.) Dicet, indicia, quae ab accusatore afferuntur, pertinere potius ad aliquid aliud, quam ad crimen: et si forte pertinere possint tam ad accusandum, quam ad defendendum, contendet magis valere ad salutem debere. Facc.

Dicet) Ernestius recepit dicit ex ed. Ven et Ms. Erl.

Pro periculo potius quam contra salutem valere debere) Quae *pro periculo* rei valent, eadem valent *contra rei salutem*. Ergo manifestum est, h. l. vel *contra periculum potius*, vel *propulsando periculo potius* legendum esse.

Atque hoc quidem — faciendum) Sic Ed. Omnib. Kob. melius quam ut vulgo *atque haec — facienda*.

carit, enumeratione, ut quique diluerit, et miseratione ad extremum.

36. *F.* Scire mihi iam videor, quemadmodum coniectura tractanda sit. Nunc de definitione audiamus.

P. Communia dantur in isto genere accusatori defensorique praecepta. Vter enim definiendo describendoque verbo magis ad sensum iudicis opinionemque penetrarit, et uter ad communem verbi vim, et ad eam praeceptionem, quam inchoatam habebunt in animis ii, qui audient, magis et propius accesserit, is vincat necesse est. Non enim argumentando hoc genus tractatur, sed tanquam explicando excutiendoque verbo; ut, si in reo, pecunia absoluto, rursusque revocato, praevaricationem accusator esse definiat, omnem iudicii corruptelam ab reo; defensor autem, non omnem, sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo: sit ergo haec contentio prima verborum, in qua, etiamsi propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nititur; negat enim probari oportere, eos, qui leges scripserint, ratum habere iudicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere; nititur aequitate: ut illa quasi scribenda lex sic esset, quaeque

* *Praevaricationem*) Exemplum affert ex definitione praevaricationis. Si quis, corruptis iudicibus, evaserit, rursusque revocetur praevaricationis nomine, qui accusat, dicet praevaricationem esse omnem iudicii corruptelam: qui defendit, dicet praevaricationem esse non iudicium, sed accusatoris corruptelam. Inchoata omnia praecepta et consuetudo sermonis stat pro defensore. Accusator tamen negat irritum haberi a lege iudicium, corrupto accusatore, ratum, corruptis iudicibus. Facc.

Nititur) Guelf. *nitetur*, quod melius Ms. Erl. Vit. *utetur*

* *Nititur aequitate: ut illa quasi scribenda lex ita esset, quaeque tamen complecteretur iam iudicia corrupta, ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicitur*) « Negari non potest; quin hic locus sit corruptus. Ego partim ex codd. Mss. in quibus scriptum est *utilitate*, pro *ut illa*, quod est in vulgatis, partim ex libro Almari Ranconeti, ad cuius libri oram haec erant ascripta ipsius manu literis Romanis *qui iudicia accusatorem*.

tamen complecteretur in iudiciis corruptis, ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicitur: defensor autem testabitur consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario reperiet, quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen praevaricatoris; ex consequentibus, quod ea litera de accusatore solet dari iu-

ve corruperit, quantum potui locis hisce tenebris offusi, nihil de meo addidi, ne inveteratum vulnus novum amplificarem. Quae autem reperi in libro Ranconeti, qui nunc est Memmii, videri possunt ex aliquo antiquo codice petita, nihil tamen affirmo. Fieri enim potest, ut ab illo acerrimi ingenii limatissimique iudicii viro fuerint excogitata. Veruntamen malim ita legi: *Quodsi scripta lex sic esset* QVI IVDICIVM ACCVSATOREMVE CORRVPERIT, *quaecumque tamen complecteretur iudicia corrupta nomine, ea verbo uno* etc. » LAMBIN. At in lege, quam Cicero innuit scriptum esse oportuit QVI PRAEVARICATVS FVERIT. Nam si sic scriptum esset: QVI IVDICIVM ACCVSATOREMVE CORRVPERIT, nihil dilucidius fieri potuisset; nec ullus fuisset dubitationi aut controversiae locus. « Hic locus est aperte corruptus et haud facile e libris sanandus. Hoc primum certum puto, interpungendum esse post *res iudere*, ut fuit ed. Ald Iunt idque nos fecimus. Post *mititur* (rursus Ms. Vit. *utetur*) *aequitate* respicit superius: *sententia legis mititur*. Pro *ut illa quasi*, uterque Ms. et ed. Ven. *utilitate*, *quasi scr. lex sic esset*. In ceteris nihil iuvant libri. Ea sic fere corrigenda puto: *ut illa etiamsi scripta lex sic esset*, (sc. ut praevaricationis tantum mentio fieret) *tamen quoque complecteretur in iudiciis corruptis* (i. e. tamen omnia exprimeret, quae ad corruptelam iudiciorum pertinent) *ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicitur*. ERN. Mihi ista etsi ad sententiam non displicent, tamen in verbis non satisfaciunt. Primum enim neglecta est lectio ed. Omnib. Kob. *Vilitate quam scribenda lex esset*, *quamque vim complecteretur in iudiciis corruptis ea verbo uno* p. c. d. in qua vocabulum *vim*, quod saepe usurpatur, ubi de corruptela iudicum agitur, tum enim *vis in iudiciis versata esse* dicitur, minime erat negligendum. Deinde transpositos hic aliquot versiculos esse, ipsum eorum argumentum docet. Quid multa? Sic mihi totus videtur locus constituendus: *in qua etiamsi propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio, tamen accusator sententia legis nitetur, ut illa lata quam scripta esse, et quamque vim in iudiciis corruptis verbo uno praevaricationis comprehendisse dicatur, nitetur aequitate, neget enim probari oportere* (i. e. aequum esse) *eos qui leges scripserint, ratum habere iudicium, si totum corruptum sit, si unus accusator corruptus sit, rescindere: defensor autem* etc.

Testabitur) Recte sic Ernestius edidit, quia sequitur *reperiet*.

Praevaricatoris) Bene sic Ms. Ed. Vulgo *praevaricationis*.

* *Quod ea litera de accusatore solet dari iudici*) Recte Strebaeus de tabella accepit, quae in iudicio de praevaricatione soleret dari iudicibus, cui inscripta esset litera P. quae

dici; ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis causis, quasi vare esse positus videatur. Sed huic tamen ipsi confugiendum est ad aequitatis locos, ad rerum iudicatarum auctoritatem, ad finem aliquem periculi; communeque sit hoc praeceptum, ut, quum uterque definierit, quam maxime potuerit ad communem sensum vimque verbi, tum similibus, exemplisque eorum, qui ita loquuti sunt, suam definitionem sententiamque confirmet. Atque accusatori in hoc genere causarum locus ille communis, minime esse concedendum, ut is, qui de re confiteatur, verbi se interpretatione defendat; defensor autem et ea, quam proposui, aequitate nitatur, et, ea quum secum faciat, non re, sed depravatione verbi se urgeri queratur. Quo in genere percensere poterit plerosque inveniendi locos. Nam et similibus utetur, et contrariis, et consequentibus; quamquam uterque, tamen reus, nisi plane erit absurda causa, frequentius. Amplificandi autem causa, quae, aut quum digredientur a causa, dici solent, aut quum perorabunt, haec vel ad odium, vel ad misericordiam, vel omnino ad animos iudicum movendos ex iis, quae sunt ante posita, sumentur, si modo rerum magnitudo, hominumve aut invidia, aut dignitas postulabit.

praevaricatorem notaret. Ac fortasse Cicero scripsit. *quod P litera de accusatore solet dari iudici.* Ernestius h. l. sinistre sic interpretatur litera a. verbum praevaricatoris in formula legis iudici datur, ut de accusatore iudicet.

* *Quasi vare positus*) Optime sic emendavit Gesnerus in Thes. L. L. v. *Praevaricatio*; ut *vare positus* sit is, qui *varis pedibus et nimium divaricatus in utraque causa stare videatur*. Simili ratione Germani dicunt: *Er fragt auf beiden Achseln*. Vulgo *quasi varie positus*.

Ad finem aliquem periculi) Ms. Erl abest *aliquem*. Sed quid sit *ad finem periculi*, nemo explicaverit. Mihi dubium non est, quin Cicero scripserit *ad rerum iudicatarum auctoritatem affinem aliquam periculi*; i. e. ad exempla iudiciorum, cum suo periculo s. causa capitali similitudine coniunctorum, ubi similiter iudicatum esset.

Quam maxime potuerit ad communem sensum) Lambinus *q. m. p. accommodate ad communem sensum*,

37. *F.* Habeo ista: nunc ea, quae, quum, quale sit quippiam, disceptatur, quaeri ex utraque parte deceat, velim audire.

P. Confitentur in isto genere, qui arguuntur, se id fecisse ipsum, in quo reprehendantur; sed, quoniam iure se fecisse dicunt, iuris est omnis ratio nobis explicanda. Quod dividitur in duas partes primas, naturam atque legem; et utriusque generis vis in divinum et humanum ius est distributa: quorum aequitatis est unum, alterum religionis. Aequitatis autem vis est duplex: cuius altera directa veri, et iusti, et, ut dicitur, aequi et boni ratione defenditur; altera ad vicissitudinem referendae gratiae pertinet: quod in beneficio, gratia; in iniuria, ultio nominatur. Atque haec communia sunt naturae atque legis; sed propria legis et ea, quae scripta sunt, et ea, quae sine literis, aut gentium iure, aut maiorum more, retinentur. Scriptorum autem privatum aliud est, publicum aliud. Publicum, lex, senatusconsultum, foedus; privatum, tabulae, pactum conventum, stipulatio. Quae autem scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conventis hominum, et quasi consensu obtinentur. Atque etiam hoc in primis, ut nostros mores legesque tueamur, quodammodo naturali iure praescriptum est. Et quoniam breviter aperti sunt fontes quasi quidam aequitatis, meditata nobis ad hoc causarum genus esse debebunt ea, quae di-

Reprehendantur) Ita rescripsit Ernestius pro vulg. *reprehenduntur*.

Quod dividitur) Gu. *quam dividunt*.

Altera directa veri et iusti) Sic Guelf optime. Vulg *altera directe*. Ernestius vel *recte* vel *directe* corrigendum putabat.

Sine literis) Recte Ernestius inlp. sine lege scripta. Ibid. pro gentium iure Ed. Ven habet *naturae iure*.

* *Pactum conventum*) Ita fere duo haec verba efferuntur. Interdum tamen coniungi solent per particulam et. Quoquo modo efferantur, conventionem significant, quae scripta continetur. Facc.

Aperti sunt fontes) Sic Guelf. Vulgo *aperti fontes sunt*.

cenda erunt in orationibus, de natura, de legibus, de more maiorum, de propulsanda iniuria, de ulciscenda, de omni parte iuris. Si imprudenter, aut necessitate, aut casu quippiam fecerit, quod non concederetur iis, qui sua sponte et voluntate fecissent; ad eius facti deprecationem, ignoscendi petenda venia est: quae sumetur ex plerisque locis aequitatis. Expositum est, ut potui brevissime, de omni controversiarum genere: nisi praeterea tu quid requiris.

38. *F.* Illud equidem, quod iam unum restare video, quale sit, quum disceptatio versatur in scriptis.

P. Recte intelligis; eo enim exposito, munus promissi omne confecero. Sunt igitur ambigui duobus adversariis praecepta communia. Vterque enim hanc significationem, qua utetur ipse, dignam scriptoris prudentia esse defendet: uterque id, quod adversarius ex ambiguo scripto intelligendum esse dicet, aut absurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe esse defendet, aut etiam discrepare cum ceteris scriptis, vel aliorum, vel maxime, si poterit, eiusdem; quamque defendet ipse, eam rem et sententiam quemvis prudentem, et iustum hominem, si integrum daretur, scripturum fuisse, sed planius; eamque sententiam, quam significari posse dicet, nihil habere aut captionis, aut vitii; contrariam autem si probarit, fore, ut multa inutilia, stulta, iniqua, contraria consequantur. Quum autem aliud scriptor sensisse videtur, et aliud scripsisse: qui scripto nitetur, eum, re exposita, recitatione uti oportebit; deinde instare adversario, iterare, renovare, interrogare, num aut scriptum neget, aut contra factum infitietur. Post,

Versatur) Guelf. *versetur*. Et sic ed. Ven.

Eo enim exposito, munus promissi omne confecero) Guelf. *isto enim exposito munus professione confecero*. Ms. Erl. a. c. *e. munus quod promissi* a. c.

Dicet) Ms. Erl. Ed. Ven. *dicat*.

iudicem ad vim scripti vocet. Ac confirmatione usus, amplificet rem lege laudanda, audaciamque confutet eius, qui quum palam contra fecerit, idque fateatur, adsit tamen, factumque defendat. Deinde infirmet defensionem, quum adversarius aliud voluisse ac aensisse scriptorem, aliud scripsisse dicat, non esse ferendum, a quoquam potius latoris sensum, quam a lege, explicari. Cur ita scripserit, si ita non senserit? Cur, quum ea, quae plane scripta sint, neglexerit, quae nusquam scripta sint, proferat? Cur prudentissimos in scribendo viros summae stultitiae putet esse damnandos? Quid impedierit scriptorem, quo minus exciperet illud, quod adversarius, tanquam si exceptum esset, ita dicit se sequutum? Vtetur exemplis iis, quibus idem scriptor; aut, si id non poterit, quibus alii, quod excipiendum putarint, exceperint. Quaerenda etiam ratio est, si qua poterit inveniri, quare non sit exceptum; aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia causa obtemperandi, alia abrogandi; dissentire adversarii vocem atque legis. Deinde amplificandi causa, de conservandis legibus, de periculo rerum publicarum atque privatarum, quum aliis locis, tum in perorando, maxime graviter erit vehementerque dicendum.

39. Ille autem, qui se sententia legis voluntateque defendet, in consilio, atque in mente scriptoris, non in

Neglexerit) Sic scribendum, non *neglexit*. Et sic habent Mss nostri, Edd. Ven. Med Iunt Statim post *nusquam* bene Ms Ed non *nunquam*, ut vulgati. Sic et ed Ven. Ern.

Quae nusquam scripta sint) Guelf. g. *n scripta sunt*.

Viros) abest Guelf.

* *Vtetur exemplis*) Per exempla ostendet, quomodo vel ipse legis scriptor, vel alii legislatores exceperint, quum excipiendum existimarunt. F.

* *Aut iniqua etc.*) Si legislator excepisset, aliis iniqua lex fuisset, aliis inutilis; alii ex illa causam obtemperandi habuissent, alii causam abrogandi quaesissent Sed hoc loco turbatum est aliquid a librariis Nec sane Mss. codices conveniunt, quamvis nondum aliquem viderim, qui satisfaceret. Id.

Voluntateque) Guelf. *et voluntate*.

verbis ac literis vim legis positam esse defendet; quodque nihil excepерit in lege, laudabit, ne deverticula peccatis darentur, atque ut ex facto cuiusque iudex legis mentem interpretaretur. Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis aequitas perturbetur, si verbis legum, ac non sententiis pareatur. Deinde genus eiusmodi calliditatis et calumniae retrahatur in odium iudicis, cum quadam invidiosa querela. Et si incidet imprudentiae causa, quae non ad delictum, sed ad casum necessitatemve pertineat, quod genus paulo ante attigimus: erit iisdem aequitatis sententiis contra acerbitatem verborum deprecandum. Sin scripta inter se dissentient, tanta series artis est, et sic inter se sunt pleraque connexa et apta, ut, quae paulo ante praecepta dedimus ambigui, quaeque proxime sententiae et scripti, eadem ad hoc genus causae tertium transferantur. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam significationem, quae nos adiuvat, eisdem in contrariis legibus nostra lex defendenda est. Deinde est efficiendum, ut alterius scripti sententiam, alterius verba defendamus. Ita quae modo descripto sententiaque praecepta sunt, eadem huc omnia transferemus.

40. Expositae sunt tibi omnes oratoriae partitiones, quae quidem e media illa nostra Academia efflorue-

Perturbetur) Recte Ernestius revocavit e Ms. Ed. Vet. edd. Ven. Med. fuit quia sequitur *pareatur*. Vulg. *perturbaretur*.

* *Calumniae*) Eos, qui per verba legis cavillentur, trahet in invidiam iudicis, cuius est ambigua, si qua sunt, interpretari. Facc.

Retrahatur) Lambinus *retrahetur*, consecutioni verborum aptius.

* *Contra acerbitatem verborum*) I. e ne verba legis nimis acerbe ad literam exigantur. Lambinus, *contra acerbitates*.

Transferantur) Ed. Ven. *referantur*. Post eadem in fine *transferimus*, corrector fecit *transferamus*. In eadem additur *superiorum epilogatio*, nempe e margine Ms. Ern.

* *Nostra Academia*) Hoc nomine intelligit Philosophiam omnem. Nam Academia ipsam quoque Peripateticorum doctrinam complectebatur, quamvis interdum inter se distinguerentur, saltem nominibus, ut est in I Academ. c 4. Facc.

runt: neque sine ea aut inveniri, aut intelligi, aut tractari possent. Nam et partiri ipsum, et definire, et ambigui partitiones dividere, et argumentorum locos nosse, et argumentationem ipsam concludere, et videre, quae sumenda in argumentando sint, quidque ex iis, quae sumta sunt, efficiatur; et vera a falsis, verisimilia ab incredibilibus diiudicare, et distinguere, et aut male sumta, aut male conclusa reprehendere, et eadem vel anguste disserere, ut dialectici qui appellantur, vel, ut oratorem decet, late exprimere: illius exercitationis et subtiliter disputandi, et copiose dicendi est. De bonis vero rebus et malis, aequis, iniquis; utilibus, inutilibus; honestis, turpibus, quam potest habere orator, sine illis maximarum rerum artibus, facultatem, aut copiam? Quare haec tibi sint, mi Cicero, quae exposui, quasi indicia fontium illorum; ad quos si nobis eisdem ducibus aliisve perveneris, tum et haec ipsa melius, et multo maiora alia cognosces.

F. Ego vero, ac magno quidem studio, mi pater; multisque ex tuis praeclarissimis muneribus nullum maius exspecto.

Effloruerunt) Sic scribendum esse coniecit post Mich. Brutum Ernestius pro vulgato *fluxerunt*. Hactenus bene, quod vulgatum correxit. Nisi forte *fluxerunt* potius auctor scripsit, quod habet Lambinus.

Aut tractari possent) Sic Guelf.

Et definire) Guelf. *et distinguere*.

Et aut male sumta) Sic bene Guelf. et ed. Kub. Vulgo abest et.

Late exprimere) Sic Guelf. Ox. ψ. Vulg. *exprimere*.

Et copiose dicendi) Vulgo additur *artis*, quod recte indicavit Ernestius spurium esse. Nam *copiose dicendi* ita ad exercitationem refertur, ut *subtiliter disserendi*.

De bonis vero rebus) Guelf. *de bonis enim rebus*.

Tum et haec ipsa) Guelf. *tum et ipsa*.

IN CICERONIS
LIBELLVM
DE OPTIMO GENERE ORATORVM

SVMMARIVM

Hunc libellum Cicero praefationis loco praemisit conversis a se de graeco in latinum Aeschinis in Ctesiphontem, et Demosthenis pro Ctesiphonte orationibus contrariis. In quo, motus fortasse reprehensione quorundam, qui dicendi eius genus ut Asianum et redundans incessebant (Quintil. XII, 10 coll. cum cap. IV huius libelli) unum tantum esse genus perfecti oratoris docet; optimum nimirum esse, qui dicendo animos auditorum doceat, delectet, permoveat, hunc autem esse oratorem vere Atticum, qui non in tenui genere solum elaboret, sed ut parva summisse, ita magna graviter et ornate dicere possit; Atticique oratoris perfectissimum esse exemplar Demosthenem: quod ut facilius a Romanis intelligeretur, se laborem duas istas Aeschinis ac Demosthenis orationes convertendi suscepisse c. 1—6. Deinde causam Ctesiphontis in iudicium deductam, in qua ista summorum Graeciae oratorum contentio versata erat, exponit. c. 7.

1 Oratorum genera esse dicuntur, tanquam poëtarum. Id secus est. Nam alterum est multiplex. Poëmatis enim tragici, comici, epici, melici etiam ac dithyrambici, suum quodvis est diversum a reliquis. Itaque et

Dithyrambici) Vulgo additur ineptum scholion *quod magis tractatum est a Latinis*, quod spurium esse recte iudicavit Ernestius.

in tragoedia comicum vitiosum est, et in comoedia turpe tragicum; et in ceteris suus est cuique sonus, et quaedam intelligentibus nota vox. Oratorum autem si quis ita numerat plura genera, ut alios grandes, aut graves, aut copiosos; alios tenues, aut subtiles, aut breves; alios eis interiectos et tanquam medios putet: de hominibus dicet aliquid, de re parum. In re enim, quod optimum sit, quaeritur; in homine dicitur, quod est. Itaque licet dicere et Ennium, summum epicum poëtam, si cui ita videtur; et Pacuvium tragicum; et Caecilium fortasse comicum. Oratorem genere non divido. Perfectum enim quaero. Vnum est autem genus perfecti, a quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Attio Terentius; sed in eodem non sunt pares. Optimus est enim orator, qui dicendo animos audientium et docet, et delectat, et permovet. Docere, debitum est; delectare, honorarium; permovere, necessarium. Haec ut alius melius, quam alius, concedendum est; verum id fit non genere, sed gradu. Optimum quidem unum est; et proximum, quod ei simillimum. Ex quo perspicuum est, quod optimo dissimillimum sit, id esse deterrimum.

2. Nam quoniam eloquentia constat ex verbis et sententiis, perficiendum est, ut pure et emendate loquentes, quod est latine, verborum praeterea, et propriorum, et translatorum, elegantiam persequamur; in

Suus est cuique sonus) Sic Ms. Vit. et recepit Ernestius. Vulg. *suus est unicuique certus sonus.*

* *Cuique sonus*) Sonus in hoc genere verbum Ciceroni usurpatum in Bruto c. 26, ubi de Fannii oratione quadam sic scribit. *Sed nec eiusmodi est, ut a pluribus confusa videatur, unus enim sonus est totius orationis, et idem stylus* Stativs.

* *De hominibus*) Id est, Dicit aliquid de hominibus, quorum alius alius est dicendi character; pauca dicet de ipsa eloquentia, cuius idea perfectissima quaeritur. Pavsr.

Plura genera) Ms. Vit. omittit *plura*, Ernestio probante. Idem *numeret* pro *numerat* legendum putabat, quod tamen necessarium haud videtur.

propriis, ut aptissima eligamus; in translatis, ut similitudinem sequuti, verecunde utamur alienis. Sententiarum autem totidem genera sunt, quot diximus esse laudum. Sunt enim docendo, acutae; delectando, quasi argutae; commovendo, graves. Sed et verborum est structura quaedam duas res efficiens, numerum, et laevitatem; et sententiae suam compositionem habent, et ad probandam rem accommodatum ordinem. Sed earum omnium rerum, ut aedificiorum, memoria est quasi fundamentum, lumen actio. Ea igitur omnia in quo summa, erit orator perfectissimus; in quo media, mediocris; in quo minima, deterrimus. Et appellabuntur omnes oratores, ut pictores appellantur etiam mali; nec generibus inter sese, sed facultatibus different. Itaque nemo est orator, qui se Demosthenis similem esse nolit; at Menander Homeri noluit; genus enim erat aliud. Id non est in oratoribus; aut si est, ut alius gravitatem sequens, subtilitatem fugiat, contra alius acutiorem se, quam ornatiorem velit: etiamsi est in genere tolerabili, certe non est in optimo. Siquidem, quod omnes laudes habet, id est optimum.

3. Haec dixi brevius equidem, quam res petebat; sed ad id, quod agimus, non fuit dicendum pluribus. Vnum enim quum sit genus, id quale sit, quaerimus. Est autem tale, quale floruit Athenis; ex quo Atticorum ipsa vis ignota est, nota gloria. Nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos; alterum pauci, laudabilia esse multa. Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum, aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est; in verbis, si inquinatum, si abiectum,

Laevitatem) Recte sic Lambinus. Vulgo *levitatem*.

Orator perfectissimus) Ita legendum esse vere monuit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. pag. 200. Vulgo *orator perfectissimus*. Lamb. *orator praestantissimus*.

si non aptum, si durum, si longe petitum. Haec vitaverunt fere omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt attice. Sed quatenus valuerunt, sani duntaxat et sicci habeantur; sed ita, ut palaestricae spatiari in xysto iis liceat, non ut ab Olympiis coronam petant. Qui quamvis careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem quaerunt, quandam etiam suavitatem coloris. Eos imitemur, si possumus; sin minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt (quod est proprium Atticorum), quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit. Quod quum faciemus (si modo id ipsum assequemur, est enim permagnum), imitemur, si poterimus, Lysiam, et eius quidem tenuitatem potissimum. Est enim multis in locis grandior; sed quia et privatas ille plerasque, et eas ipsas aliis, et parvarum rerum causulas scripsit, videtur esse ieiunior, quoniam se ipse consulto ad minutarum genera causarum limaverit.

4. Quod qui ita faciet, ut, si cupiat uberior esse, non possit, habeatur sane orator, sed de minoribus; magno autem oratori etiam illo modo saepe dicendum est in tali genere causarum. Ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere; elate Lysias fortasse non possit. Sed si qui eodem modo putant, exercitu in foro et in omnibus templis, quae circum forum sunt, collocato, dici pro Milone decuisse, ut si de re privata ad unum iudicem diceremus: vim eloquentiae sua facultate, non rei natura, metiuntur. Quare quoniam nonnullorum sermo iam increbuit, partim se ipsos attice

Sani duntaxat et sicci) Sic Ernestius ex ed. Ven. et Med. Recte Vulgo *sani et sicci duntaxat*.

Qui quamvis) Hoc restituit Ernestius ex ed. Ven. Vulgo *qui quum*.

Limaverit) Sensus requirere videtur *limavit*.

dicere, partim neminem nostrum dicere: alteros negligamus. Satis enim his res ipsa respondet, quum aut non adhibeantur ad causas, aut adhibiti derideantur. Nam si arriderentur, esset id ipsum Atticorum. Sed qui, dici a nobis Attico more, nolunt, ipsi autem, se non oratores esse, profitentur: si teretes aures habent intelligensque iudicium, tanquam ad picturam probandam, adhibeantur etiam inscii faciendi cum aliqua sollertia iudicandi; sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, neque eos quidquam excelsum magnificumque delectat: dicant, se subtile quiddam et politum velle, grave ornatumque contemnere; id vero desinant dicere, qui subtiliter dicant, eos solos attice dicere, id est, quasi sicce et integre. At ample et ornate et copiose, cum eadem integritate, Atticorum est. Quid? dubium est, utrum orationem nostram tolerabilem tantum, an etiam admirabilem esse cupiamus? Non enim iam quaerimus, quid sit attice, sed quid sit optime dicere. Ex quo intelligitur, quoniam Graecorum oratorum praestantissimi sunt ii, qui fuerunt Athenis; eorum autem princeps facile Demosthenes: hunc si quis imitetur, eum et attice dicturum, et optime; ut, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere, id sit attice dicere.

5. Sed quum in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus; putavi mihi suscipiendum laborem, utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium.

Arriderentur) Bene sic Ernestius. Vulg. *arrideantur*.

Se non oratores esse profitentur) Ernestio vel *esse* delendum, vel *confitentur* legendum videbatur.

Adhibeantur) Ita scribendum esse pro vulg. *adhibentur* recte iudicavit Ernestius, quia deinde sequitur *dicant*, illi oppositum.

Dicant) Sic Ernestius e Ms. Viteb. Vulg. *dicunt*.

Quasi sicce et integre. At ample— Quid? dubium est) Lambinus sic edidit: *quasi sicce et integre. At si ample — an dubium est*.

Converti enim ex atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias, Aeschinis Demosthenisque; nec converti, ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, et earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis; in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere. Hic labor meus hoc assequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, et ad quam eos quasi formulam dicendi revocent, intelligant. Sed exorietur Thucydides. Eius enim quidam eloquentiam admirantur. Id quidem recte; sed nihil ad eum oratorem, quem quaerimus. Aliud est enim explicare res gestas narrando, aliud argumentando criminari, crimenve dissolvere; aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare. At loquitur pulchre. Num melius, quam Plato? Necesse tamen est oratori, quem quaerimus, controversias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permovendum.

6. Quare si quis erit, qui Thucydidio genere causas in foro dicturum se esse profiteatur, is abhorrebit etiam a suspicione eius, quod versatur in re civili et forensi; qui Thucydidem laudabit, suae nostram adscribat sententiam. Quin ipsum Isocratem, quem divinus auctor Plato, suum fere aequalem, admirabiliter in Phaedro laudari fecit a Socrate, quemque omnes docti summum

Abhorrebit) Ita rescripsi pro vulg. *abhorrent*, sensu postulante.

Quod versatur) Necessario sic erat scribendum pro vulg. *quae versatur*. Refertur enim ad *genus*. Vidit Ernestius, nec tamen in textu correxit.

Laudabit) Bene sic Lamb. Vulg. *laudavit*.

Suae nostram adscribat sententiam) Ordinem hunc verborum revocavit Ernestius ex ed. Med. Vulgo *adscribat suae nostram sententiam*.

oratorem esse dixerunt, tamen hunc in numero non repono. Non enim in acie versatur cum ferro; sed quasi rudibus eius eludit oratio. A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur. Aeschines, tanquam *Aeserninus*, ut ait Lucilius,

non spurcus homo, sed doctus, et acer,
Cum Pacidiano hic componitur, optimu' longe
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse divinius. Huic labori nostro duo genera reprehensorum opponuntur: unum hoc: *Verum melius Graeci*: a quo quaeratur, ecquid possint ipsi melius latine? alterum: *Quid istas potius legam, quam Graecas?* Iidem Andriam et Synephebos: nec minus Terentium et Caeci-

Hunc in numero) Gulielmius hoc in numero fortasse verius.

In acie versatur cum ferro) Bene sic Purgoldus. Vulgo *in acie versatur et ferro*.

Sed quasi rudibus) Tò *Sed*, quod Schutzius non monito lectore, in sua editione vel primus delevit, aut certe post alios omisit, hortatu Rohdolae Viri Cl. in textum revocavi Typ. Taur.

Aeschines, tanquam Aeserninus, non, ut ait Lucilius, non spurcus homo, sed doctus et acer) Haec verba sic potius constituenda videntur, *Aeschines, tanquam Aeserninus, non, ut ait Lucilius*, spurcus homo, *sed doctus et acer*.

* *Aeschines, tanquam Aeserninus*) Hic Aeserninus fuit Samnis, id est, gladiator, et compositus cum praestantissimo gladiatore Placidiano, seu Pacidiano, quem commemorat Horat. Satyr. II, 7. 96. Proferuntur autem hi versus a Nonio Marcello ex Lucilio c. 4 in *spatium*. *Aeserninus fuit flacco ore Samnis spurcus homo, vita illa dignu', locoque. Cum Placidiano componitur? optimu longe Post homines natos gladiator qui fuit unus?* Vide Tusc lib XXIV, et ad Q. Frat. III, 4. Lamb.

Optimu' longe Post homines natos gladiator qui fuit unus) Vulgo ultimus hic versiculus dimidius tantum scribitur *post homines natos*, omissis sequentibus *gladiator qui fuit unus*. Verum ita constructionis lege *optimus* ad Aeschinem referretur, contra mentem Ciceronis, qui palmam summae perfectionis Demostheni, non Aeschini tribuit. Itaque statim subdit: *Nihil enim illo oratore* (scil. Demosthene) *arbitror cogitari posse divinius*. Vitium sensit Ernestius, sed aliam h. l. medelam circumspexit, qua iam nihil egemus. Nostram rationem praeivit Ianus Poerhasius ep. 60.

Idem) Placet Ernestii emendatio, *At idem*,

lium, quam Menandrum, legunt: nec Andromacham, aut Antiopam, aut Epigonos reiiciunt: sed tamen Ennium et Pacuvium et Accium, Latinos potius, quam Euripidem et Sophoclem legunt. Quod igitur est eorum in orationibus e graeco conversis fastidium, nullum quum sit in versibus?

7. Sed aggrediamur iam, quod suscepimus, si prius exposuerimus, quae causa in iudicium deducta sit. Quum esset lex Athenis, NE QVIS POPVLI SCITVM FACERET, VT QVISQVAM CORONA DONARETVR IN MAGISTRATV PRIVS, QVAM RATIONES RETVLISSET: et altera lex, EOS, QVI A POPVLO DONARENTVR, IN CONCIONE DONARI DEBERE; QVI A SENATV, IN SENATV: Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eosque refecit pecunia sua. De hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur: eaque donatio fieret in theatro, populo convocato; qui locus non est concionis legitimae, atque ita praedicaretur: EVM DONARI VIRTVTIS ERGO BENEVOLENTIAEQVE, QVAM ERGA POPVLVM ATHENIENSEM HABERET. Hunc igitur Ctesiphontem in iudicium adduxit Aeschines, quod contra leges scripsisset, ut et rationibus non relatis corona donaretur, et ut in theatro, et quod de virtute eius et benevolentia falsa scripsisset; quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec bene meritus de civitate. Causa ipsa abhorret illa quidem a formula consuetudinis nostrae, sed est magna.

Reiiciunt) Sic auctore Ernestio correxi vulg. *recipiunt*. Lambinus vero totum locum ita constituit: *Quid istas potius legam, quam Gr.? Nec Andromacham igitur, aut Antiopam, aut Epigonos latinos recipiunt. Sed tamen Ennium et Pacuvium, et Accium potius, quam Euripidem et Sophoclem legunt. Iidem Andriam et Synephebos, nec minus Terentium et Caecilium quam Menandrum legunt*; ordine verborum haud scio an multo concinniore.

Qui a senatu, in senatu) Ita verissime iam ediderat Fr. Morelius in edit. huius libelli a. 1596 facta, idque a Mureto aliisque probatum recte recepit Olivetus. Vulg. sine sensu *quia in senatu Demosthenes* etc.

Habet enim et legum interpretationem satis acutam in utramque partem, et meritorum in rempublicam contentionem sane gravem. Itaque causa Aeschini, quoniam ipse a Demosthene esset capitis accusatus, quod legationem ementitus esset, ut ulciscendi inimici causa, nomine Ctesiphontis, iudicium fieret de factis famaque Demosthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quam de eo, quod civis improbus, ut optimus, laudatus esset. Hanc mulctam Aeschines a Ctesiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem; sed iudicium factum est aliquot annis post, Alexandro iam Asiam tenente; ad quod iudicium concursus dicitur e tota Graecia factus esse. Quid enim aut tam visendum, aut audiendum fuit, quam summorum oratorum, in gravissima causa, accurata et inimicitiis incensa contentio? Quorum ego orationes si, ut spero, expressero virtutibus utens illorum omnibus, id est, sententiis, et earum figuris, et rerum ordine, verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro (quae si e graecis omnia conversa non erunt, tamen ut generis eiusdem sint, elaboravimus): erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui attice volent dicere. Sed de nobis satis. Aliquando enim Aeschinem ipsum latine dicentem audiamus.

Itaque causa Aeschini) Lambinus: *causa autem fuit accusandi Ctesiphontis Aeschini.*

Elaboravimus) Male Ms. Vit. ed. Med. *elaboravimus.*

Volent) Recte sic Ernestius sine libris correxerat. Idem postea in Ms. Vit. repert. Vulg. *volunt.*

INDEX SPECIALIS

M. TVLLII CICERONIS OPERVM
EXPLICIT TOMVS TERTIVS.